



V
B
J
C



PHILOSOPHIAE CIVILIS
SIVE
POLITICAE
PARS SECVNDA
CONTINENS SAPIENTIAM PVBLICAM IN TEMPERANDIS
RERVM PVBLICARVM FORMIS
PROCVRANDO
IVSTO CIVIVM NVMERO
ET PERFICIENDA
CIVIVM MENTE
INPRIMIS RATIONE INTELLECTVS

TANQVAM
CONTINVATIONEM SYSTEMATIS
PHILOSOPHICI
CHRISTIANI L. B. DE WOLFF
POTENTISSIMI BORVSSORVM REGIS CONSILIARII INTIMI,
FRIDERICIANAE CANCELLARII CET.

AVTORE
MICHAELE CHRISTOPH. HANOVIO,
GYMNASII ACADEMICI GEDANENS. PROFESS. PHILOS.
EIVSDEMQVE BIBLIOTHECARIO.

CVM PRIVILEGIIS.

HALAE MAGDEBVRGICAE,
PROSTAT IN OFFICINA LIBRARIA RENGERIANA.
MDCCLVII.





PRAEFATIO.



In Republica ſapienter conſtituenda opus eſt quibusdam veluti fundamentis, quibus incumbat quam firmiſſime omnis ejusdem ſalus. Si lubricum eſt et arenoſum fundamentum, ſtabile eſſe nequit quidquid eidem eſt ſuperſtructum, quanquam ad amuſſim perpendiculumque. Sed ſi immotum ac veluti marpeſium eſt fundamentum, integra compages durabit, cum ipſo recte coagmentata.

Jeci in prima Politicæ parte ipſius fundamenta, eo liberiora ab omni concuſſionis metu, quo exploratius omni unquam ciuitati fuit, nihil ipſi ſalute publica prius eſſe habendum. His pergo hic ſuperſtruere ea, quæ ſalutem ipſam propius attingunt, vel potius conſtituunt & ingrediuntur, tanquam

quam partes quædam neceſſariæ, ſine quibus integra perperam exſpectaretur. Poſtquam igitur ſimplices rerumpublicarum formæ perluſtratæ erant, reſtabant, quæ ex illis varie componi ſolent, excutiendæ. Id quod eo magis conſultum neceſſariumque ducendum fuit, quo rariores hodie deprehenduntur formæ ſimplices, & quo ſunt jam mixtæ formæ uſitatiores, ac in poſterum tales videntur eſſe futuræ.

Hinc recte calculos ponentibus apparebit neceſſitas, paullo plenius, ac fieri conſuevit, in ſyſtemate politico excutiendi indolem ſapienter adhibendorum formarum civitatis temperamentorum. Idcirco prima Sectione enucleanda penitius erat natura & mixtionis & temperationis civilis in univerſum. Deinde ex his principiis deducenda erat uti monarchiarum ſeu regnorum, ita & rerumpublicarum temperies diverſa. Quæ ſi levi brachio tantum tetigiſſem, nec quod politicæ proprium eſt, in intimos receſſus rerum hic ſapienter conſtituendarum Beneuolos lectores deducere ſtuduiſſem, vix operæ pretium feciſſe merito viderer.

Opus ergo fuit, ut in primis aperirem fontes rerum in ſapienti temperatione potiſſime attendendarum. Hi habentur in commodis æque ac incommodis formarum ſimplicium, & in modis illa, quam optime per adjunctam aliam formam fieri pot-

poteſt, ſtabiliendi & amplificandi; hæc vero imminuendi, impediendi atque arcendi. Neque enim quidquam optatius civitati accidere poteſt, emolumentorum incrementis adaugendis, & averruncandorum nocumentorum dexteritate. In utrumque genus igitur digitum fuiſſe intendendum inquirendumque curatius, oppido liquet, & pæne dixerim orbi, qua cultior eſt, univerſo.

Ex apertis hiſce notionum lucidiorum fontibus facile eſt haurire principia, rejiciendi commentitia illa regnorum monſtra, & acres de illis antecedentis ſæculi controverſias tacite in exilium mittendi, ne amplius faſcinare aut deludere poſſint, niſi eos, qui ſponte cœcutire, quam in luce verſari malint. Quibus nemo eſt, qui ſortem ſuam ſit inviſurus, quando meliori frui detrectat. Varia ibi de reſervatis regiis vel juribus Majeſtatis, & ordinum imperii vel regni juribus, aliter aliterque connectendis; nec minus de cauſis limitationis jurium, ſapienter vel adhibendis, vel evitandis occurrunt perveſtigata. Quæ ne generatim dicta parum caperentur, applicata ſunt ad præcipua imperia & regna, ducibus documentis, quæ ad manus fuere, fide dignioribus. Vbi ſi non omnia prorſus exaſciata ſunt, veniam merebitur abſcondita arcanorum politicorum & nimis remota a nobis natura.

 Rerum-

Rerumpublicarum formæ temperatæ modo prævalente gaudent optimatum ſtatu modo populari. Quæ quomodo internoſci poſſint, eo magis non fuit diſſimulandum, quo minus hæc ab aliis dilucidata reperiuntur. Perfringenda fuit hæc glacies inveterata, eoque magis obſiſtens, quod ne nomina quidem ſuppeterent ad formas temperationis variantis diſterminandas apta. Si nomina, quibus hæc diſcernenda duxi, non omnino probanda videntur, vitio certe mihi dari non poterit, quod uſitata, quibus carui, non adhibuerim. Meliora cui libet ſubſtituere licet. Mihi ſufficit, ſi intelligor, ope explicationis adjectæ & exemplorum, e rebus publicis illuſtrioribus quibusdam, quæ ſuperſunt, petitorum. In quarum forma dijudicanda ſuo quisque abundet ingenio, ſi meæ ſententiæ rationes adductæ non arrident.

Sectio ſecunda procurationem juſti civium numeri ſibi propoſitam habet. Vbi & de juſto civium numero, & de ſapienti illius procuratione exponendum fuit. Vt prius liquidum fieret, præmittendum fuit, quinam civium nomine veniant, quomodo illi differant, ratione jurium, officiorum, ordinis & graduum. Tum oſtenditur, quando civium numerus ſit juſtus, quando non; ideoque vel juſto major, vel minor, & quibus criteriis id internoſcatur. Neque ſtatui poteſt, eidem ciuitati eundem

dem civium numerum ſemper convenire, ſeu juſtum eſſe, niſi eadem ſit facies ipſius.

Poſterius doceri non potuit, niſi oſtenſis ſap entibus inſtitutis, & obtinendi juſtum civium numerum, & eundem perpetuandi. Illis accenſenda ſunt omnis generis invitamenta per privilegia & immunitates alibi haud obvias. His alia inſerviunt perpetim, alia extra ordinem. Perpetim procuranda eſt copioſa ſobolis ex juſto matrimonio procreatio, nutritio pupillorum egenorum, infantumque expoſitorum & vitæ ac ſanitatis civium conſervatio. Extra ordinem vel intra civitatem admittuntur in civium munerum, qui alias admitti non ſolent; vel extrinſecus invitantur peregrini, & recipiuntur emigrantes. Si quo caſu civium numerus abundet, oſtenditur, quo pacto iſta abundantia ſapienter minuenda ſit.

Tertia Sectione continetur ratio ſapienter perficiendi civium mentem qua facultatem res cognoſcendi. Hæc poſtulat, ut artes & ſcientiæ, quæ jam exploratæ habentur, recte doceantur & diſcantur ab illis, quibus expedit illas ſcire; quæ autem ignotæ hactenus ſunt & deſiderantur, inveſtigentur, deteganturque. Cum aliud ſit, edocere alios veritates olim perſpectas; & aliud plane ignotas reperire veritates: diverſis opus eſt inſtitutis, ad utrumque ſcopum conſequendum. Neque enim is, qui docere poteſt alios

alios ea, quæ ipſe didicit, illico aptus eſt ad ſcrutandas & detegendas veritates novas; neque eadem opera utrumque præſtare poteſt, qui vel maxime idoneus ad utrumque foret. Si vel ad alterutrum tantum apti cum neglectu officiorum erga ſe his erga alios officiis vacare debent, opus eſt, ut civitas eos indemnes præſtet, ac pro dignitate remuneretur.

Docendarum veritatum artiumque utilium cauſa, opus eſt variis magiſteriis privatis ſcholisque & inferioribus & ſuperioribus. In quibus omnibus exponendum fuit, quibus modis civitates ſaluti publicæ quam rectiſſime conſulere poſſint. Curandum ergo, ut magiſtri artificiorum, opificiorumque neceſſariorum & ſint in civitate, & officia ſua in tironibus quoque edocendis obſervent. Curandum, ut omnis generis tot ſcholæ habeantur, quot in civitate requiruntur, & in ſingulis ea fiant, quæ fieri boni communis cauſa debent, eos ſectando modos, qui in his plurimum valere poſſe & valuiſſe intelliguntur.

Quo majoris momenti ſunt ſcholæ ſuperiores, quæ in Gymnaſia & academias doctrices dirimuntur, eo indignius fuiſſet, de his non niſi vulgaria in medium afferre. Operam igitur dedi, ut penitius, quousque fieri potuit, inquirerem in diſcrimina Gymnaſiorum & Academiarum, præcipuorumque momentorum, in iis vel conſtituendis, vel in flore

con-

conſervandis, ſpectandorum. In quorum numero ſunt leges, jura, privilegia & immunitates. Nec præterire potui inveſtigationem adipiſcendorum ſumtuum, & lucrorum civitati inde parandorum, comparationemque commodorum, ex pluribus vel paucioribus univerſitatibus literariis habendorum.

Ad ignotas veritates, civitati expedituras, detegendas opus eſt ſocietatibus & academiis inventricibus, quibus ſimul artes & ſcientiæ jam in uſu poſitæ augeantur & emendentur. In harum ideo varietates, inſtitutiones, leges, ſubſidia eo diligentius etiam atque etiam fuit deſcendendum, quo ſunt hæc inſtituta recentiora, & quo plura promittunt emolumenta civitati cuique, ne maxima quidem excepta, modo recte colantur. Quo ſublimius atque ſolidius ad utilia invenienda ſtudium requiritur, eo quoque majores haud raro faciendi ſunt ſumtus cum ad inventa perficienda, tum ad ſolertiam inventorum remunerandam.

Sicut ad ſcholas & academias docentes recte deſtinantur ex ærario publico & privatorum legatis, tum quæ directe his dicata ſunt, tum quæ aliis debebantur piis cauſis, quibus civitas non adeo indiget, aut quæ teſtator his uſibus ipſe dicare maluiſſet, ſi ea præſciviſſet: ita quoque ſumtus ad ſocietates & academias inventrices ex ſimilibus ſcaturiginibus poſſunt derivari, ac quod boni ominis eſt, jam ſolent.

 Recor-

Recordor pii legati Francisci Panolini, opulenti mercatoris Bononiensis, quo Anno 1685 sancitum erat, ut extincta ipsius familia, bona residua impenderentur erigendo collegio, in quo studia literarum promoverentur. Coaluit inde consortium 20 pauperum adolescentum, qui instruebantur artibus & scientiis, sed successu non adeo optato. Benedictus XIV, tum Episcopus Bononiensis, doluit, instituto testatoris non melius satisfieri; ideoque Pontifex romanus factus, sustulit illud collegium, majoremque proventuum partem assignavit Celebri scientiarum instituto Bononiensi, ad alendum Bibliothecarium, reliqua collegiis inventorum adjunctis.

Plurimum momenti ad egregia inventa elicienda & augenda habent quoque præmia sive publica sive privata, iis promissa & stato tempore exhibenda, qui problemata data optime solverint. Quo præmiorum genere non inferius est illud, quod in arbitrio inventorum relinquit, quo invento generi humano utilissimo, certare de præmio quotannis in medio ponendo, & vincenti ex judicum sententia cessuro, velint. Referri id ad varii generis inventa procudenda non sine insigni successu cœpit in Germania, Anglia & Dania. Prætermissis in Germania notioribus hujusmodi præmiis, modo mentionem brevissimam facio præmii, 20 didrachmarum

rum aurearum, quod Senator Curiæ ſupremæ anglicanæ, Tounshend, quotannis duobus præcipuis ad commercia provehenda inventis diſtribuendum dedit Academiæ Cantabrigienſi. Simile aliud nuper ſtatutum eſſe legi in Dania, ad Acta medica Haffnienſia, olim intermiſſa continuanda. In Gallia nuperrime Academia regia chirurgica præter ordinarium 125 uncialium brabeum, præmii loco quotannis numisma aureum, 100 ſemunciis argenti par, decrevit illi, qui ſpecimen argumenti, a ſe ipſo electi, cæteris præſtantius ſit daturus.

Cum nihil melius alat provehatque artes & ſcientias, ad humani generis ſalutem comparatas, ſpe præmiorum; nil ſupereſt, quam ut calamum poſiturus ſubjiciam: quod felix fauſtumque nobis poſterisque Deus T. O. eſſe jubeat! utinam hanc viam praemiorum inventoribus largiendorum ineundam, eademque ſibi in alma pace perpetuo pergendum ſtatuerent omnes civitates, cumulatiſſimos inſignium præmiorum fructus experturæ! Scrib. Gedani d. 5. Mart. 1757.

CON-

CONSPECTVS PHILOSOPHIAE CIVILIS SEV POLITICAE PVBLICAE

PARS SECVNDA

DE

CONSTITVENDA SAPIENTER REPVBLICA AVT SAPIENTIA PVBLICA PACATA EXPONENS QVAE RESTANT.

PHILO-



PHILOSOPHIAE CIVILIS,

SIVE

POLITICAE PVBLICAE

PARS SECVNDA,

DE

CONSTITVENDA SAPIENTER REPVBLICA AVT SAPIENTIA PVBLICA PACATA EXPONENS QVAE RESTANT.

SECTIO I.

DE

SAPIENTER MISCENDIS REIPVBLICAE SIMPLICIPVS FORMIS.

CAPVT I.

DE

Republica mixta in genere.

§. I.

M*ixtas Reipublicæ formas merito discernimus a compositis & pluribus ejusdem formæ consociatis vel conjunctis.* Dicitur enim *mixtæ respp.* mix- *Differunt a compositis*

& incorporatis vel concretis. mixta reſp. quæ ex pluribus ſimplicibus ſpecie diverſis coalescit (§. 310. *P. I. Polit.*); compoſita autem eſt generatim, quæ ex pluribus ſimplicibus conſtat; ubi in medio relinquitur, ſintne ſimplices ejusdem an diverſæ formæ (§. 310. *cit.*), prout compoſitum uniuerſe accipi ſolet (§. 531. *Ontol.*). Quoniam vero non tantum plures democratiæ (§. 598. *P. I. Polit.*); ſed quoque plures Ariſtocratiæ (§. 663. *ibid.*); et plures Monarchiæ in unum corpus ad inſtar Magnæ Britanniæ, Hiſpaniæ &c. coaleſcere poſſunt (§. 750. *ibid.*): liquido apparet, compoſitam rempublicam eſſe genus, ſub quo continentur, et ejusdem formæ corpora, & diverſæ formæ mixtæ reſpp, quæ etiam compoſitæ homogeneæ & heterogeneæ dici poſſunt. Quare cum ſpecies recte diſcernatur a ſuo genere, et alia ſpecie ſub eodem genere comprehenſa (§. 44 *ſeq. Logic.*): merito mixtæ reſpp. diſcernuntur a republica compoſita, et a corpore Rerumpublicarum ejusdem nominis, atque ſpeciei, vel ſi hoc mavis ejusdem formæ.

Inhæremus recepto inde ab *Ariſtotelis* ævo ſignificatui, ubi phyſica pariter mixtio, atque moralis requirit diverſa a ſe invicem, quæ in unione quadamtenus cohibentur ut inde medium et commune naſcatur. Vti vinum vel lac & aqua miſcentur, ſtannum et æs corporaliter miſcentur. Hinc vocat hanc miſtionem unionem miſcibilium alteratorum (*ἡ δε μιξις των μικτων αλλοιωθεντων ἑνωσις*). *Lib. I. de Generat. & corrupt. cap. 10.* Miſcibilia autem dicit, quæ non corrumpuntur ab altero, ſed manent, facile tamen ab invicem patiuntur aliquid dividuntur, terminantur. (*παθητικα ὑπ ἀλληλων και ευοριστα και ευδιαιρετα*) Sic & rempublicam dici ſolere tradit mixtionem oligarchiæ et democratiæ; inprimis quæ declinat ad democratiam, cum quæ magis accedunt ad oligarchiam ariſtocratiæ ſalutentur, quia opulentioribus doctrina atque nobilitas magis ineſſe ſolet. *Lib. IV. Polit. c. 8.* Diuerſas igitur formas & in politica mixtione

tione requirit, quæ invicem conjungi, a ſe invicem quidquam pati & terminari vel circumſcribi, & iterum ſeparari ab invicem poſſunt. Solet quoque moralis hæc mixtio, uti phyſica, cum Ariſtotele (κρᾶσις) *temperatio* vocari, quia revera una forma per alteram temperatur. Aliter temperatam remp. dicit *Hertius in anacephalæoſi* n. 247. 251. & 262. quæ tantum modum adminiſtrandi ex alia forma mutuatur. De quo vid. §. 627. *P. I. Polit.* Præſtat autem receptiorem ſervare loquendi vſum, cum nihil obſcuritatis reſtet, ſi temperare idem notet ac moraliter miſcere, vel miſcere intime potentias diverſas. Neque ab his recedunt quæ de mixtione docentur (*Coſmolog.* §. 252.), ubi maſſa compoſita a materiis mixtis differre qualitatibus recte ſtatuitur, quod fieri non poſſet, ſi miſcibilia eſſent ejusdem eſſentiæ & naturæ. Affuſio enim vocatur ſi ex puteo educuntur amphoræ duæ & deinceps in idem vas affunditur altera alteri, non autem mixtura. Sic ſulphur ſulphuri additum non dat mixtum, quod tamen habetur ſi ſulphur nitro & carbonibus intime immiſceatur, ut oriatur pulvis pyrius (Conf. *not. ad* §. 310. *P. I. Polit.*) ubi in medio §i. legendum: *ſed non niſi dum diverſæ ſimplices uniuntur, mixta prodit.*

Quia mixtio infert res quæ non tantum ſimul ſunt, ſed & idem ingrediuntur, & conſtituunt, non eſt hujus loci ejusmodi ſuccedens ſibi formarum ſimplicium alternatio, per quam aut binæ formæ alternatim, aut tres per vices ſibi invicem ſubſtituerentur. Recte jam *Cellarius Polit. L. II. c. 6. n. 5.* negat illam dici poſſe mixtam remp. in qua quædam formæ ſimplices alternis vicibus imperarent. Quælibet enim illarum ſuo tempore individuo gaudet ſummo imperio. Neque id locum habere poteſt, niſi dum forma ſimplex priſtina abrogatur, & alia in ejus locum ſurrogatur. Licet ergo iſta mutatio eſſet & ſucceſſio formarum ſimplicium; ſi tamen fingamus lege quadam alternas vices v. c. annuas iſtis formis ſimplicibus ſeu binis, ſeu tribus aſſignari, poſſet illa utcunque ſubſiſtere, omnibus recte officio fungentibus. Simul doceret eamdem civitatem differentiam præſtantiamque formarum. Diſcerni & nomine facile ab

A 2 aliis

aliis formis posset, si v. c. diceretur *alterna*, & vel binæ alternantes vel tres. Dictatura romana, & resp. ordinaria nonnihil talis vicissitudinis sistit, quæ quandoque adhibita fuit.

§. 2.

Differentia limitationis reipublicæ.

Discernenda quoque est limitatio Reipublicæ unius per aliam ejusdem aut diversæ naturæ, sive homogeneam aut heterogeneam. Limitatum enim dicitur imperium, cujus exercitium certis legibus adstrictum vel consensu alterius indiget (§ 66. *P. VIII. Jur nat.*). Vti ergo absolutum est imperium, in quo exercendo rector civitatis non nisi suo stat judicio (*ibid.*) sic limitatum erit imperium, in quo rector civitatis semper suo judicio stare nequit sed interdum alieno se conformare judicio vi pacti obligatur. Hinc limitatio Reip. inferet obligationem pactitiam rectoris civitatis in exercendo imperio nonnunquam sequendi judicium alienum (vel voluntatem alienam). Si limitatio proficiscatur ab alia rep. simplici, quia illa vel esse potest ejusdem essentiæ & naturæ, vel diversæ (§. 298. *P. I. Polit.*); limitatio aut proficiscetur ab alia homogenea aut heterogenea simplici rep eidem adjuncta.

Notandum est, hic considerari limitationem non quamcunque, sed, uti diserte innuimus, alterius reip. per alteram. Sed altera vel alia quoque dicitur, quæ numero tantum differt ab alia, aut quæ non ut alia forma, sed ut alia tantum singularis resp. ab alia singulari rep. ejusdem speciei differt. Inde nasci potest limitatio alia ab homogenea, alia ab heterogenea republica simplici, quarum postremam, diversam remp. vocamus. Posset hæc limitatio vocari externa, quia utraque non ab eadem, sed ab alia forma reip. dependet; uti interna illa foret, quæ ab ipsa forma reip. per se requiritur. Quomodo Aristocratia ab optimatum consensu; democratia a populi consensu, vel majori utriusque parte consentiente pendet. Ideoque imperium optimatum & populi limitatur, ut non valeat, nisi consensu omnium, saltem majoris partis accedente. Ad internam hanc limitationem pertinet quoque legum divinarum obligatio, quæ et unum-

unumquemque hominem, & unamquamque civitatem intime ſtringit & immutabili modo. Quæ eadem manet, etiam ſi ab hominibus rectoribus civitatum præſcribatur. Nec implicat, imperium limitatum eſſe ſummum, quatenus rectoribus civitatis humanæ præſcribuntur leges, ſecundum quas imperium ipſis eſt exercendum, modo populo jus non ſit actus legi contrarios reddendi irritos; per notam §. 66. cit.

§. 3.

Quid ſit & quomodo fiat reip. temperatio.

Limitatio reipublicæ per aliam heterogeneam, dicatur brevitatis cauſa *temperatio publica*, & reſp ſic limitata, *reſp. temperata.* Limitatio vero reip per aliam homogeneam aut per internas rationes, dici poteſt *reſtrictio*, prout ſupra *P. I. Polit.* § 527. de reſtrictione democratiæ dictum eſt, & de reſtricta democratia (§. 519 *ibid.*). Vtraque fit & ſancienda eſt pacto (§. 216. 261. & 319. *P. I. Politic.*).

Sanitatem corporis temperationem vocat *Cicero;* quum ea congruunt inter ſe, quibus conſtamus, *Tuſcul.* IV. c. 13. item ſanitatem animi cum ejus judicia opinionesque concordant, quam & temperantiam dici monet. *L. III. de Legibus c. 5.* de poſita in conſpectu magiſtratuum romanorum deſcriptione loquens, docet fratrem Quintum, hanc eſſe, quam Scipio maxime laudat, temperationem reipublicæ, quæ effici non potuiſſet, niſi tali deſcriptione magiſtratuum. Nam ſic habeto, magiſtratibus, iisque qui præſint, contineri remp. & ex eorum compoſitione, quod cujusque reip. genus ſit, intelligi. Quibus verbis, modo ad formam reip. romanæ attendamus, temperationem eodem, quo hic, ſenſu accipi patet. *Tacitus* quidem *Annal. XV.* 48. ſcribit: idque pluribus probabatur, qui in tanta viriorum dulcedine ſummum imperium non reſtrictum nec perſeverum volunt. Vbi reſtrictum laxo & remiſſo opponi deprehenditur. Ita ne effræne fiat imperium, rationibus inteſtinis reſtringi poteſt.

§. 4

Dantur respp. reſtri-

Dantur ope pacti respublicæ uti reſtrictæ, ita & temperatæ.

 Omnis

ctæ & temperatæ. Omnis enim resp. nititur pacto publico (§. 258. *P. I. Polit.*) vel quasi (§. 261. *ibid.*). Inde & restrictio & limitatio illius sancienda est pacto (§. 3) eoque mutuo & reciproca obligatione. Restrictam pacto dari monarchiam, patet ex assumtis sæpe regni et imperii consortibus quatenus illis aliqua imperii communio fuit, in dyarchiis, triarchiis, tetrarchiis &c. (§. 679. *seqq. P. I. Polit.*), ex legibus successionis, contra quas Monarcha pro lubitu suo imperium aliis relinquere nequit (§. 687. *seqq. ibid.*) & (§. 709. *seq. ibid.*) & ex Monarchiæ clientela (§. 675. *ibid.*). Porro id patet ex omni Aristocratia & democratia (§. 2. & 3.); item ex legibus in iisdem receptis, secundum quas exercendum est imperium (§. 514. 5223. *seqq.* 549. *seqq.* 559. *seqq.* 564. *seqq.* 609. *seqq.* 623. *seqq.* 640. *P. I. Polit.*); ex conjunctione laxioris & strictioris aristocratiæ (§. 625. *ibid.*) denique ex compositione vel unione plurium monarchiarum (§. 750. *ibid.*), aristocratiarum (§. 663. *ibid.*), & democratiarum (§. 598. *ibid.*).

Temperatas dari respublicas & Aristotelem docuit experientia (§. I. *not.*), & nos docet etiam nunc. Vbicunque enim plures dantur respp. unitæ, suis tamen, & aliæ aliis legibus viventes, secundum quas regendæ sunt, ibi dantur respp. temperatæ. Sed tales passim dari, vix quenquam fugit. Vbi habentur monarchiis adjectæ vel aristocratiæ, vel democratiæ, aut & hæ posteriores formæ mistæ deprehenduntur; ibi dari respp. temperatas, manifestum est. Quales Europa nobis multis in locis ostendit, v. c. in Germania, Suecia, Polonia, Anglia, Belgia, reliquisque.

Quoniam de mixtis rebus publicis hic in genere agendum, temperatarum rerum publicarum indoles hic enucleanda erit, earumque genuina constitutio. Non enim desunt, qui respp. mixtus dari negant, cum *Hisbero L. I. Jur. publ. c. 40. §. 4.* Bodi-

no

no aliisque de quibus Vid. *Hertius P. I. Sect. XV. §. 12.* Investiganda igitur & percensenda nobis erunt illa elementa, e quibus natæ olim sunt, & nasci hodieque solent respublicæ mistæ.

§. 5.

Quemadmodum constitutio reip. est, determinatio modi, quo finis civitatis est obtinendus (§. 393. *P. VIII. Jur. nat.*); ita *constitutio temperationis* vel temperamenti civilis, notat latius modum præfiniendum, quo miscendæ sunt respublicæ, ut scopus civitatis obtineatur strictius vero accepta eo collineat, ut scopus civitatis eo melius pleniusque obtineatur. Quia constat, scopum civitatis esse salutem publicam (§ 36. *P. I. Polit.*), & ad illam, tanquam normam & supremam legem omnia in rep. esse dirigenda (§. 86. *P. VIII. Jur. nat.*): concinnius dici mixtæ reip. constitutio strictius poterit, modus quam optime respublicas miscendi temperandique. *Quid sit constitutio mixtæ reip.*

Nostrates constitutionem dicunt **die Einrichtung**, quia ope constitutionis omnia instruenda & ordinanda sic sunt in rep. ut nihil non recte fieri possit, & recta eaque brevissima via ad metam contendatur. Vnde sapienti opus esse directione omnium ad scopum reip. abunde liquet. Esse igitur has sapientiæ civilis partes, ecquis ambigere posset?

§. 6.

Habet hæc temperatio suum usum cum in ordienda rep. tum in corrupta nec aliter corrigenda feliciter reformanda. Si enim ordienda sit alicubi resp. ubi nulla adhuc fuit, aut quæ fuit esse desiit quomodocunque; felix erit civitas, quæ ex aliorum periculis sapere, iisque provide occurrere didicit. Quam ob rem si in constituenda rep. is adhibeatur modus, quo misceri respublicæ ita possunt, ut salus publica eo melius pleniusque obtineatur; ex aliorum periculis sapiet, iisque provide occurret, eoque felicior erit civitas, quo exactius illam constitutionem obser- *Quis sit hujus temperationis usus?*

obſervabit. Quæ per ſe plana eſſe, nemo non animadvertit. Sed iſtiusmodi conſtitutio ſapienter miſcens & ſtabiliens civitatis formas temperatio publica dicitur (§ 3. *et* 5.) Evidens igitur eſt uſus temperationis publicæ illico in ſapienter ordienda rep. & civitate.

Si qua vero respublica ſimplex ita degeneravit, ut modis, quibus ſalus ejus teneri & per ſe recuperari poteſt, nullus relinquatur locus, reformari illa, hoc eſt in meliorem ea, qua nunc utitur, formam redigi aliter non poterit, quam ſapienti ejus temperatione (§. 3.). Adhibita igitur publica temperatio uſum quoque egregium præſtat in republica corrupta & per ſe inſanabili, feliciter reformanda, ſi optima, quæ haberi pro re nata poteſt, debite applicetur (§. 5).

Reformatio in genere infert emendationem illius, quod corruptum eſt, intimam, quia forma rei intima, ipſiusque eſt esſentia actualis, quæ propria ſunt eidem, ſive inſint, ſive inde fluant, involvens. *Fieri reformatio poteſt duplici modo*, nimirum vel ſic, ut loco depravatæ priſtina forma genuina reſtituatur, ſublata, quando fieri poteſt, depravatione; vel ut loco priſtinæ inſanabilis ſimplicis ſubſtituatur mixta, ab illis gravaminibus immunis, ope ſapientis temperationis publicæ. Vtramque reformationem occurrere exempla docent, & in græcis, & germanicis, & italicis, aliisque regnis & rebus publicis haud rara, quæ ita generatim indicata lectoribus ultro ſuccurrent.

§. 7.

Finis politicæ temperationis poſitivus. *Nihil magis huic temperationi ſapienti convenit, quam ut commoda miſcendarum rerumpublicarum ſimul obtineantur in eadem civitate, ut ſtabiliantur firmiſſime augeanturque quantum fieri poteſt.* Ipſa enim conſtitutio miſtionis rerumpublicarum ſimplicium ſibi propoſitum habet optimum eas uniendi temperandique modum (§. 5.), ut uſui ſit non tantum in ſapienter ordiendis civitatibus, ſed etiam in corruptis nec aliter ſanabilibus feliciter reformandis

dis (§. 6.). Quapropter ad ſalutem publicam melius pleniusque conſequendam omnis temperatio eſt comparanda (§. 5.). Quia quælibet forma civitatis genuina propter eundem finem comparatur (§. 36. *P. I. Polit.*), & quæ ad illam confert adiumenta, ipſius commoda ſunt (§. 464. *P. I. Jur. nat.*); tres tamen earum ſimplices dantur, a ſe invicem differentes (§. 298. *ibid.*), quarum non omnino eadem eſſe commoda, conſtat ex §. 308. *ibid.* dilucide apparet, id inprimis ſpectandum in ſapienti illarum miſtura eſſe, ut commoda miſcendarum in eadem civitate formarum ſimplicium una obtineantur, quam fieri poteſt cumulatiſſime.

Præterea cum interſit civitatis, ut commoda illa ſint ſtabilia & firma, neque eo, qui alias facile oritur, caſu mutari et degenerare in contrarium poſſint (§. 299. *P. I. Polit.*): ipſa quoque temperatione id agendum eſt præcipue, ut degenerationi quam optime occurratur (§. 5.). Hinc una forma ſimplex per alteram ſic eſt temperanda, ut per alteram ipſa degeneratio quam validiſſime arcentur, ideoque commoda formarum ſimplicium & ſimul impetrentur, & quam firmiſſime ſtabiliantur & indubia reddantur.

Denique quia commoda, quæ propria ſunt cuique formæ ſimplici, non tantum in ſimplici alia ſunt majora, & in alia minora, ſed & in compoſitione unitis rite viribus majora fieri poſſunt: opera danda eſſe intelligitur, ut quam optime junctis viribus eo majora haberi in civitate poſſint formarum ſimplicium emolumenta. Quæ cum in ipſa conſtitutione miſtionis ſpectanda ſint & proſpicienda (§. 3.): juxta optimam congregationem, firmiſſimamque ſtabilitionem, nihil magis ſapienti temperationi convenire perſpicitur, quam quanta haberi poſſunt commodorum, e ſimplicibus formis exſpectandorum, incrementa, ſeu multiplicationem, intenſionemque ſingulorum.

Vti commoda generatim notant quæcunque ab actionibus nostris omnem removent molestiam (§. 465. *P. I. Jur. nat.*): ita designant hic commoda rerumpublicarum simplicium illa bona, quæ publicis actionibus omnem abstergunt molestiam, vel immunitatem a molestiis in procuranda salute publica afferunt. Quæ alia aliis esse peculiaria mox erit ostendendum, e quibus dilucidatio eorum, quæ hic universe statuuntur, copiosa orietur. Quibus rite conjunctis verum erit quod *Aristoteles L. II. Polit. c.* 4. scribit: melius (Platone) dicunt, qui plures respp. miscent. Resp. enim e pluribus conflata melior est.

§. 8.

Finis temperationis removens sive privativus.

Pariter quoque temperationi rerumpp. sapienti proposita esse debet evitatio incommodorum quam optima, tum quatenus simul haberi potest, tum quatenus firmissime est stabilienda, atque subinde augenda. Commodis enim obstant incommoda vel impedimenta salutis publicæ, quæ in causa sunt, ut ex illis tædia percipiamus minime necessaria (§. 464 *P. I. Jur. nat.*). Jam nihil magis reipublicæ cujusdam temperationi respondet, quam ut commoda miscendarum rerumpp. simul obtineantur, eorundem fruitio quam firmissime stabiliatur, & efficiatur quanta fieri potest copiosissima & summa (§. 7.). Quare in temperatione rerum publicarum simul quam optime arcenda sunt quævis eorum incommoda, quæ averti sapienti temperamento possunt; eaque immunitas ab illis in civitate instruenda est firmissimis stabilimentis vel stabilissimis firmamentis; neque ulli parcendum est labori consilio & industriæ, quibus illius incrementa subinde evadant majora atque plura. Latere igitur nequit, finem temperationis rerumpp. tendere debere ad evitationem incommodorum quam optimam, quæcunque e simplicium formarum indole facile enata esse docuit fidissima rerum magistra rationis connubio suffulta, aut & antequam oriantur, ipsa prævidere & præcavere ratio sana potest.

Incom-

Incommodis tanquam malis e formarum simplicium indole facile oriundis & ortis, non tantum insunt præsentia & præterita, verum etiam futura & data opportunitate oritura. Quod ipsum ostendit, & *pericula* quævis, cum simplicibus civitatum formis conjuncta esse, his incommodis accensenda, quæ tædia creatura esse prævideri potest. Vnde & avertendis evitandisque periculis simul operandum est in publica quavis temperatione civitatis.

§. 9.

Quoniam in temperatione formæ civitatis quam optime procuranda sunt, quotquot *&* *quanta* haberi possunt commoda simplicium formarum (§. 7.); contra præcavenda sunt quævis earum incommoda & pericula (§. 8); neutrum vero sine exacta eorum & modorum id obtinendi cognitione fieri potest: manifestum est, opus esse scientia & commodorum & incommodorum simplicium civitatis formarum, & modorum ista consequendi, hæc evitandi, si sapienter temperanda sit resp. *Temperatio igitur reip. requirit scientiam & commodorum & incommodorum civitatum simplicium, & optimi eas temperandi modi.* *Vterque finis requirit perspicientiam commodorum & incommodorum civitatum simplicium.*

Delibavimus quidem nonnulla formarum simplicium commoda & incommoda *P.I. Polit.*§.293.*seq.*297.*&* §.300.*seqq.* sed tantum quatenus comparatio formarum simplicium generalis inde erat deducenda (§. 308. *seq.*). Nunc vero uberiori eorum opus est enarratione ad perspiciendum, quomodo temperatio mixtæ reip. sit rite instituenda. Quam ideo aggrediemur.

§. 10.

Ad commoda monarchiæ liquidiora merito refertur evidentior usus fructusque majestatis personalis. Majestas enim notat dignitatem omnem ejus, penes quem est summum imperium totum (§. 206. P. *VIII. Jur. nat.*). Sed in sola Monarchia summum imperium totum omnisque ejus excellentia est penes unum (§. 133. *seq. ibid.*). Evidentissima igitur est unius individua maje- *Monarchiæ est evidentior majestas personalis.*

 stas

ſtas in Monarchia, cum in Ariſtocratia nemini ſola, ſed conjunctim omnibus optimatibus ſimul ſumtis (§. 246. *ibid.*), & in democratia populo ſimul ſumto (§. 208. *ibid.*) tribuenda ſit. Hanc individuam majeſtatem quæ in omni rep. eſt neceſſaria, realem dicunt autores; quæ vero in perſonam collata eſt, eique inhæret, perſonalem. Quos ſequitur *Martini in Polit. L. II. c. 20.* Quia vero in nullo caſu diviſa eſt majeſtas, ea nequidem pro numero optimatum v. c. ſeptenario dici poteſt: ſeptimam partem majeſtatis cuique eſſe dandam; multo minus pro numero populi quantocunque pars ejus cuiquam ex populo vindicari poteſt. Hinc in aprico eſt, ſingulos optimates, ſingulosque populi cives majeſtate perſonali carere, nec quemquam eorum ſibi illam vindicare poſſe. Quia vero illa in monarchia aperte & indubie unius eſt monarchæ, evidentior & uſus & fructus majeſtatis perſonalis merito refertur ad commoda Monarchiæ.

Inde & titulus majeſtatis nulli ariſtocratiæ vel democratiæ dari conſuevit: quia repugnat habere ſummum imperium, & ſimul eidem eſſe ſubjectum. Singuli vero ex populo & ex optimatibus ſubjecti ſunt ſummo imperio. Idcirco ſinguli eodem gaudere & Majeſtatis honore ſummo frui non poſſunt, potius eodem carent. Cum igitur nemo aliquid majeſtatis habeat, nemini vel pars ejusdem tribui poteſt. Licet omnes conjunctim ſeu cœtus omnis majeſtate gaudeat, omnes quidem pro una perſona habentur, proprie tamen ut una perſona ſpectari & denominari, ideoque titulo majeſtatis decorari nec poſſunt proprie, nec ſolent. Poſito quoque pacto quodam toti cœtui optimatum congregato majeſtatis titulum eſſe tribuendum, nullus tamen eorum ſeorſum illius particeps foret, quum nullus integer fieri poſſit cœtus, nec ſinguli diviſum habeant imperium ſummum; Et Titulus igitur & totus uſus fructusque majeſtatis perſonalis monarchiæ ſoli debetur, hisque ſola exſplendeſcit.

§. 11.

§. 11.

Monarchiæ sufficit unius præstantia virtutum & generis. In Monarchia enim summum imperium est penes unicum (§. 133. *P. VIII. Jur. nat.*). Ideoque sufficit, si unus præstantia virtutum cæteros antecellat, ad recte fungendum summo imperio & ad eligendam monarchiam (§. 294. *P. I. Polit.*). Enimvero in Aristocratia imperium est penes integrum optimatum cœtum (§. 135. *ibid.*); & in democratia penes totum populum, se regentem per se ipsum (§ 131. *ibid.*). Vnde in utraque hac forma plurium requiritur præstantia virtutum. Soli ergo Monarchiæ sufficit, si unus monarcha virtutibus cæteris præstet.

Sufficit Monarchiæ viri unius præ cæteris præstantia.

Hoc non dissimulasse *Aristotelem*, alibi notavimus. *Lib. III. c. X. Polit.* hanc affert difficultatem: si unus, qui sit optimus, imperare debet, plurimi erunt ab honoribus exclusi (ἄτιμοι). Forsan dicat aliquis legem imperare debere, non hominem, in quem cadant affectus. Ad posteriorem rationem respondet *cap. seq. & XV.* leges quidem recte latas seu optimas debere normam esse imperantis, & eundem in his quoque imperare, in quibus leges exacte cavere nequeunt. Posteriori loco fatetur, difficilius esse, reperire plures virtutibus excellentes, quam unum. Ad prius regeri posset non excludi plures ab honoribus, nisi pares subaudias honores. Quidquid vero de his statuatur, in eo nobiscum facit, sufficere, ut unus virtutibus antecellens præsit omnibus in monarchia, quod in reliquis formis simplicibus non procedit.

Generis autem regii præstantia in aliis civitatum formis plane deficit, & in sola residet monarchia. Quare si præter præstantiam virtutis, generis quoque summi excellentia est attendenda, extra monarchiam ea haberi nequit, sed in monarchia regii sanguinis natales & regiarum virtutum gloria in successores una propagatur illustrioresque facit successores optimis majorum suorum vestigiis insistentes. Neque posterius præteriit Stagiritam *L. V. Polit. c. 10.* scribentem: Fit rex

ex præſtantibus per excellentiam virtutis, vel rerum ope virtutis geſtarum, vel per excellentiam hujusmodi generis (καθ' ὑπεροχὴν τοιᾶδε γένες). Eſt rex per dignitatem generis, beneficiorum, potentiæ. Eminet quippe genus regium omnem cæterorum natalium ſortem, cum extrinſecus majeſtatis ſplendore (§. 10.), tum intrinſecus, ſi accedat regiarum virtutum gloria avita.

§. 12.

Alia monarchiæ commoda.

Cæteris paribus unius imperium divino eſt ſimilius, quam multorum; unius diſſenſus a ſe ipſo non tam facile ac plurium eſt metuendus; unius voluntati parere facilius erit, quam multorum facile diſſidentium; unius explere auiditatem aliorum moderatione & proportione convenientium exemplo facilius eſt, quam multorum. Primam partem hujus præcepti comprobatam dedimus (*P. I. Pol.* §. 293.). Multos vel optimates inter ſe facile diſſentire, multo magis cives populi vulgares, adeo eſt evidens, ut nulla indigeat probatione. Sed unum a ſe ipſo diſſentire, & mox rurſus improbare, quæ modo approbaverat, vix continget, niſi degeneratio fiat, in omni alia forma itidem metuenda. Inde & ſubditis facilius erit unius voluntatem conſtantem noſſe & ſequi, quam id fieri adſolet ubi multi imperio præſunt, quorum aliis alia placent. Denique etiam cæteris paribus unus facilius opibus theſaurisque ſui ſimilium exemplo augeri & expleri poteſt, quam plures aut admodum multi. Ideo & minora levioraque erunt tributa ſolvenda, quam ubi multo plures ſunt ſatiandi; & florentiores opulentioresque fieri poterunt illi, quibus eſt parendum.

§. 13.

Virtutum facilior tutela in monarchia.

Cum a populo inprimis plebejo, cujus maxima eſt pars, vexari ſoleant nobiliores & virtute præſtantiores, quibus ſe propter multitudinem & potentiam merito præferendos putant plebeji; Monarcha autem probus, majeſtate & imperii & poten-

potentiæ gaudens, animadvertit opus ſibi eſſe ad bene imperandum viris, ſcientia, prudentia virtutibusque reliquis præſtantiſſimis (§. 742. *P. I. Polit.*): majus virtutibus decus emolumentum & præſidium paratum & præſto eſt in monarchia genuina, quam in populari ſtatu. Quando in ariſtocratia ſucceſſoria ratio non habetur niſi optimatum proſapiæ (§. 218. *P. VIII. Jur. nat.*), cæterorum virtus pariter vix ac ne vix quidem emergere pro meritis poterit, ſed intra inferiora ſubſiſtere cogetur; ac ſi in electione optimatum vel populus, vel optimates affectibus indulgeant (§. 214. *ibid.*), quod facilius inter multos aliorum exemplo ſeductos ſeque mutuo tuentes irrepit, quam ſi in unum ſolum omnis culpa rejicienda eſſe intelligitur. *Cæteris igitur paribus in genuina monarchia facilius virtute præſtantiores quicunque emergere tutioresque ab injuriis eſſe poterunt, quam in alia civitatum forma.*

Notavit illud ipſum ſuo jam ævo verſatiſſimus in Græciæ civitatibus *Ariſtoteles L. V. Pol. cap. 10.* ubi regia inquit, poteſtas pro tutela præſtantium virorum contra populum reperta eſt &c. Tyrannus vero a populo & multitutine originem habet contra nobilitatem (επι τȣς γνωριμȣς), ne populus illi poſtponatur, vel injuria afficiatur.

§. 14.

Cur monarchia cæteris facile diutius perennet.

Facilior eſt monarchiæ diuturnitas & perpetuatio, quam cæterarum civitatis formarum inprimis ſi monarchæ recte imperent. In monarchia enim ſummum imperium totumque eſt penes unum (§. 133. *P. VIII. Jur. nat.*). Qui dum ſuis partibus recte fungitur ſecundum Dei exemplum (§. 737. *ſeq.* & 744. *P. I. Polit.*) & quemadmodum ſibi imperari vellet, omnium bonorum ſibi conciliat amorem & benevolentiam, qui propterea ipſi potius quam pluribus ſive in ariſtocratia, ſive in democratia ſubeſſe malent. Tantum ergo abeſt, ut ab his quidquam habeat metuen-

tuendum, ut potius, ſi erga omnes talis ſit, qualis eſſe debet, omnium præſidio & viribus undique tectus ſit & munitus. Præterea ſi qui ſint nefarii in civitate ipſi inſidiantes, vel ſi qui hoſtes extra civitatem inſurgant, ſumma, qua abundat potentia recte utendo, bonorumque auxilio, illis compeſcendis profligandisque abunde par erit. Continuando igitur moderationem imperii tam proficuam, et regi bene conſultum erit, & ipſi ſubjectis, ideoque ſtabilis erit monarchia (§. 198. *P. I. Polit.*), eoque ſtabilior & diuturnior (§. 199. *ibid.*), quo magis illa diuturna conſuetudine inolevere & in alteram quaſi abiere naturam, & quo certius abſunt internæ externæque mutationis expetendæ cauſæ (§. 10-13.).

In hunc ſenſum ſcripſit dudum *Ariſtoteles*, Politicæ conditor, *L. V. Polit. c. 11.* de regnis agens: optime conſervantur regna, ad moderatiorem rationem ea perducendo. Quanto pauciorum eſt poteſtas omnis, tanto majori tempore neceſſe eſt illam durare. Nam & ipſi, qui præſunt, minus ſuperbiunt herili imperio, magisque moderati & æqui ſunt (§. 601.); & qui reguntur, invident minus. Propter hoc apud Moloſſos longo tempore duraverunt reges, & apud Lacedæmonios, quod ab initio ſtatim rite fuit diviſa. Potuiſſet quoque contendere univerſim, modo rex ſuis partibus vel ipſe vel aliorum ope recte fungatur. Nam & uſus imperii æquiores mitioresque facere ſolet monarchas ſuæ laudis ſtudioſos officiique memores, & jus regendi exploratius eſt, ſive ſucceſſione nitatur, ſive electione, recteque conſtitutis omnibus, nemo alius ſibi quidquam juris in monarchiam arrogare poteſt. Hinc diuturna admodum fuere regna & antiquorum temporum & noſtrorum, ut hoc ſolum intuens de veritate hujus monarchiæ prærogativæ incertus nequeat manere.

Præceptum ita imperandi, uti ſibi vellet præeſſe alios, ſi ipſe eſſet ſubditus, vel conſiderandi, quid ſibi fieri vellet, ſi ipſe eſſet ſubditi loco, fluit ex regula generali, ita imperandi, ut Deus imperat, & ut monarcha talis ſit, qualem Deum in ſe velit eſſe (§.

740. *P. I. Polit.*). Hoc Mæcenas Augusto suasisse fertur a *Dione Hist. rom. Lib. LII. non procul a fine*, hæc verba faciens: unum dicam, quod caput est, & summa omnium eorum, quæ vel dicta sunt, vel dicenda restant. *Si hæc tua sponte omnia egeris, quæ velles alium in te habentem imperium agere; nulla in re peccabis*, omnia prospere conficies, vitamque exinde & suavissimam & diutissimam duces. Qui enim non patris, ac servatoris loco te omnes & suspiciant & diligant quum viderint te modestum, vitæ integræ, bello ac pace præstantem? Quum neminem contumelia, neminem injuria afficies, sed velut æqualem in ipsos te geres; quum ab aliis pecuniam non exiges, ipse divitiis abundans; quum non alios affligens, luxuriaberis ipse; quum non alios castigans, ipse libidini indulgebis; sed in omni re tuam vitam ita ages, ut vivere ipsos cupis? Eo fretus præsidio, quod in te ipso si neminem læseris habebis, crede mihi, neminem tibi infestum futurum, neque periculum creaturum. Quod cum ita sit, vitam necessario jucundam ages. Quid enim dulcius, quid felicius, quam cum virtute omnibus humanis bonis fruentem, iisdem quoque alios impertiri posse?

§. 15.

Expeditior datur in Monarchia rerum consultatio exsecutioque.

Consilia rerum agendarum, eorumque exsecutio, in monarchia multo sunt promtiora & expeditiora, quam in alia civitatis simplicis forma. Regis enim ad notitiam undique e regno perferuntur, quæ intus & extus geruntur aut præparantur. Regi vero semper præsto sunt consiliarii, ut si ipsorum opus esse ducit consiliis illico convenire & consulere in medium possint (§. 742. *P. I. Polit.*). Quare aut ipse per se consilium, ubi opus, ex arena capere; ubi vero deliberatione opus confestim ad manus habet administros, quorum ope & in consiliis & in eorum exsecutione pro imperio promte uti possit (§. 743. *ibid.*). Promta igitur & expedita habentur in Monarchia consilia, quæ vel subito ex tempore vel repente unius arbitrio capi, & capta pro imperio exsecutioni dari possunt expeditissime, quod quantum in re-

(*Wolfii Politicæ P. II. C. I.*)

cessu habent, nulla indiget admonitione. In Aristocratia vero & democratia nec tam promte convocari, nec convenire, sententias dicere & consentire inter se poterunt, quorum est jus suffragandi. Quod eo erit liquidius, quo laxior & amplior est sive aristocratia, sive democratia. Vnde & sanctiori opus esse senatu (§. 625. *seq. P. I. cit.*) & vel uni committendum esse imperium periculo id exigente docuit (§. 727. *ibid.*). Quæ multo magis in democratia requiri, per se liquet. Celeritas igitur in consiliis capiendis expediendisque peculiaris monarchiæ tribuenda perspicitur.

Consilium, inquit *Hertius Elem. prud. civ. P. II. Sect. 4. §. 1.* heic est in promtu, neque necessarium, ut conventus habendi tempus aut locus indicatur ad consultandum. At ut idem sit omnibus propositum, difficillimum est in imperio plurium. Eorum quisque in consilio de rep. dicendo suam considerat fortunam, pauci respiciunt communem. Quam unus secundam, eam sæpe alter adversam censet. Hinc conatus in contraria, solo haud raro odio illius partis, cujus consilia videntur suspecta, vel inimica & invisa. Vtut horum nihil accidat, tamen ipso humani ingenii vitio evenit, ut ferme suam quisque sententiam existimet optimam, eamque cupiat prævalere. Vnde fit, quod *Livius* notat, ut tendendo ad sua quisque consilia, aperiant ad occasionem locum hosti. Accedit, quod de Germanis memorat *Tacitus de moribus German. c. 11.* ex libertate vitium, quod interdum non simul nec jussi conveniant, sed alter & tertius dies cunctatione coëuntium absumat. Maximi momenti est hæc celeritas publica negotia bene gerendi, in observanda opportunitate rerum bellicarum, velitandi, præliandi, obsidendi, excurrendi, inducias fœdera & pacem pangendi, & similia perpetrandi quæ moram non patiuntur.

§. 16.

Arcanorum optima cu-

Arcanorum reticentia in Monarchia multo est facilior tutiorque, quam in alia simplici civitatis forma. Non enim opus est, nisi uni-

unius silentio & taciturnitate, cujus maxime interest, ista occultari. Sed is ipse est monarcha, solus sui sibi consilii conscius, solus ipsius arbiter. Quod si nemini dicit, nemo id divinare, nemo aliis prodere potest; ipsis quoque consiliariis, si vel consulti fuerint, ignorantibus, quid placeat monarchæ, nisi id ipse dicere velit. Quæ omnia secus habere in Aristocratia & democratia, vel inde constat, quia nihil in his concludi potest nisi quod saltem major suffragiorum numerus palam exhibitus approbavit Quare conficitur, secretius consilia arcana, eorumque expeditionem, fieri non posse quam in monarchia. *stos monarchia.*

Compertum est unicuique, unius taciturnitatem & facilius & certius dari, ubi ea opus est, quam ubi plures habentur illius rei arbitri, quorum alius hunc, alius alium arcanorum suorum participem facit variis de causis, inprimis si ea non ut sua, sed vel ut communia, vel ut aliorum inventa considerat, suis, uti opinatur, postponenda. Semper igitur tutiora sunt arcana, quæ unius, ut in nostro casu, monarchæ animo continentur, nec ipso invito eodem elabi possunt. Inprimis ergo belli tempore multum in recessu habet ejusmodi taciturnitas, qua tutissime cavetur, ne hostis improvisa consilia prævertere aut eludere possit.

§. 17.

Potentia quoque in monarchia facilius servatur & augetur, quam in alia simplici forma. Eo enim major aptiorque fini suo censenda est civitas, quo major est illius potentia, reliquis nempe paribus (§. 100. *P. I. Polit.*). Sed in monarchia præsertim hæreditaria & patrimoniali Monarcha suum patrimonium conservare & augere eo magis studebit, quo minus ea in re impediri a quoquam potest (§. 686. & 713. *ibid.*). Quia potentia redit ad opulentiam & armatos viros virtutis & fidei probatæ (§. 69. *Juris Gent.*): per se claret, nemini, quam Monarchæ, expeditius esse procliviusque, auro & argento ex fodinis *An major potentia in monarchia?*

dinis eruto, aliisque reditibus, ſecundum leges parſimoniæ rite adminiſtratis, theſauros parare immenſos, & copias alere militares exercitatiſſimas ac quotannis luſtratas, quibus & domi omnia tuta præſtare, & hoſtes arcere, amicisque ſuppetias validas ferre poſſit. Quæ in Ariſtocratia & democratia ita fieri non poſſe, vel ex multitudine eorum, qui ſummæ rerum præſunt intelligitur, quorum nemo ſummum imperium ſpectabit aut ſpectare poteſt, ut ſuum peculium, neque ideo communis rei cauſa adeo vel pariter ut ſuæ erit intentus.

§. 18.

Quid palmæ pietas monarchæ afferat?

Neque ſilentio transeundum eſt, monarchæ religionem pietatemque ſinceram plurimum integræ civitati prodeſſe, cum rarior ſit multorum aut plurimorum pietas æqualis. Etenim Monarchæ ſtudendum eſt, ut ſubditi ſint virtute, inprimis pietate præditi (§. 456. *ſeq P. VIII. Jur nat.*). Sed hoc ipſum eos non melius, quam ſuo exemplo docere poteſt, eosque ſimul eodem ad earum virtutum ſtudium excitare debet (§ 639. *P. I. Jur. nat.*). Quum vero ad regis exemplum ſe componere ſoleant quotquot eidem placere in aula ſtudent & extra illam; facile religio, pietas & virtus regis, cum fama ipſius, incitant placituros regi, ut illum imitari ſtudeant (§. 1003. *P. VIII. Jur. nat.*). Sed nemo facile regi diſplicere cupit. Ideoque omnes ad imitandum ipſum pro virium modulo incumbent. Atque ſic unius religio & pietas plurimorum accendet perficietque pietatem & religionem Quod in aliis civitatum formis ab unius exemplo ita ſperari non poſſe, per ſe lucet. Neque in iisdem facile vel omnes vel plerique eodem pietatis ardore flagrabunt, ac tantumdem proderunt civitati. Relinquitur ergo Monarchæ ſinceram religionem, pietatem, virtutemque generatim, plus prodeſſe civitati & efficaciorem eſſe regio exemplo ob

regis

regis majeſtatem, quam idem vel unius exemplo vel & plurium in reliquis formis ſimplicibus fieri conſuevit aut poſſit.

Olim uſurpatur *Claudiani* illud: *regis ad exemplum totus componitur orbis.* Ita *Vellejus L. II. c. 126.* ait: facere recte cives ſuos, princeps optimus faciendo docet, cumque ſit imperio maximus, exemplo major eſt. Et *Plinius in Panegyr. Traj. c. 25.* Vita principis cynoſura eſt, eaque perpetua. Ad hanc dirigimur, ad hanc convertimur. Nec tam imperio nobis opus quam exemplo; quippe infidelis recti magiſter eſt metus. Melius homines exemplis docentur, quæ inprimis hoc in ſe boni habent, quod approbant, quæ præcipiunt fieri poſſe. Idem fuit Davidis inſtitutum *Pſalm. CI. 4. ſeqq.* edicentis: animus perverſus recedat a me, improbum odi. Calumniantem clam alios, exſcindam; elatum oculis & tumentem animo ferre non poſſum. Oculi mei attendent ad integerrimos, ut conſideant mecum: non niſi recte agentes mihi miniſtrabunt. Non habitabit mecum doloſus, mendaces a conſpectu meo amovebo. Semper operam dabo ſceleratis exſcindendis & a civitate Dei longiſſime arcendis. Imperfectius Mæcenas ad Auguſtum apud *Dionem Lib. 52.* ait: Deos ſemper & ubique ita cole, ut moribus patriæ receptum eſt, ad eundemque cultum alios adducas.

§. 19.

Monarchiæ convenientia cum natura & pace.

Sunt, qui monarchiæ majorem cum natura rerum convenientiam, pacemque & tranquillitatem feliciorem non abs re urgent. Vniverſo enim unus præeſt Deus; domo unus paterfamilias, armentis, gregibus, gruibus, canibus venaticis unus ſolet eſſe dux, unus cœlo ſol, unum animalibus cor, anima unica, apes unam ſequuntur reginam &c. Civitates quoque omni ſæculo plures fuerunt regiæ, quam vel ariſtocratiæ vel democratiæ, hiſtoria teſte. Præterea in magna rerum publicarum perturbatione, & pacis recuperandæ cauſa ſæpe reliquæ ſimplices civitatis formæ confugere ad unius imperium tantiſper adſciſcendum (§. 15.), tanquam ad ſacram anchoram conſueviſſe, Græciæ ſtrate-

tegorum seu belli prætorum, romanorumque dictatorum exemplis, nemini ignotis docemur. Vnde pacis recuperandæ aeque ac melius conservandæ inservire monarchiam inprimis hæreditariam, aut prorsus patrimonialem, planum est.

Sic *Sallustius Catilin. c. 2.* Periculis demum atque negotiis compertum est, in bello plurimum ingenium posse. Quodsi regum atque imperatorum animi virtus in pace ita, ut in bello valeret, æquabilius atque constantius sese res humanæ haberent, neque aliud alio ferri, neque mutari, atque misceri omnia videres. Nam imperium facile iis artibus retinetur, quibus initio partum est. Verum ubi pro labore desidia, pro continentia & æquitate lubido atque superbia invasere: fortuna simul cum moribus immutatur. Romæ, inquit *Florus L. IV. c. 3.* in tanta perturbatione, summa rerum rediit ad Octavium, qui sapientia sua atque solertia perculsum undique & perturbatum ordinavit imperii corpus: quod ita haud dubie nunquam coire & consentire potuisset, nisi unius præsidis nutu quasi, anima & mente regeretur. *Asinius Gallus* ad Tiberium, non ideo, inquit, se interrogasse, ut divideret, quæ separari requirent, sed ut sua confessione argueretur, unum esse reip. corpus, atque unius animo regendum *Tacit. Annal. I. c. 12.* Idem *Tacitus Annal. I. c. 9.* refert, non aliud discordantis patriæ remedium fuisse, quam ut ab uno regeretur. Plura hanc in rem habet *Bodinus de rep. L. VI. c. 4.*

§. 20.

Incommoda Monarchiæ recensentur.

Incommoda Monarchiæ sunt, ipsa *mors principis*, magnam sæpe rerum conversionem afferens; novi successoris mores, nova instituta, novæ leges, aliaque *novitatis studia*; *electilis monarchiæ interregna*, & conjuncta cum his pericula, aut *electio scissa plurium*, bello de victoria concertantium; successoriæ Monarchiæ *lites de successione*, & bella ac cædes inde obortæ, anarchia nonnunquam hæredibus idoneis deficientibus; Monarchæ interdum *senectus effœtu* & imperio impar; relictorum sæpe in-

fan-

fantium aut imperii impotum *tutela & curatela controuersa aut periculosa; educatio orphanorum regiorum perversa; eorundem de imperio deturbatio aut sublatio; administri principis, aut fortis belli ducis perfidia* in regno sibi arrogando; *difficultas* in tanto fastigio *imperii suimet ipsius; indulgentia erga affectus pravos; corruptio in contubernio* exoletorum adulatorum, feminarum lascivarum, ambitiosarum, sordidarumque; *degeneratio bonorum principum* ex variis causis; *bellandi & inclarescendi libido* & ambitio effrænis; *abusus imperii summi in aliorum injuriam*; ipsa denique *atrocitas imperii in subditos desæviens*, quæ tyrannis dici consuevit.

Mutationes ait *Plato Lib.* 7. *de Rep.* in monarchia sæpe exsistunt, sive meliores succedunt, sive deteriores, addo, sive prioribus pares similesque. Solo priori casu mutationes ad salutem publicam faciunt: reliquis aut omnino, aut facile eidem repugnant. Insitum enim quodammodo principibus est, ut novitati studeant, qua sibi nomen & memoriam conciliare student, saltem se distinguere quantum possunt, ab aliis conantur. Quoties igitur novatio aberrat a salute omnium, toties male consulitur regno. Quis nescit, quomodo Trypho regnum Syriæ sit adeptus, aut Ludov: Sfortia cæso pupillo, matrem sibi & imperium desponderit? Vt innumera exempla alia taceamus, quæ & vetus & recentior historia exterorum notavit. Conf. *Bodinus de Rep. L. VI. c.* 4. His incommodis quomodo ipsa Monarchiæ constitutione medendum sit, intelligi potest ex *Politicæ Parte prima.* Hic de iis remediis dicendum restat, quæ a temperatione & mistura proficisci possunt.

§. 21.

Quot modis monarchia temperari possit?

Temperari monarchia potest trifariam, scilicet tum ope aristocratiæ, tum ope democratiæ, tum ope utriusque. Temperari enim dicitur monarchia, dum adjuncta alia homogenea limitatur (§. 3.). Limitari autem uti omne ita & monarchicum imperium dicitur, quum ejus exercitium legibus adstringitur in iis,

quæ

quæ ſemper eodem modo fieri poſſunt; ad ea vero, de quibus non niſi ex præſenti tempore judicium fieri poteſt, ſintne e re civitatis, nec ne, conſenſus vel univerſi populi, vel certorum quorundam ex populo, veluti optimatum, requiritur (§. 74. *P. VIII. Jur. nat.*). Si exercitium imperii limitatur legibus a toto populo præſcriptis, & in gravioribus univerſi populi conſenſu opus eſt; monarchia limitatur ope democratiæ. Si Leges quædam cardinales monarchæ præſcribuntur ab optimatibus, in quos populus hoc jus contulit, & in gravioribus ex tempore præſenti definiendis, non niſi optimatum conſenſu opus eſt; monarchia limitatur ope Ariſtocratiæ. Denique ſi alia ab univerſo populo, alia ab optimatibus cum rege gerenda ſunt negotia publica, ut ſine eorum conſenſu nil tale ſtatuere poſſit, utroque modo, hoc eſt & ope Ariſtocratiæ & ope democratiæ limitata erit monarchia. Trifariam igitur temperari Monarchiam poſſe, omni majus eſt exceptione.

Idem & ſic oſtendi poteſt: mixta resp. in aliis ad monarchiam, in aliis ad ariſtocratiam, & in aliis ad democratiam accedit. (§. 138. *P. VIII. Jur. nat.*). Quare ſi prævalet monarchia, ut mixta ab ea appellanda ſit (§. 315. *P. I. Polit.*), regnum temperatum vel erit ſic, ut in aliis ad monarchiam, in aliis vero ad ariſtocratiam accedat; vel ut in aliis primario cum Monarchia, ſecundario cum democratia conveniat; vel ut cum utraque certo modo ſit conjunctum. Hinc dici poteſt monarchia biformis, vel triformis; & prior vel erit ariſtocratica vel democratica. Biceps aut triceps non ſatis appoſite diceretur.

§. 22.

Monarchiam temperandi modus generalis.

Modus generalis temperandi monarchiam vel regnum requirit, ut commoda monarchiæ evadant certiora ac ſtabiliora, ut augeantur commodis formarum adjunctarum, ideoque quotquot in electo temperamento haberi poſſunt commoda, ſimul obtineantur & ſemper; incommoda autem & monarchiæ & adjunctæ formæ ſimul & ſemper arceantur, quam

opti-

optime fieri queat. Vniverſæ nimirum ſapienti temperationi nihil eſt convenientius, quam ut commoda miſcendarum rerum publicarum ſimul in eadem civitate habeantur, ut eadem firmisſime ſtabiliantur augeanturque quantum fieri poteſt (§. 7.). Proinde temperanda ſapienter Monarchia alium in genere modum temperationis non admittit, quam talem, quo ejus commoda (§. 10. *ſeqq.*) expoſita, quantum fieri ſalva temperatione ſapienti poteſt, conſerventur ac certiora ſtabilioraque reddantur, item quo augeantur in biformi commodis formæ adjunctæ eidem, aut in triformi formarum ipſi adjunctarum, ut quotquot in ſapienti temperamento haberi poſſunt commoda, ea ſimul & conſtanter obtineantur.

Quoniam vero ſapienti rerumpublicarum temperationi ſimul ineſſe debet evitatio incommodorum quam optima, tum quatenus illa ſimul dari poteſt, tum quatenus firmiſſime eſt ſtabilienda, & ſubinde augenda (§. 8.): manifeſtum eſt conſequens, in monarchia quoque ſapienter temperanda operam eſſe navandam, ut incommoda & Monarchiæ (§. 20.) indicata, & in biformi adjunctæ eidem formæ, in triformi vero adjunctarum eidem formarum, ſimul et ſemper, quam optime fieri queat, arceantur declinenturque.

Apparet oppido, ſpecialem temperiei politicæ rerumpublicarum modum dari non poſſe, antequam & cæterarum civitatis formarum commoda pariter atque incommoda fuerint in medio poſita. Vnde hæc prius erunt perluſtranda, quam ad diſtinctiorem explanationem temperationis progreſſus fieri queat.

§. 23.

Commode junguntur in ſalutem Ariſiocratiæ plu-

Ariſtocratiæ genuinæ, vel quæ dari poteſt optimæ, commodis accenſendæ ſunt plurium virtutes inſignes in ſalutem publicam conſpirantes ſeu conjungendæ. Ariſtocratia enim genuina ea eſt civitatis forma, in qua ſummum imperium eſt penes præſtantiorem civi- (*Wolfii Politicæ P. II. C. I.*)

rium virtutes insignes. um cœtum seu partem h. e. penes optimates (§. 135. *P. VIII. Jur. nat.*), ideoque penes eos, quorum virtutes junctim sumtæ publico sufficiunt imperio (§ 296. *P. I. Polit.*). Requirit ergo Aristocratia in civitate plures revera cæteris virtute antecellentes, quorumque virtus sit explorata (§. 603. *ibid.*), eorundemque constantem ac perpetuam voluntatem publica negotia quam optime expediendi (§ 604. *ibid.*). Hæ ergo virtutes insignes plurium optima sunt salutis publicæ adjumenta (§. 7.) & commoda Aristocratiæ præcipua (§ 464. *P. I. Jur. nat.*) & §. 601. *seqq. P. I. Polit.*) Merito igitur Aristocratiæ genuinæ commodis primo loco accensendæ sunt insignes plurium virtutes in salutem publicam consequendam quam optime conjungendæ.

§. 24.

Et studia illas adipiscendi perficiendique. *Viget in Aristocratia genuina studium excolendi perficiendique civium complurium virtutes.* Etenim ad commoda Aristocratiæ referendæ sunt plurium virtutes in salutem publicam promovendam conjungendæ (§ 23.). Illæ virtutes autem non nascuntur cum hominibus sed sunt arte & industria adquirendæ (§. 323. *seq. P. I. Phil. pract. univ.*). Præstat autem Aristocratia genuina prorsus egregia ad virtutum culturam incitamenta (§. 606. *P. I. Polit.*), ideoque & artes virtutem docentes fovet, & industriam exercendi easdem acuit efficitque necessariam & amabilem. Viget ergo in Aristocratia genuina studium indefessum excolendi perficiendique civium complurium virtutes, & provocat illa habilium ingeniorum stimulos cum intellectus, tum voluntatis habitus salutis publicæ & privatæ causa adquirendi, perficiendi subinde augendique, ut perspecti evadant aliis & explorari (§. 603 - 605. *P. I. Polit*).

Potest quidem & privata educatio calcar addere ingeniis per se pronis ad vim ingenii sui exserendam; sed tam valida dare nequit incitamenta, ac Aristocratia, uti ostensum (§. 606. *P. I. Polit.*).

Polit.). Quod Monarchia in familia regia ſolum præbet calcar ad excolendas virtutes, hoc Ariſtocratia porrigit extenditque non tantum ad omnes optimatum familias, ſed & ad illos, qui ſua virtute emergere poſſunt & cupiunt optimatum numero adjungi. Quod in democratia ideo ſic fieri nequit, quia non omnium nec plurimorum eadem eſt habilitas ingenii, nec aliis laboribus plurimi ſe ſubducere poſſunt, qui ad diverſa victus genera itidem ſunt neceſſarii, nec ob multitudinem populi eadem aut paria præmia, ac optimates, ſperanda habent, quæ maximi ſunt ponderis in hacce virtutum cultura perficienda.

§. 25.

Ariſtocratia optimos cives multiplicat & compenſat.

Peculiari gaudet Ariſtocratia inſtituto, optimos cives complures conſequendi & ampliſſimis præmiis condecorandi. Viget enim in Ariſtocratia ſtudium excolendi perficiendique civium complurium virtutes (§. 24.). Hoc ipſo autem ſtudio dum virtutes excoluntur & perficiuntur, complures aptantur, ut optimi cives evadere poſſint. Simul etiam præmia tam inſignia, ut vel optimates, vel aliis muneribus lautis præfecti fieri queant, ſtudium illud acuit & conſervat, ut multi certatim eniti ad conſequenda illa auctoramenta pergant (§. 606. *P. I. Polit.*). Sic & optimatum & ſubditorum præſtantia, cultura & exemplo promovetur (§. 610. *ibid.*). Gaudet itaque Ariſtocratia peculiari & præcipuo quodam inſtituto, optimos cives perplures conſequendi, augendi, præmiisque ampliſſimis condecorandi.

§. 26.

Vti defectus humani aptiſſime ſuppleantur.

Hoc pacto ſuppletur id aptiſſime, quod uni alterive deeſt in iis, quæ ad bene imperandum requiruntur. Commendari enim meretur Ariſtocratia a proprio ſibi inſtituto optimos cives formandi & multiplicandi; dignisque merentes præmiis condecorandi (§. 25.). Quia & ingenia humana multum differunt, & aliis aliæ conceſſæ ſunt dotes naturales; & cultura quoque aliorum plurimum variat, cum ratione docentium, tum diſcentium indu-

ſtriæ & exercitationis: fieri omnino nequit, ut unus omnia calleat, licet ſuas ingenii dotes quam optime excoluerit. Monarcha igitur nequit omnia, quæ in homines cadunt, & in imperio publico tenenda ſunt & exercenda, vel noſſe vel cunctis per ſe agendis par eſſe, ſed indiget plurimorum aliorum ope & miniſterio (§. 742. *ſeq. P. I. Polit.*). Jam quidem iſto ſubſidio ſuppletur, quod monarchæ deeſt, ſed ita ut non deſint exempla eorum, qui abuſi ſunt iſto miniſterio, vel ad exuendum monarcham regno, vel ad ipſi & regno valde nocendum, privati ſtudio emolumenti. Cum enim iſta negotia aliena eſſe intelligant miniſtri, facile pravitas inſpirat cupidinem, iſta utcunque fieri poteſt, ex toto, aut ex parte ſua faciendi. Aptior igitur is erit modus defectum unius optimatis A. per dotes alterius B. ſupplendi, qui idem imperium æque ad ſe referre poteſt, ac quivis alius. C. vel D. vel A, cujus dotes viciſſim id imperio rite exercendo ſubminiſtrant, quod ipſi B deeſt. Hic ergo ceſſant rationes ſummum imperium conſiderandi ut alienum, idque ſuum faciendi, quod ſuum jam eſt, aut alienas dotes ingenii ſibi arrogandi, quod fruſtra affectari & ridiculum eſſe ignorare nequit. Aptiſſime igitur defectus unius optimatis ſuppletur per aliorum optimatum dotes, ne quid ſummo imperio bene aut quam optime gerendo in imperantibus deſit.

Ob rationes ad §. 24. notatas iterum de democratia idem dici nequit, quod hic Ariſtocratiæ adſeruimus. Vnum forte hic quisquam excipiat, poſſe optimatem affectare monarchicum imperium, loco ariſtocratiæ, qua gaudet, ſatius ducendo, ut ſolus omnia imperare poſſit, quam, ut tantum tunc ipſius ſententia valeat, quum vel omnes reliqui vel major pars optimatum ipſi adſtipulatur Sed quidquid de hoc caſu ſtatuatur, difficilius erit id conſilium & opus in ariſtocratia, ubi multi ipſi pares imperio & viribus facilius ipſi reſiſtent, ſuaque jura defendent

eo

eo facilius quo sunt plures, quam unicus monarcha. Vnde rarius tantum facinus auderi, & multo rarius effici hic poterit ac consuevit, atque in Monarchiis.

§. 27.

Facilius est in Aristocratia pravorum, qui restant, affectuum temperamentum per alios optimates, ab ipsis liberos, quam in monarchia vel democratia. Etenim Aristocratiæ præsunt optimates (§. 135. *P. VIII. Jur. nat.*). Qui cum virtutibus præstantissimi sint in ista civitate, ut remp optime administrare possint (§. 601. 603. *seq. P. I. Polit.*), si id sunt, quod esse debent, utique debent didicisse suis imperare affectibus. Quia tamen homines sunt, fieri potest, ut unus vel alter dato in casu affectu ad nocitura reip feratur Enimvero ob diversitatem optimatum alii supererunt immunes ab illo affectu, iique plures, qui agnoscunt impetum & noxam affectus, eique resistunt pari suffragandi jure, ne erumpere affectus possit, sed ut potius in prima herba suffocetur. Id enim intelligunt sui esse officii, ne eidem indulgendo participes facti culpæ excusatione careant; & quoniam tanquam optimates eodem modo in simili casu secum agi vellent In monarchia solius monarchæ summum est imperium (§ 133. *P VIII. Jur. nat.*) eique nemo resistere potest, si suo indulgere velit affectui (§ 1041. *ibid.*).

Facilius est moderamen affectuum in Aristocratia.

Forsitan videbitur in democratia, ob permagnum populi numerum, id multo facilius fore, quam in aristocratia. Sed nequit populus quicunque, cujus maxima pars est plebs inculta, æquiparari optimatibus non nomine sed re tenus, qui cultiore animo præstare plurimis debent. Ob ruditatem igitur imperium affectuum in plebis maxima parte prævalere solet. Ideoque major pars plebis eadem ratione privata plerumque ducetur, & bono communi repugnabit, ut pauci rectius saluti publicæ intenti, non audiantur. Indole igitur & natura optimatum in populo deficiente, major numerus plerumque affectui

privato litabit, & minor publico addictus commodo negligetur: tantum abest, ut facilior sit in democratia affectuum pravorum repressio, ut potius unius in monarchia emendatio facilius sperari possit, ob majorem animi culturam.

Quod de affectibus hic statuimus, idem quoque dici potest de alio errore aut præjudicio, undecunque enato. Quod etiam inde potest deduci, quia generatim nequit eadem esse omnium optimatum natura, sed quod uni vel alteri deest, id suppletur in eorum concilio per alios, quibus id est concessum (§. 26.). Quod uti in naturalibus, ita & in iis valet defectibus, qui a neglectu culturæ plenioris oriuntur.

§. 28.

Optimates plerumque modestiores monarchis.

Major in Aristocratia plerumque popularitas & comitas erga subditos obtinebit, quam in monarchia. Ignorare enim nequeunt optimates, non singulis, sed universis tantum summum esse imperium (§. 295. *P. I. Polit.*). Inde nemo unus eorum sibi summum arrogare imperium potest, probe sibi conscius, quod majori suffragiorum numero sit cedendum, & quod omnes reliqui ipsi sint restituri, si quid contra ipsorum jura moliretur. Aequales igitur agnoscens non multum differre suam sortem a subjectorum sorte advertit. Naturaliter igitur hoc inspirat animum alienum a contemtu aliorum, qui pariter obsequi aliis obligantur, & disponit illum ad moderationem, humanitatem & modestiam erga subjectos (§ 656. *ibid.*). In Monarchia autem unius arbitrio omnia reguntur (§. 133. *P. VIII. Jur. nat.*). Quod cum nemini præter monarcham datum sit, magnum utique discrimen inter ipsum & subditos intercedit. Accedit majestas, qua unus inter omnes effulget, utiturque & fruitur solus (§. 10.). Hæc tam evidens eminentia utique longe infra ipsum subditos ponit; unde facillime eorum despicientia & vilipendium oritur, eos in statum servitutis detrudere nitens;

nisi

nisi egregia monarchæ clementia & humanitas sibi imperare maximum ducat imperii decus cimeliumque.

Posset popularitas democratiæ hic obverti, quæ ex parte & sæpius concedenda esset. Sed quia populus vix aliter agere potest quam populariter, naturalis illa potius dici posset quam moralis, quum eadem in Aristocratia & Monarchia sit mere moralis. Neque idem gradus popularitatis, quam suo loco explicavimus (§. 656. *P. I. Polit.*) in omnes cadere potest. Sufficit, si studium saluti omnium & singulorum consulendi respondeat viribus optimatum & monarcharum: quia ultra vires suas nemo obligatur. Interim faciliores illa causas ansasque habet in Aristocratia, quam in Monarchia.

§. 29.

Aemulatio virtutum præstantiorum in Aristocratia quasi propriam habet sedem, si optimates esse nituntur id, quod dicuntur. Dicuntur enim optimates, quia optimi esse & in civitate & in illius imperio debent (§. 616 *seq. P. I. Polit.*) Quales cum sine virtutibus præstantissimis intellectus & voluntatis esse nequeant (§. 603 *seqq. ibid.*): manifestum est, ipsis studendum esse, ut in virtutibus præstantissimis alii alios antecellere possint. Hæc vero concertatio in obtinendo virtutum principatu, honesta est & generosa æmulatio (§. 353. *seq. Oecon.*). Ergo æmulatio virtutum præstantissimarum insignem habet fomitem & propriam quasi sedem in Aristocratia, si optimates omni virium contentione esse nituntur quod esse debent.

Aemulationem virtutum ipsum nomen optimatum insinuat.

In democratia rudis popellus virtutis eximiæ nullam habet notionem, nullamque ejus cupidinem, cum ignoti nulla sit cupido (§. 588. *Psych. empir.*). Multo minus igitur in plebe æmulatio sublimiorum virtutum locum habere potest. Tantum abest, ut generosa virtutum inperatoriarum æmulatio in Democratia domicilium sibi quasi fixerit. Monarchiæ unus præest monarcha, sui similem, quem æmuletur, in eadem mo-

nar-

narchia non habens. Licet ergo extra illam monarchiam alii dentur monarchæ, quos æmulari liceret; rarius tamen homines remotis ita afficiuntur ac præſentibus in æmulatione præſertim, quæ non melius, quam inter præſentes accenditur et flagrat. Præterea ſi vel majores habuerint monarchæ laude digniſſimos & excellentes, tamen mortui tanquam abſentes minus flectere & provocare ad æmulationem ſolent, niſi animos generoſiſſimos, ob id ipſum ſæculorum numero longe pauciores. De eo igitur, quod frequenter fit, ſaltem cujus rationes efficaciſſimæ in forma civitatis continentur, agendo, monarchiæ ſedes æmulandarum virtutum ſublimiorem non eodem jure dici poterunt, quo Ariſtocratiæ.

Schervës inter ſe, maximique reges & imperatores æmulari poſſunt, uti conſtat eorum exemplis, qui Alexandrum M. æmulati ſunt: mirum nemini videbitur, ſublimiorum virtutum æmulationem alibi raram, hic frequentiorem eſſe & veluti naturaliter gigni inter optimates. Quod ſi cui aliunde non conſtaret, luculenter doceri poſſet exemplis celeberrimorum ſummorumque Virorum Græcorum Romanorumque. His modis etiam in Ariſtocratia obtinetur id, quod in Monarchia, ut ſcilicet optimates ita regere alios diſcant, ut ſibi alios imperare volunt, quum antequam ad imperium gerendum ipſi accedant, in aliis probare non potuerint, niſi virtutem ipſo imperio cunctis benefaciendi, & avertendi ab illis quascunque injurias aliorum. Quibus e diametro repugnaret læſio ab ipſis optimatibus illata ſubjectis ſibi. Quamobrem & optimates ad paternum erga cives animum exſerendum obligantur (§. 659. *P. I. Polit.*); ideoque & ad imitandum regimen divinum, quale illud in ſemetipſis experiri cupiunt. Hactenus præcipua Ariſtocratiæ honeſtamenta. Jam de incommodis ejus dicendum.

§. 30.

Quid ſint Ariſtocratiæ. *Incommoda Ariſtocratiæ*, tanquam impedimenta ſalutis publicæ

blicæ ex hujus formæ conſtitutione facile oriunda, diſcernere licet ab ejus *dehoneſtamentis*, quæ vitiis debentur communibus. Debentur quidem & incommoda non ipſi conſtitutioni Ariſtocratiæ, quæ ad optima quæque comparata eſt; ſed pravitati & vitiis optimatum frequentioribus, & difficulter ejiciendis aut plane evitandis. Dehoneſtamenta autem facilius evitari poſſunt citra quoque temperationem ariſtocratiæ. Quia ex hiſce notis facile diſcerni queunt expoſita, conjunctim illa recenſeri poterunt, ut, qui forte hoc diſcrimen ſupervacuum cenſeret, ſuo abundare judicio poſſit. *Incommoda & dehoneſtamenta.*

Simili modo una propoſuimus quæ monarchiam afficiunt ac dehoneſtant hominum vitia, uſitatiora plerumque in hac, quam in alia civitatum forma (§. 20.). Qui diſtinguere illa volet, ſimilia ibidem reperiet, quæ magis minusve propria dici monarchiæ poſſunt. Anarchia v. g. ibi memorata, in qua tanta eſt civitatis perturbatio, ut nullum in ea vigeat imperium obſequiumque, etiam in alias formas ejusdem cadere poteſt, quoties in iis ſecundum *Euripidem in Cyclop.* (ακȣει ȣδεν ȣδεις ȣδενος) nullus nulli in nulla re paret. Sublato enim omni imperio vel diſſociata civitate talis adeſt αναρχια, qualis fuit Syracuſis poſt mortem Dionis, vel qualis eſt ante civitatem multitudo hominum in diſſidiis & perpetuo metu malorum a ſceleratis, impendentium conſtitutorum vivens.

§. 31.

Vtinam tam rara & inaudita forent, quæ hic ſequuntur, ut intelligi non poſſent, niſi fuſius explicarentur, *optimatum diſſenſio & diſcordia*, *invidia* bona quoque præpediens aliorum conſilia, & *ſimultas*, erumpens facile in apertas factiones, ſibi invicem infeſtas & obluctantes; perverſa eminendi ſuper alios cupiditas, *ambitio & ſuperbia*, inani nitens antiquitate generis, majorum tantum gloria, aut ætate provectiori, aliisque hujusmodi vanitatibus; eo *difficilior eorum congregatio*, *Brevis recenſio incommodorum Ariſtocratiæ.*

quo ſunt plures ac a ſe invicem remotiores; *diuturnior delibera- tio* & deciſio quam res fert; naſcens inde procraſtinatio *expe- ditionis* celeritate egentis; *colluſio Duumvirorum* aut Triumviro- rum contra reliquos; *deſpicientia populi* & *afflictio* enervans, facile anſam præbens ſeditioni; *rerum communium neglectus* pro- pter res privatas; *indignorum vel ſucceſſio vel electio* ob partium ſtudium, ambitum aut corruptionem; *cenſus aut potentiæ gratiæ- que fiducia* cum neglectu virtutum; deſidia, mollities, luxus, li- bido, ferocitas proterva &c.

Quæ his obverti in ipſa ariſtocratia poſſint, explanatum eſt *P. I. Polit. cap. ult.* Quæ vero ſic tolli nequeunt, iis ſubveni- endum eſt ſapienti temperatione. De qua deinceps luculentius agendum, ut ſufficere hic poſſit generalis deſignatio modorum Ariſtocratiam temperandi.

§. 32.

Tres temperationes Ariſtocratiæ.

Temperari Ariſtocratia totidem modis poteſt, ac mo- narchia (§. 21.). Scilicet ſi duæ tantum formæ miſceantur, orietur *biformis*; ſi tres miſceantur, *triformis*. Biformis eſt du- plex. Aut enim monarchia adhibetur ad temperandam Ari- ſtocratiam, ita tamen, ne illa ſed hæc prævaleat; aut demo- cratia eidem adjungitur, præpollente tamen ariſtocratia. Illa *ariſtocratia ducali*, hæc *popularis* dici poſſet. Si autem in aliis regie, in aliis populariter temperetur, manente tamen prima- rio optimatum ſtatu, *Ariſtocratia triformis* merebitur ſalutari.

Non limitatur hic Ariſtocratia per ſe uti per leges ſucceden- di, eligendi, &c. nec ſtrictior per laxam & v. v. nec per corpus fœderatum plurium Ariſtocratiarum, ſed per additam etiam formam. Quia ſimplices civitatis formæ non habentur niſi tres (§. 298 *P. I. Polit.*): mixtio unius fieri non poteſt, niſi trifariam. Quia aut una tantum duarum reſiduarum illi adjungi poteſt, ut forma ſecundaria, aut utraque. Priori caſu biformis habetur alte- rutra, poſteriori triformis. Sed de his lucidius paullo poſt.

§. 33.

§. 33.

Democratiæ commodis nemo denegabit tantam, quanta cadere in populum poteſt in ulla civitatis forma, æqualitatem naturalem, libertatemque civilem. Tendit enim præcipua cura in democratia ad ſervandam naturalem hominum æqualitatem (§. 508. *P. I. Polit.*), eamque ad ſalutem publicam accommodandam (§ 509. *ibid.*). Hinc ope illius idem populus univerſe præeſt, ſed ſingulatim ſubeſt (§ 510. *ibid.*). Merito igitur inter commoda Ariſtocratiæ refertur tanta, quanta cadere in populum poteſt in ulla civitatis forma, conſervatio naturalis æqualitatis.

In democratia viget populi æqualitas & libertas.

Quia vero cum æqualitate naturali arctiſſime cohæret libertas civilis (§. 146. *P. VIII. Jur. nat.*), eaque in Ariſtocratia eſt maxima (§. 511. *P. I. Polit.*): omnem elidit exceptionem tanta, quanta cadere in populum poteſt, libertas civilis in Ariſtocratia, modo illius uſus fiat genuinus. Quod ſecus ſe habet in Monarchia & Democratia (§. 147. *ſeq. P. VIII. Jur. nat.*).

§. 34.

Fluit hinc major tranquillitas interna, major item immunitas a gravioribus pœnis & oneribus publicis. Notat enim tranquillitas vacuitatem a metu injuriarum (§. 11. *P. VIII. Jur. nat.*), quæ inter fines civitatis non poſtremum occupat locum (§. 13. *ibid.*). Quatenus injuria omnino a ſceleratis hominibus in civitate removeri nequit, ſpes tamen indubia injuriæ reparandæ, quousque fieri poteſt, animos reddit tranquillos, ut minus ab ea metuant. Recte igitur ſe habens Democratia unicuique civi tantum tribuit immunitatis ab injuria aliorum in civitate degentium, quantam unusquisque ſuo ſuffragio, conſentientibus procul dubio omnibus concivibus, ejusdem tranquillitatis non minus cupidis, optare & ſancire vult. Id quod in reliquis civitatum formis diſpari ratione comparatum eſſe, nemo ignorat,

Major tranquillitas & immunitas a pœnis, oneribusque.

rat, cum in ariſtocratia ab optimatum, in monarchia a monarchæ arbitrio unice cura tranquillitatis dependeat.

Qui de pœnis in ſe ipſos ſtatuendis ſuo utuntur arbitrio, illi non ſolent graviores præferre levioribus, ſed indulgentia humanitatis naturali has anteferre gravioribus, ubicunque id fieri quodammodo poteſt; niſi plane remittere eas & veniam dare poſſint, niſi experientiæ fidem derogamus. In ſola democratia de pœnis populo deſtinandis ipſe decernere populus conſuevit, cum in monarchia id jus ſit monarchæ, in Ariſtocratia optimatum (§ 832. 208. & 246. *P. VIII. Jur. nat.*). Ea propter in democratia majorem dari a pœnis gravioribus civium immunitatem, ambigi nequit.

Quia ſuperiori in civitate jus eſt, onera imponendi exigendique non ordinaria tantum, ſed & extraordinaria (§. 925. *P. VIII. Jur. nat.*); & in democratia ſuperior eſt populus univerſus (§. 142. *ibid.*): facile apparet, quia nemo ſe ipſum fruſtra onerare cupit, in democratia populum a ſe amoliturum eſſe omnia onera, quæ non deprehendit ſumme neceſſaria eſſe. Quo judicio, quænam ſint ſumme neceſſaria, quæ minus, cum populus careat in Ariſtocratia & monarchia (§. 143. *ſeq. &* 133. *ibid.*): evidentiſſimum eſt, in ſola democratia tantam, quanta haberi in civitate poteſt, immunitatem ab oneribus publicis ſedem propriam habere.

Quando de his loquimur veluti democratiæ privilegiis, vix admonendum videtur, ſubaudiri democratiam genuinam legitimamque, cum in corrupta & negligente officii ſui res multo aliter habere poſſit. Nonne in ochlocratia ſceleratorum colluvies omnia civium jura maxime intuta reddere, innocentes ſibi adverſos plectere, ſibi vero omnium ſcelerum impunitatem ſumere vi poteſt?

§. 35.

Major ſecuritas a bello.

Neque minus ſecuritas a bello haud facile major habetur, quam

in

in recte comparata democratia. Populus enim amat immunitatem ab oneribus vel ordinariis, quæ non esse summe necessaria videt, multo magis igitur abhorret ab oneribus extraordinariis (§. 34.). Enimvero in bello reip. defendendæ causa sumtus extraordinarii requiruntur, ideoque & onera extraordinaria imponenda sunt & exigenda (§. 780. *P. VIII. Jur. nat.*). Si ergo vel hæc sola tantum in bello metuenda essent, populus ab illis vehementer abhorrens, pacem malet servare, quam suscipere bellum, nisi extrema urgeat necessitas. Quo plures igitur sunt in populo pacis amantes, & belli odio affecti, (ecquis vero facile aliter sentiet nisi facinorosus, detestationi cæteris futurus?) eo certior majorque habebitur in democratia immunitas a bello, præsertim offensivo, item & defensivo, quamdiu non obstat durum extremæ necessitatis telum. Non alibi ergo major habetur securitas a bello, quam in recte comparata democratia.

Quod multo liquidius perspicietur, si reminiscemur, bellum decreturos non posse non ob oculos habere incertum illius exitum, devastationes, cædes, incendia, truculentiam, calamitates innumeras maximasque conjunctas cum metu servitutis & reip. eversionis, & reliqua, de quibus dictum est (§. 482. *P. I. Polit.*). Ea enim consideratio & prudentia civilis requirit, ut vel data justissima belli causa, abstinendum tamen sit a bello, cujus postea pœnitere posset (§. 503. *ibid.*), inprimis si alia non favere intelliguntur, quæ ad felicem belli exitum haud parum conferre possunt (§ 504. *ibid.*).

Si quis populum opponere his vellet bellicosum, cujus maxima pars bellandi cupiditate flagraret, is immemorem se ostenderet ejus, de qua agimus, democratiæ, quam per se formam esse legitimam ex ejus perspecta indole liquet (§. 248. *P. I. Polit.*). Quam tamen majoris perspicuitatis causa in hoc effato diximus recte comparatam. Aberrantem enim aut prorsus degenerem

 statum

ſtatum popularum talis populus quidem conficeret (§. 299. *ſeqq. ibid.*), nequaquam democratiam genuinam.

§. 36.

Requiritur in democratia populi conſenſus liber.

Quia in democratia imperium ſummum totius eſt populi (§. 131. *P. VIII. Jur. nat*) & genio populi in civitatem coëuntis nil magis arridere ſolet quam ut imperium ſibi retinere, & ſe ipſum regere poſſit (§. 132. *ibid.*): negotia publica in illa agitari nequeunt, niſi a populo univerſo, ſive per ſe, ſive per alios, quibus eadem agenda committit (§. 171. *ibid.*). Enim vero in utroque caſu opus eſt, ut populus in ea, quæ fieri debent diſtinctè diſerteque conſentiat, ſaltem ex parte majori (§. 195. *ibid.*). Cogitur inde, *ad gerenda publica negotia in democratia adhibendum eſſe ſi non omnium, ſaltem partis majoris populi conſenſum liberum, vel prævia cauſæ cognitione libere dandum denegandumve.* Quod in cæteris civitatum formis minime requiri, controverſia caret.

Dici quidem poteſt, quemadmodum in omni ſocietate ſociorum conſenſu opus eſt ad ea, quæ ibi ipſius nomine fieri debent, ſtatuenda & peragenda: ita quoque in omni civitate opus eſſe populi conſenſu ad publica negotia peragenda. Sed quis neſcit, quantum diſcrimen intercedat inter conſenſum, quem quispiam ſemel dat ad omnia ratihabenda, quæ ipſius procurator in cauſa forenſi geſturus eſt, cujus peritiam, dexteritatem & uſum fori ipſe ignorat; & inter eum, qui procuratori omnia dictat & præcipit, quæ ipſius nomine in foro ſunt proferenda? Majus hoc ipſo diſcrimen intercedit inter populum in democratia & ariſtocratia; qui ibi ipſe imperat, quæ fieri debent, hic ſolam obſequii gloriam ſibi habet relictam. Specialem vel ſingularem hunc conſenſum ideo dixi diſtinctum liberum, vel prævia cauſæ cognitione libere aut præbendum aut denegandum, circa ſingula ſummi imperii momentique negotia.

§. 37.

Conſenſus requirit prævi-

Conſenſus populi liber in democratia neceſſarius, dari nequit ſine

sine prævia negotii publici perspicientia & dijudicatione. Consensus dari nequit, nisi plurium voluntas unum idemque fieri velit aut nolit (§. 658. *P. I. Phil. pract. univ.*). Voluntas autem est appetitus rationalis, ex distincta boni cognitione oriundus (§. 880. *Psychol. empir.*). Proinde voluntas velle nequit, nisi quod bonum esse distincte cognovit; nec idem velle potest quod alii, nisi distincte perspiciat, alios id ipsum velle, idque esse bonum judicandum. Liber ergo populi consensus, in democratia ad negotia publica expedienda necessarius, dari nequit sine prævia publicorum negotiorum perspicientia & dijudicatione, quantam admittere intellectus popularis pro captu suo valet, ut convictus sibi videatur, ita nec aliter esse statuendum. *am negotii perspicientiam.*

Notum est, homines ingenio, etsi parum exculto utentes, dum in rem præsentem deducuntur, aliorumque exemplis & rationibus erudiuntur, in matura ætate ipso quoque usu rerum ea discere posse & solere, quæ alias semper ignorassent. Idem usu venit in negotiorum publicorum tractatione populari, quæ populum ita afficit, ut non possit non concludere, esse sibi in illarum rerum, cum felicitate sua tam conjunctarum, cognitionem adquirendam sedulo incumbendum. Hinc attentior ad omnia factus sensim discit, quæ communi utilitati felicitatique respondeant, ut prævia distincta cognitione illa velle, his contraria nolle, & ita cum aliis consentire queat.

§. 38.

Publicorum negotiorum perspicientia, quanta ad illam convictionem sufficit, salutis publicæ gratia non aliter esse agendum, obtineri sine idonea intellectus cultura & usu rerum publicarum nequit. Illa enim perspicientia distinctam involvit negotiorum publicorum cognitionem, captui populari respondentem (§. 37. Sed distincta cognitio sine vulgari saltem cultura intellectus ad hæc apta, usu rerum agendarum consultandarumque, & peritiorum doctrina atque exemplo haberi nequit (§. 88. *Logic.*) & (§. 10. *Ideoque culturam intellectus & experientiam.*

Discurs.

Diſcurſ. prælim.). Id circo manifeſtum eſt, publicorum negotiorum perſpicientiam, quanta ſufficit ad convictionem animi, non aliter eſſe ſtatuendum agendumque, non obtineri ſine idonea, populari tamen cultura intellectus, uſuque rerum publicarum ſenſim adaucto.

Ne quis excipiat, populum, qui in democratia de rep. ſuffragatur, eſſe rudem & ætate tum ita provectum, ut fruſtra de illo docendo cogitaretur: admittendum eſt, in populo tamen dari alios, & ingenio pollentes, & nonnulla inſtitutione in juventute aut adoleſcentia vel a parentibus vel a præceptoribus excultos. Hos ſpectant reliqui ut magiſtros, ipſoque commercio cum peritioribus, & colloquiis de negotiis publicis, uſu denique diuturno ſubactos & experientia confirmatos, qui ſuis rationibus, ſuo exemplo, cæterisque vulgaribus inſtitutis alios utcunque emendant & incitant ad imitationem præſtantiorum, ut ſenſim nonnihil proficiant. Hinc confuſe ut artes vulgares, ita & talia diſcuntur in republ. obſervanda adjumenta impedimentaque publicæ ſalutis.

§. 39.

Quandamque univerſi populi virtutem.

Facit igitur democratia ad populum univerſum in publicis negotiis aliquatenus erudiendum, & ad quandam intellectus morumque culturam, cui par occaſio in Monarchia & Ariſtocratia non exiſtit. Requirit nempe publicorum negotiorum dijudicatio quandam convictionem, ſalutis publicæ cauſa non aliter eſſe agendum, quam ſuffragiis conſultius eſt viſum, quæ ſine idonea intellectus cultura & uſu rerum publicarum obtineri nequit (§. 38.). Cum vero in Democratia imperium ſummum ſit penes univerſum populum (§. 131. *P. VIII. Jur. nat.*): univerſi populi eſt ſuffragandi de ſummis rebus jus, & univerſo quoque populo propterea moralis incumbit neceſſitas, quantum poſſunt, excolendi & imbuendi intellectum rerum publicarum notitia. Quæ dum ſenſim augetur in his, qui ſui officii non ſunt imme-

mores,

mores, iisdem paulatim in publicis negotiis quadamtenus erudiuntur, nascitur habitus illa rectius intelligendi, & præstantiores, quos alii hebetiores ut duces suos venerantur, æmulandi. Quod studium æmulationis præstantiæ in exercendo summo imperio quum ad universum populum diffundatur, quatenus captus & instinctus naturalis in eam fertur, quod in Aristocratia intra optimates consistit, & in Monarchia in Monarchæ familia manet, nec utrobique nisi secundario tantum ad alios porrigitur: concludi potest, democratiam recte comparatam facere ad æmulationem virtutum in universum populum diffundendam ipsa spe & re eo rectius exercendi summi imperii, nec pares illecebras vel in aristocratia vel in monarchia populo prostare.

Ita luculenter innotescit, esse in qualibet simplici civitatis forma allectantia incitamenta ad virtutem, ut recte se habere & florere possent, modo cives suis officiis non deessent.

§. 40.

Inprimis fortitudinem militarem.

Inprimis incitat quoque democratia populum ad fortitudinem militarem mitiusque imperium & promtius obsequium. Imperat enim in democratia populus universus (§. 131. *P. VIII. Jur. nat.*). Idcirco nisi populus periculum peregrini militis subire velit, quod consultum non est, cogitur ipse arma tractare seque exercere, ut pro aris & focis suis strenue dimicare possit. Suæ ergo defensionis causa contra internos externosque pacis turbatores populus in democratia gravissimis urgetur incitamentis, ad adquirendam virtutem militarem, animumque intrepidum in periculis vel prædæ causa ostendendum. Mitius vero imperium & promtius obsequium commendat vicissitudo & imperandi & parendi, qua quam gratum sibi sit & mite imperium, & obsequium promtum discunt. Inde non possunt non intelligere, quid aliis debeant (§ 596. *P. I. Polit.*).

Obſervavit hoc omnibus ſæculis democratiarum indoles, ut *Ariſtoteles* ſuo jam ævo dicere potuerit politiam aptam multitudinem, quæ natura ſua fertur ad virtutem militarem, & regere poteſt ac regi ex lege *Lib. III. Polit. c. 12.* mirum igitur non eſt, populares res publicas, militari virtute & concordia conſpicuas, diutius durare, quam lubricas ſæpe civitatum formas, imbelli populo, nec milite obſequioſo utentes. Omnia incrementa reip. romanæ illis fere temporibus debebantur, quibus legiones ipſorum, triarii inprimis, cives erant romani ſponte ad arma venientes, fortiſſimeque depugnantes. His ergo enumeratis adhuc, & ſimilibus democratiæ commodis provehendis litandum eſt, quanto fieri opere poteſt.

§. 41.

Pronitatemque ad ferenda tributa & onera.

Reddit quoque democratia cives pronos ad conferenda tributa, & onera ferenda communis ſui boni cauſa, & in ſe redundatura. Convincuntur enim rationibus ſciſcendi illa tributa & onera, quod illa cedant in communis & privati boni emolumentum, & quod redeant ad illos, qui reipublicæ operantur in pace & bello, ut indemnes præſtentur & ſecuri (§. 37.). Sui vero compendii cauſa homines lubenter agunt, quæ ſibi ſunt agenda, & dant quæ danda eſſe perſpexere, teſte privata cujusque experientia. Sunt ergo cives democratiæ eo faciliores pronioresque ad conferenda tributa, & onera illa ferenda, ſine quibus intelligunt ſe nec publice nec privatim ſalvos eſſe poſſe. Quod in reliquis ſimplicibus civitatum formis non æque intelligunt plerique, neque ideo eadem facilitate & promtitudine iſta dabunt & ferent, niſi ſimili modo convincantur, ſui cauſa iſta fieri non minus, ac optimatum & monarchæ.

Agrippa in ſuo conſilio, quod Auguſto dare juſſus eſt, *Dioni Lib. 52.* dicitur hæc addidiſſe: Etſi reſp. ſine ſumtibus conſtare non poteſt, tamen in ea, ubi penes populum eſt imperium, multi multam pecuniam conferunt lubenter, vel ideo ut libera-

litatis famam consequantur ac pro iis meritos honores adipiscantur. Quodsi necessitas tributorum universo populo incumbat, id eo perferunt lubentius, quod sibi ipsis se obtemperare, ac in suum ipsorum commodum conferre pecuniam arbitrantur. At contra ubi unus imperat, eum ut divitiis abundantem solum impensas facere æquum esse cuncti existimant, studiosius reditus quam sumtus quosvis faciendos habet, indagantes; ac neque privatim ultro aliquid pendunt, nec sua sponte suas pecunias conferunt, quoniam illud facere nemo animum induxerit, neque quisquam facile profitebitur se divitem esse; neque id fieri ex usu principi esset. - - Hoc autem omnino molestum plerisque est eo magis, quod damnum esse suum, emolumentum redire ad alios vident. Vbi popularis est civitas, permulti eorum, qui pecuniam pendunt, stipendia merere solent, atque ita eam recuperant large. Sub monarcha alii fere sunt, qui agros colunt, navigant ac civilia obeunt munera, quibus tributa sunt pendenda, alii vero arma ferunt, & militiæ mercede fruuntur. Mæcenatis consilium, etsi diversum hac in re, pæne eodem redit. Fatetur nonnullos tributa & vectigalia imponenda ægre laturos esse; verum modo non alio damno afficiantur, & re ipsa comperiant, hæc ipsorum salutis causa, ut cæteris bonis tuto perfrui possint, exigi; præterea quum plerique ipsorum eam pecuniam, alii magistratum gerentes, alii præfecti regionum, alii militantes accipiant, magnas etiam tibi gratias agent, quod exiguam redituum suorum partem tibi conferentes, reliqua omnia sine damno percipere possint. Idque eo magis fiet, si te frugaliter vivere ac nihil prodigere videant. Quis enim, quum videat te in re familiari summa parsimonia uti, in publica liberalissimum esse, non ultro velit aliquid conferre, quum tuas divitias suam securitatem ac copiam esse judicet?

§. 42.

Incommoda democratiæ. Accedimus ad succincte commemoranda quoque *Democratiæ incommoda.* Horum in numero habetur *perdifficilis populi congregatio* in rebus moræ impatientibus; *imperitia* rudium res

arduas penetrandi & decidendi; tot capitum uſitatiſſimus *diſſenſus* multiplex, modo ex ruditate plebis, modo ex affectibus & partium ſtudio oriundus; diſcordia & *invidia*, *partium ſtudium*, & *factiones* in populo diverſæ; *pertinacia* in præjudiciis, erroribusque; *jurgia* & *rixæ* altercantium immodeſte; *demagogorum* autoritas & cœca populi erga illos obedientia; *oſtraciſmus* vel in genere odium, invidia erga præclaros eminentesque viros, innocenter in ſuſpicionem vocatos; *difficultas arcana occulendi*, ne iis prodantur, qui nocere poſſunt; multorum *inopia* & *aviditas privati commodi* cum *publici neglectu*; *contemtus meritorum*, quæ plerique aſſequi nequeunt, ideoque vilipendunt; *eruditionis* & *artium pretium vix ullum aut ſervitus*; *cura panem lucrandi vel ditescendi cum diſpendio publico*; *temeritas obloquendi reſiſtendique rectoribus*, quæ captum popularem excedunt; *licentia agendi* quidquid plerorumque ſeu inſcitiæ ſeu pravitati arridet &c.

Magna pars harum vitioſitatum communis eſt omni polycratiæ, ut patet ex §. 31. & jam luſtrata fuit cum remediis, quæ in democratia eidem mederi poſſunt *P. I. Polit.* §. 524. *ſeqq.* Nuda vero recenſio jam docet, & hæc non aliunde ortum ducere, quam a forma ſtatus popularis, qui ſiſtit, qualis eſſe debet, ab his erit immunis. Defectus enim eorum, quæ eſſe in populo libero & ſuæ ſalutis perito cupidoque deberent, ratio ſunt omnium anomaliarum, quæ hic nominantur, & nominatis addi poſſunt.

§. 43.

Triplex temperatio Democratiæ.

Temperamentum democratiæ haud ſecus afferri poteſt, ac monarchiæ atque Ariſtocratiæ (§. 21. & 132), aut unam tantum formam diverſam eidem adjungendo, aut & alteram. Priori caſu habebitur *democratia biformis*, poſteriori *triformis*. Biformis vel conſtabit ex *Democratia ducali*, quæ limitatur adjuncta ſola monarchia; vel ex *democratia optimate*, quæ tempe-

ratur

ratur adjuncta sola Aristocratia. *Triformis* autem *democratia* & monarchicam & aristocraticam formam sibi habet admixtam, sed in aliis aliisque imperii summi partibus, juribusve (§. 314. *seq. P. I. Polit.*).

Removemus & hic limitationem democratiæ per se ipsam, uti per leges ordinibus populi, comitiis &c. præscriptas, sive in rigidiori sive moderatiori; sive in absoluta aut restricta; sive in rustica, urbana & provinciali. Pariter & illam restrictionem internam suo loco relinquimus, quæ a magistratu superiori & inferiori, vel a modo administrandi democratiam populari, aristocratico aut monarchico petitur (§. 538. aliisque *P. I. Polit.*). Nunc enim tantum sermo est de admiscenda democratiæ forma a se diversa, & de modis tribus, quibus ea fieri potest. Colligendo quæ seorsim exposita fuere, intelligitur omnes formas simplices simili modo temperari, & dividi vel in biformes, vel in triformes, quoniam vel duæ tantum miscentur, vel tres simul, hoc est omnes (§. 21. 32. & 43.). Si quis forte existimet, revera non nisi tres formas mixtas dari, scilicet triformem & duplicem biformem, quum ordo recensendi illas nihil in re mutet; ei ostendendum erit, non esse unum idemque, quænam illarum formarum primaria sit, quæ secundaria. Inde hoc expediemus.

§. 44.

Mixtio rerumpublicarum sapienter ita fieri nequit, ut singulis simplicibus in ea idem esset aut par jus summum. Involveret enim repugnantiam, si quod monarchæ est jus summum, idem itaque & par in eadem civitate simul esse deberet optimatibus, aut & populo (§. 27 *Ontol.*). Quidquid involvit repugnantiam, id esse & fieri nequit (§. 28 *ibid.*). Idcirco mixtio rerum publicarum ita fieri nequit, ut simul singulis simplicibus formis in ea idem & par esset jus summum. Immo si omnium debet æquale jus esse ratione summi imperii, non haberetur forma mixta, sed archidemocratia, saltem democratia nuda & sola (§. 522.

Quomodo mixtio fieri nequeat?

(§. 522. & 288. *P. I. Polit.*). Si contendis, id fieri omnino posse, quoties v. c. Regi & optimatibus, vel & populo eadem est mens & voluntas, vel quoties mixtæ formæ ex asse consentiunt, uti consentire debent: reponemus, illud tamen sapienter fieri non posse, quum lynceis oculis non indigeat experientia vulgaris, perraro & vix unquam perfectum consensum in mixta republica locum habere posse, si omnium formarum simplicium idem & par jus esse deberet. Vix enim ubi diversa ipsis sunt jura, perfectus haberi consensus potest, sed oportet, ut cæteris paribus major suffragantium numerus præferatur minori. Revera in triformi rep. non esset nisi popularis status, evanesceretque & regis & optimatum jus summum, relicto ipsis non nisi nomine vano, si penes majorem populi numerum esset jus res summas definiendi; vel si singulis formis non daretur nisi unicum suffragium, mera foret. Aristocratia tribus, veluti optimatibus gavisura, quæ in biformi mixtione ob dissensum earum irrita esset & inepta.

Plus quam platonica fingenda foret resp. si omnium hominum integerrima sumeretur natura, in legem divinam naturæ inscriptam ita consentiens, ut nullius ulla daretur culpa, ideoque perfecta in salutem publicam consensio exstaret. Quæ fictio quum locum in hoc hominum statu non habeat, universe pronuntiare possumus, ejusmodi mixtionem, quæ eadem jura summa singulis mixtis formis tribueret, fieri haud quaquam posse. Non videtur opus esse, ut de ejusmodi forma quandoque mistione Aristocratiæ analoga, qua quot simplices formæ, tot suffragia de summa rerum essent, dispiciamus, quomodo illius incommodis esset medendum. Intricavit hæc *Cellarius Polit. Lib. II. cap. 6. no. 22.* proposito casu, si omnia majestatis jura indivisim sint penes regem & ordines, ita ut neque regi inconsultis ordinibus, neque ordinibus inconsulto rege quidquam statuere liceat, tantumque vel etiam plus juris penes regem sit, quantum penes ordines. Quem ad mixtum remp. referendum putat, nihil

nihil certi tamen definire auſos. Patet vero illum eſſe eundem, ac ſi ſelectis ex omni populo optimatibus conjunctim de rep. ſit ſtatuendum. De *Martini* vero ſententia *L. II. Polit. cap. 16.* ubi mixtam Remp. dicit, in qua tres reip. formæ ita permiſcentur, ut incertum relinquatur, quo nomine reſp. mixta denominari debeat, dicenda quædam reſtant. Exiſtimat, quemadmodum de corpore perfecte mixto largiendum eſt, miſcibilia ita permiſceri, ut abeant in aliquid ab ipſis ſimplicibus ita diſtinctum, ut ſimplicium nomine appellari nequeant: ita quoque rem habere in rep. mixta, & leges in ea ferendas eſſe conjunctim ex mutua conventione, qua nulla forma alteri ſubjicitur, nulla alteri leges præſcribere valet. Sed uti in corporibus perfecte mixtis utique unum miſcibile numero vel pondere partium & virium præſtantia prævalere poteſt, ſoletque, quemadmodum plus aquæ quam vini & vice verſa in taberna, plus auri quam cupri in annulo, plus nitri quam ſulphuris & carbonum in pulvere pyrio miſcetur: ita quoque nihil obſtat, quo minus uni reip. ſimplici plura aut majora ſummi imperii jura pacto aſſignentur, quam alteri, quo pacto paciſcentibus ſtandum eſt. Neque ſubjicitur inde una forma alteri ſed unaquæque ſuis gaudet juribus eorumque exercitio, quod cuique ſalvum relinquetur. Si quoque quadamtenus una alteri præeſt, hoc tamen æque non obſtabit in accurata temperatione vero imperio, ac in ariſtocratia vel democratia ſinguli ſubſunt univerſis, & pauciora ſuffragia cedunt pluribus, ſalvo imperandi jure.

§. 45.

Vnde conſtet quænam forma in mixtione primaria ſit re.

In mixtis rebuspublicis primaria reapſe dicenda eſt illa forma, penes quam eſt ſumma rerum, quæ ideo quadamtenus præeſt cæteris, quibus tantum ex pacto quædam imperii ſummi partes vel jura debentur. Mixtæ enim reſp. temperantur per adjunctam aliam formam diverſæ indolis (§. 3.) Simplices civitatum formæ non determinantur, niſi numero eorum, quibus ſummum eſt imperium (§. 286. 291. & 298. *P. I. Polit.*). Jam mixtio ita fieri nequit,

quit, ut ſingulis ſimplicibus in ea idem eſſet aut par jus ſummum (§. 44.). Neceſſe igitur eſt, ut mixtio diminuat jura mixtarum formarum, & alia jura dentur alii formæ exercenda, ita tamen ut illis conjunctim in idem ſit conſentiendum altera forma alteri cedente (§. 74. & 138. *P. VIII Jur. nat.*). Vnde confeſtim patet, illam formam, quæ cedere obligatur, hoc jure eſſe deminutam aut privatam eatenus, ut ſine conſenſu alterius id exercere nequeat. Eam vero formam illo jure gaudere, cui ab altera eſt cedendum, & quæ id pro ſuo arbitrio ſtatuit, quod forte ab altera eſt exſequendum. Quoniam vero cuique formæ eatenus alteri eſt cedendum, quatenus illi aliquid juris in imperio publico eſt aſſignatum, quænam forma primaria ſit dicenda, quæ ſecundaria, certis indiget criteriis. Vbi quidem in aliis juribus alia poſſet primaria dici, quæ in aliis tantum eſt ſecundaria. Sed quia ſic facile confuſio oriretur in magna determinationum & comparationum copia, præſtat unam præ cæteris primariam dicere, prout natura ejus id meretur. Enimvero præcipua & potior procul dubio illa dicenda eſt forma, penes quam eſt ſumma rerum, ut ab adjuncta forma illi ſint quondam rationes reddendæ & propter abuſum legitimæ luendæ pœnæ. Inde ſcilicet hæc alteri, in biformi, vel aliis in triformi præeſſe intelligitur. Quæ vero quadamtenus præeſt alteri, ejus eſſe primas partes, ſeu illam eſſe primariam, & prævalere nemo ibit infitias. In mixtis igitur rebus publicis illa dicenda erit primaria, penes quam ita eſt ſumma rerum, ut præſit cæteris; ipſius judicio ordinario ſubjectis, & ut habeat potiora ſeu præcipua ſummi imperii jura licet & ipſis quædam imperii jura ex pacto debeantur & ſalva ſint relinquenda.

Si hæc exemplo illuſtranda ſunt, capiamus Spartam. Ibi olim reges circa Troica tempora, nomine & re ipſa pro lubitu fere regnabant. Octoginta annos poſt Trojæ excidium regnum laconi-

conicum datur perhibetur duobus filiis Ariſtodemi qui in dyarchia pariter præfuerunt regno non diviſo æquali poteſtate, lege ſucceſſionis ita inita, ut poſt ipſos ſemper bini reges eſſent, alter ex Euryſthenis, alter ex Proclis progenie. Inde *Plato Lib. III. de Legg.* ait, cœleſtem providentiam rebus ſpartanis conſulentem dediſſe illis geminam regum proſapiam ex una ſtirpe deſcendentem, quod mediocritati convenientius; dein divino quodam conſilio moderatam ſenum poteſtatem(ἰσόψηφον) in ſuffragiis æquipollentem, inſolenti regum poteſtati fuiſſe adjunctam, atque eo modo, præſertim addito poſtea, ad tumentem adhuc paucorum potentiam comprimendam ephororum magiſtratu, remp. maxime temperatam extitiſſe. Sed quomodo? Hoc diſcemus e ſequentibus. Lycurgos binos quidem reges reliquit dignitate & honoribus eximios, ſed poteſtate ſolita domi pæne exutos. Hoc nempe honoris regibus dabatur, ut initia agendorum ab ipſis ducerentur, in conſeſſibus omnibus illi primum tenerent locum, primi ſententias dicerent, iisque ab omnibus magiſtratibus aſſurgeretur. Gaudebant agris & reditibus, non ut affluerent divitiis, ſed ſtatum regium tueri poſſent. Erant omnium ſacrorum antiſtites & quaſi ſacerdotes frequenter ſacrificantes. Habitabant domo publica, utebantur publicis tabernaculis; excipiebant & tractabant hoſpites publicos miniſterio proxenorum, decidebant controverſias procorum, erant adoptionum ſtatores & arbitri, judicabant de viis publicis, legatis amicorum & inimicorum reſponſa ex voluntate civitatis dabant, binis gaudebant ſuffagiis in ſenatu, quæ abſentes alii demandabant ſenatori. Attamen erant ὑπεύθυνοι, poterantque in judicia vocari, & ſi criminum convincerentur, ſententiis judicum damnari, ſalvo tamen aliquo ad populum provocandi jure. *Xenophon de rep. Lacon. in fine* ſcribit, Lycurgum tribuiſſe regibus domi agentibus honores modicos, (militiæ enim cauſa rex exercitui præerat abſoluto & ſummo imperio, conſiliis quidem præfectorum utens, leges vero a nemine accipiens, niſi civitas exercitum domum reducere juberet), nec voluiſſe aut tyrannico faſtu animos eorum inflare, aut poteſtatis regiæ invidiam civi-

bus creare; mortuos vero velut hervas cumulari honoribus exquisitis jussisse. E quibus patet, Spartæ revera ex Lycurgi legibus prævaluisse aristocratiam, adjuncta monarchia, & quandoque democratia: quia reges in jus vocati & damnati sunt, ab optimatibus, relicta tantum appellatione populi, quando ea videbatur consulta. Postremo autem democratia prævaluit Spartæ. Ita & *Cellarius Pol. Lib. II. c. 6. §. 22. et 23.* Prædominatur illa forma penes quam plura & potiora sunt jura majestatis, sive ea sint penes regem, sive penes optimates, sive penes populum.

§. 46.

Quænam primaria sit ordine?

Si ordinis tantum ratio habetur, quod in denominatione mixtæ reip. fieri solet, primaria dicitur, quæ in ordine simplicium civitatum aliam præcedit. Datur enim inter simplices civitates ordo quidam, per quem monarchia primo, Aristocratia secundo, & democratia tertio censetur loco (§. 308. *P. I. Polit.*). Qua propter si honoris causa ad ordinem mixtarum civitatum respicitur, denominatio mixtæ reip. commode petetur non ab ea, quæ re ipsa, sed quæ ordine antecedit (§. 315. *ibid.*). Re ipsa autem non prævaleret, quæ solo ordine esset prior.

Neque hoc novi est, sed perantiqui moris. Aristoteles cum Platone etiam suo tempore, quo duo reges Laconum erant, regnum illud appellat laconicum quod vocat imperium belli perpetuum *L. III. Polit. c. 14.* cui infimum tribuit gradum ob tantam limitationem, qua præter nomen pacis tempore parum juris summi regibus erat relictum vid. not. §. 45. quod ephori usurpabant, tanquam plebis tribuni.

§. 47.

Quomodo temperanda sit Aristocratia & democratia.

Quoniam adhibendus est modus quam optimus respublicas miscendi temperandique (§. 5); nec quidquam magis sapienti temperationi convenit, quam ut commoda miscendarum rerumpp. simul in eadem civitate obtineantur, stabiliantur, augeanturque (§. 7.); incommoda autem evitentur arceanturque

que (§. 8.): *idem genus temperationis in ariſtocratia & democratia adhibendum erit, quod oſtendimus in monarchia obſervandum eſſe* (§. 22). Videlicet opera danda eſt, ut commoda & emolumenta utriusque formæ evadant eo certiora et ſtabiliora, augeanturque adjunctis formæ admixtæ commodis; incommoda autem & pericula formæ temperandæ per adjunctam aliam vel alias cohibeantur & arceantur ſimul & ſemper, quam optime fieri queat.

Subſiſtimus pro inſtituto hujus capitis tantum in iis, quæ de republica mixta in genere notanda & præmittenda occurrunt. Quæ enim ſeorſum de his excutienda erunt, ſecuturis capitibus reſervantur, ubi ea ex generalibus hiſce rationibus erunt deducenda.

§. 48.

Eſt autem mixtio reipublicæ alia temporaria alia perpetua. Vti enim dantur monarchæ temporarii (§. 257. 258. *P. VIII. Jur. nat.*), optimates temporarii (§. 211. & 254. *ibid.*) & in genere imperium temporarium (§. 69. *ibid.*) quod & abſolutum & ſummum eſſe poteſt (§. 70. *ibid.*): ita temporariam quoque, quæ brevi tempore finiatur, variis modis v. c. annuam dari mixtionem formarum ſimplicium poſſe, nihil obſtat. Pariter quemadmodum dantur monarchæ & optimates perpetui (§. 213. *ibid.* & §. 730. *P. I. Polit.*) & imperio temporario opponitur perpetuum, per omnem imperantis vitam durans (§. 596. *P. VIII. Jur. nat.*): ſeu cujus finis non eſt præſtitutus; ita quoque mixta reſpublica erit perpetua, quæ non tantum perennat cum vita imperantium, ſed & quocumque, qui illis in imperio ſuccedunt, neque præfixum ſibi habet tempus, quo debet ceſſare.

Resp. mixta vel temporaria eſt, vel perpetua.

Romanorum dictatura temperabat ipſorum rempublicam modo monarchico ſeu regio, ſed primum ad tempus tantum vel jam præſcriptum, vel paullo poſt ſuo tempore declarandum.

Vt plurimum ex lege non ultra ſpatium ſemeſtre durabat Vid. *Cicero L. III. d. Legg. c. 3.* Dictatorem majores noſtri neque cujusvis rei cauſa dixerunt, neque imperium ei ultra ſextum menſem dederunt. *Dio L. 36.* ubi de *bello piratico* agit. Ob neceſſitatem tamen prorogata interdum dictatura fuit, ut annua eſſet, donec Sulla eam ad incertum tempus ſibi dari juſſit, & Cæſar perpetuus factus eſt Dictator. Lacedæmoniorum reges itidem erant perpetui in bello dictatores, uti notatum eſt ad §. 45. Pluribus hic non opus eſt exemplis.

§. 49.

Rationes temporariæ & perpetuæ temperationis.

Dependet temperatio Reip. a voluntate populi, perpetua ſcilicet a voluntate conſtanti & perpetua, temperaria autem a voluntate necdum ſatis fixa, ſed a mutabilibus ſuſpenſa. A populi enim voluntate pendet, quomodo imperium in alios transferre velit (§. 36. *P. VIII. Jur. nat.*), ideoque an plenum transferre, aut illud in partes dividere, & partem quandam vel ſibi retinere, vel certa lege in alios aut alium quendam transferre velit (§. 64. *ibid.*). Si exercitium imperii certis legibus eſt adſtrictum, vel conſenſu alterius indiget, dicitur illud limitatum (§. 66. *ibid.*). Si plenum imperium in partes dividitur, minus plenum evadit (§. 62. *ibid.*), nec omnia continet jura imperio publico tribuenda, ſed quædam tantum; aliorum vero exercitium ſine eorum conſenſu, quibus illa ſunt data, denegatum eſt (§. 63. *ibid.*). Limitatio imperii per heterogeneum imperium eſt temperatio illius (§. 3.). Dependet ergo temperatio reip. a voluntate populi.

Quæ voluntas quia conſtans eſt ob immutabilitatem actus ejus in eodem negotio; & perpetua ob immutabilitatem in omnibus aliis negotiis publicis ejusdem naturæ quovis tempore, ideoque nullis rationibus unquam ſe adduci patitur, ut contrarium velit in eodem & ſimili quovis negotio publico quotiescunque id occurrat (§. 1062. *P. I. Theol. nat.*): facile patet voluntatem populi conſtantem & perpetuam, omnibus

rite

rite excussis temperationem eligere perpetuam; si vero omnia prævideri & excuti non potuerunt, eam a mutato hominum rerumque in primis publicarum statu suspendendam esse, ut pro re nata temperatio tollatur, vel alia in illius locum surrogetur. Ideo voluntas populi nondum satis fixa, sed a mutabilibus in republica suspensa & mutanda, non producet nisi temporariam reip. temperationem.

Quod hic de populo diximus, respicientes casum, quo populus civitatem vel primum orditur, vel post interitum aut sublationem corrupte prioris civitatis rempublicam seu reformat, seu novam adhibita temperatione format: idem quoque valet de alio casu, quo vel Monarcha absolutus, vel optimates absoluto imperio gaudentes, temperationem consultam deprehendunt. Quem existere posse, sana ratio quemque docet, extitisse vero, etiam ex historiis notum est. Sic Theopompus rex spartanus, 130 anno post leges a Lycurgo latas fertur ephoros creasse cum difficili ac diuturno bello Messenio rex uterque foris domi distineretur, nec domi rebus urbanis vacare posset, ut in urbe regum vices gererent, jusque civibus dicerent. Quod bellum quum per 20 annos gereretur, illi diu in eodem gradu constitere, ut regum ministri esse censerentur, paulatim vero altius adscenderunt, tandemque summam reip. potestatem in se verterunt. Dolenti uxori, quod regum jus minuisset, respondisse Theopompus fertur, se fortasse jus angustius filiis relicturum, ac a patre accepisset, sed sine dubio diuturnius. *Vb. Emmius de rep. Laconum p. 123. in Vet. Græc. Tom. III.*

§. 50.

Quæcunque temperatio Reip. adhibeatur, id in ea præcipue curandum providendumque, ut abusus potentiæ publicæ caveatur. Potentia enim notat possibilitatem & vires agendi (§ 716. *Ontol.*), quæ in republica redit ad omnes hominum & vires & divitias saluti publicæ tuendæ idoneas (§ 69. *Jur. Gent.*). Cum per has notiones planum sit, rectum publicæ potentiæ usum ad **Cavendus præsertim potentiæ publicæ abusus.**

ſalutem publicam plurimum proficere; abuſum vero ſaluti publicæ plurimum nocere (§. 646. *P. I. Theol. nat.*): manifeſtum eſt, in temperatione reip ſapienti id præcipue curæ cordique eſſe debere, ut abuſus potentiæ ideoque & poteſtatis publicæ quam optime fieri poteſt, caveatur arceaturque (§. 8.).

Citato Juris Gentium loco potentia explicatur per vires alteri, inprimis vi externæ vel hoſtibus reſiſtendi. Quis enim neget, potentia opus eſſe, ad hoſtes abigendos, ſeque & res ſuas vel communes adverſus hoſtes defendendum, & ad jus ſuum, quod ab aliis denegatur nobis, vi extorquendum? Licet igitur veriſſimum ſit, potentiam civitatis ſatis ex eo agnoſci & ab impotentia internoſci, ſi par ſit arcendæ injuriæ aliorum ſive internæ, ſive externæ: malui tamen hic, ubi non de uſu recto, ſed de abuſu potentiæ, & quidem publicæ & maximæ, quæ in civitate datur, ſermo eſt, latiori uti potentiæ notione, quæ illius quoque abuſui explicando inſervit. Neque enim abuſus eſt potentiæ, ſi ad reſiſtendum vi externæ ſeu hoſtili potentia publica adhibetur. Abuſus enim eo ſe exſerit, ſi potentia publica contra ſalutem publicam adhibetur, ad cives innocentes libertate juribus, bonis, vita exuendos, & ad omnia unice in privatam utilitatem rectorum civitatis rapienda. Hujusmodi abuſum cum ſalute publica conciliari non poſſe, clarius eſt luce meridiana. Illi itaque occurrendum eſt in ſapienti reip. temperatione. Facere hoc ad diuturnitatem regnorum profitetur *Stagirita L. V. Polit. c. 11.* his verbis: optime conſervantur regna ad moderatiorem rationem ea reducendo. Quo enim pauciorum rerum poteſtatem habent eo longiori tempore oportet ut imperium conſiſtat.

§. 51.

Temperanda Monarchia & Ariſtocratia conſuli-

In Monarchia & Ariſtocratia populus libertate civili deſtituitur (§. 147. *P. VIII. Jur. nat.*); in democratia vero tanta gaudet civili libertate, quanta haberi poteſt (§. 146. *ibid.*). Quapropter patet, *in temperanda monarchia & Ariſtocratia libertati*

tati civili populi profpici, pariter ac libertati fingulorum naturali. Priori enim nonnulla fummi imperii jura adimuntur monarchæ, pofteriori optimatibus, & populo tribuuntur, cui eatenus libertas afferitur naturalis (§. 149. *ibid.*). *tur populi libertati.*

Quo magis invalefcit abufus fummæ poteftatis in Monarchia & Ariftocratia, eo plus detrimenti affertur libertati civium naturali ut fere in ftatum fervitutis detrudantur. Quocirca & naturali & civili libertati cavetur profpiciturque admifcendo eidem quædam populi jura in ftatu populari eidem afferta. Nihil enim dulcius effe folet populo fua libertate quiete fruenda. Inde valde acerbum ipfi accidit, quidquid ipfum in ufu libertatis fuæ, cui innutritus eft, turbat læditque.

§. 52.

Quæ in democratia fumma eft, libertas populi civilis & naturalis (§. 55. & 146. *P. VIII. Jur. nat.* & §. 511. *P. I. Polit.*), ea abufu perfacili fæpenumero degenerat in licentiam (§. 512. *P. I. Polit.*), nifi abufui huic quam optime occurratur (§. 524. *ibid.*). Poteft vero eidem occurri ipfa ejusdem fapienti temperatione (§. 8.). Quare *in temperanda democratia occurrendum eft licentiæ populi, qua degenerare folet in ochlocratiam* (§. 512. *P. I. Polit.*) & (§. 42.), five illi adjungatur regius five optimatum ftatus, five uterque. *Temperatio democratiæ occurrat licentiæ plebis.*

Quemadmodum libertas in defectu fervitutem moleftam, ita in exceffu licentiam parit perniciofiorem. Medendum igitur fapienti temperie, & defectui & exceffui, ut eo certior conftantiorque habeatur ufus genuinus libertatis civilis. Sed de his fuo loco difertius exponendum.

§. 53.

Temperatio reipublicæ modo plura, modo pauciora jura fummi imperii mixtis formis quafi propria tribuere, & adimere alteri vel cæteris poteft, ut in his legitimus obtineatur confenfus coalitæ formæ temperatæ. Nimirum temperatio reipublicæ infert limitationem uni- *Temperatio nunc plura, nunc pauciora jura formis affignat.*

unius formæ civitatis per aliam diverſæ naturæ (§. 3.). Quando una limitatur forma per alterum, exercitium imperii unius formæ certis adſtringitur legibus, aut aliorum ad eos requiritur conſenſus (§ 66. *P. VIII. Jur. nat.*) Itaque imperium cujusque formæ ſimplicis eſt minus plenum, tametſi in illis juribus, quæ illi aſſignata ſunt, ſummum eſſe poſſit (§ 65. 67. *ibid.*). Jam quæ formæ uni tributa ſunt, illa alteri ſimul tributa eſſe nequeunt (§. 44.). Ea de re jura ſumma, quæ uniformæ ſunt tributa in rep. mixta, eadem alterius ſimul eſſe nequeunt, ſunt ergo alteri ademta, & huic adjecta ut propria (§. 62. *ibid.*). Sed quia mixta forma e pluribus ſimplicibus coaluit in unam, & in aliis ad aliam formam accedit (§ 138. *P. VIII. Jur. nat.*): fixus conſenſus ſimplicium formarum in eandem ſalutem mixtæ reip. ineſſe debet, ſecundum conſtitutionis legem, quæ in miſcendis rebus publicis diverſæ indolis, arriſit illius ſtatoribus autoribusque. Liquet ergo, temperationem reipublicæ, a voluntate populi profectam (§. 49.), modo plura modo pauciora jura ſummi imperii dividere inter ſimplices illas civitatis formas, & quæ huic ademit, eadem illi adjicere ſolere, ut formæ mixtæ legitimus obtineatur conſenſus.

De numero jurium nunc nondum agitur, poteſt tamen is & ſic quadamtenus illuſtrari. Sit numerus jurium ſummorum $=X$. Si illius quarta pars tribuitur formæ illi admiſtæ; priori ſimplici ademta erit $\frac{X}{4}$. eademque pars quarta iſtorum jurium formæ illi innexæ erit attributa, ut priori tantum reſtent illorum jurium tres quartæ partes. Facile autem percipitur, potuiſſe etiam alteri formæ adhibitæ dari $\frac{X}{6}$ vel $\frac{X}{3}$ vel $\frac{X}{2}$ vel quamcunque aliam partem aliquotam aut aliquantam. Vnde neceſſe eſt, ut aliæ aliæque prodeant temperationes mixtæ reip.

§. 54.

§. 54.

Poteſt in illa reip. temperatione ratio haberi jurium ſublimiorum & inferiorum, item formarum ſimplicium majoris minorisve conſenſus in rep. mixta. Etenim ſummorum jurium alia ſunt majoris momenti, alia minoris; cujus momenti ratio quoque habetur in ipſis adminiſtris, quibus rector civitatis in illorum adminiſtratione utitur. Ita majoris momenti eſt imperium patrimoniale, quam uſufructuarium (§. 40 & 155. *P. VIII. Jur. nat.*), & jura majeſtatis dantur majora & minora (*not.* §. 207. *ibid.*), poteſtates quoque quædam vocantur eminentes (§. 114. *ibid.*). Proinde in temperanda republica primariæ adimi poſſunt cum minoris tum majoris momenti ſumma jura, cum nihil obſtet, ut & facta eorum diviſione maneant ſumma in ſe, quæ diviſa ſunt (§. 65. *ibid.*) Si jura majoris momenti dicantur ſublimiora, minoris momenti inferiora; in aprico eſt, in temperatione reip. poſſe rationem haberi jurium & ſublimiorum & inferiorum.

Item vel ſublimiora vel inferiora jura miſcet, conſenſu diverſo.

Quoniam in conſtitutione mixtæ reip. certus vel plane optimus temperandi ejus partes invicem modus eſt adhibendus (§. 5. *ſeqq.*), & quo major haberi poteſt in mixta ſimplicium conſenſus, eo illa eſt melior ſtabiliorque (§. 191. *P. I. Phil. pract. univ.*); quo minor eſt ſimplicium conſenſus, eo temperatio erit imperfectior & deterior. Liquet igitur in temperatione reip. haberi quoque poſſe rationem conſenſus ſimplicium, prout ille vel major vel minor actu eſt, aut eſſe poteſt. Prius obtinet in judicio de mixta rep. ferendo, quid in ea vel approbandum ſit, vel improbandum, reformandum aut mutandum (§. 6.). Poſterius in ipſa conſtitutione mixtæ reip. momentum habet inſigne.

§. 55.

Modus temperationis differre poteſt gradibus, tum ratione numeri & ponderis jurium ſummorum, tum ratione conſenſus ſimplicium formarum

Gradus temperationis

(*Wolfii Politicæ P. II. C. I.*) H

differunt bifariam. *rum diverſis.* Poteſt enim alia temperatio mixtæ reip. plura, alia pauciora jura ſummi imperii continere (§. 53.). Poſſunt quoque jura uni formæ ſimplici ademta & alteri tributa vel graviora & ſublimiora, vel leviora & inferiora eſſe; neque minus conſenſus ſimplicium formarum in forma mixta modo major eſſe poteſt, modo minor (§. 54.). Enimvero ubi qualitates & actiones magis & minus plura vel pauciora admittunt, ibi dantur gradus earum (§. 746 & 737. *Ontol.*). Quapropter & modus temperationis differre poteſt diverſis gradibus, tum ratione numeri & momenti jurium ſummorum, quæ dividuntur, tum ratione conſenſus ſimplicium formarum.

Quia jura eorumque numerus & pondus ſunt materia, circa quæ dividenda inter plures formas civitatum ſimplices temperatio verſatur: poſſunt hi gradus vocari materiales, & qui in numero differunt, dici gradus extenſionis ſeu ambitus; qui vero momento jurium diſcernuntur, appellari gradus intenſionis ſeu momenti. Ipſe vero conſenſus ſimplicium formarum quia eſſentiam & naturam temperationis proprie conficit, gradus hi formales merito dicuntur.

§. 56.

Quæ temperatio ſit præferenda. *Temperatio reipublicæ melior, ubicunque fieri poteſt, deteriori eſt præferenda.* Obligamur enim Jure naturæ ad præferendum in noſtris actionibus quibuscunque melius deteriori (§. 192. *P. I. Phil. pract. univ.*). Temperatio reipublicæ eſt actio publica, vel totius populi in civitate miſcenda (§. 3.). Quamobrem pateſcit, temperationem reip. meliorem, ubicunque ea fieri poteſt deteriori eſſe præferendam, *ſemperque ea jura formæ cuique eſſe tribuenda, quæ in ſolam cadunt ſaltem in ipſa minimum admittunt abuſum* (§. 22.). Ideoque dum optima temperatio omnibus reliquis melior cenſenda eſt præſtatque, intelligitur, *optimam temperationem reip. ubicunque illa haberi poteſt, cæteris omnibus*

meri-

merito suo esse præferendam (§. 5.), ideoque adhibendam, quando illa pro re nata fieri potest.

In se utique verissimum est, optimum semper esse præferendum. Sed ubi plurium consensus requiritur, quiquid optimum est perspicere omnes nequeunt, ideoque malunt antiquum obtinere; aut metu quamvis inani, ne secus cadat id, quod ipsis dicitur melius esse, aut affectu alio, quo antiquis adhærent, ad assensum permoveri nequeunt. Inde propter plurium dissensum, undecunque ortum, tunc fieri nequit, ut meliora eligantur, vel antiquis substituantur.

§. 57.

Quid sint jura reservata & alienata vel collata.

Quando Respublica temperatur, alia jura summa manent primariæ, vel illi formæ propria, quæ formam diversæ indolis adscivit; alia vero seu communicantur cum adjuncta sic, ut vel plane alienentur seu in illam transferantur, vel tamen primaria in illis consensu secundariæ unius vel & alterius formæ indigeat. Prioris generis jura dicuntur *reservata*; posterioris vero *alienata*, si non ex toto, saltem ex parte, aut *collata*, scilicet in formam admixtam. Hanc, denominandi a se invicem distinguenda, veniam petimus, damusque vicissim.

Dum populus in democratia omne imperium sibi retinet, hæc sunt jura retenta. Si vero quædam tantum retinentur, quæ quatenus primariæ debentur, primaria dici merentur, quatenus secundariæ tributa sunt, secundaria & ipsa erunt; ambo reservata dici possent, prout jurium populo reservatorum mentio fit (§. 387. *seq. P. VIII. Jur. nat.*). Vbi tamen primariæ potissimum ratio habetur in denominatione, illa reservata erunt jura, quæ primariæ soli debentur. Ita quæ Deo soli insunt, v. c. infinitas, omniscientia, vindicta omnium scelerum &c. reservata Dei dicuntur. Ex adverso quæ ademta formæ primariæ & in formam admixtam translata sunt, hæc merito communi consilio & consensu in ipsam collata dicentur. Sic si populus imperii usumfructum tantum transtulit vel in regem, vel in optimates,

reſervavit ſibi proprietatem ſeu ipſam imperii ſubſtantiam (§. 36. *ſeq. P. VIII. Jur. nat.*).

§. 58.

Vtraque dari debentur in forma mixta.

In qualibet republica mixta vel temperata dari debent & jura reſervata & alienata ſive collata; & conferri formæ ſecundariæ poſſunt, quæcunque primariæ non obſunt ſed proſunt. Etenim in qualibet rep. temperata & mixta nequeunt omnia ſumma jura uni tantum formæ ſimplici ineſſe, ſed neceſſe eſt, ut dividantur, & alia alii formæ ſimplici tribuantur (§. 65 & 138 *P. VIII. Jur. nat.*). Quoniam ſic unaquæque ſimplex limitatur (§. 138. *ibid.*), & temperatio non eſt niſi limitatio per aliam formam ſimplicem diverſæ indolis & ſpeciei (§. 3.): neceſſe eſt, ut alia ſumma jura in mixta rep. ſint penes hanc, alia penes diverſam formam ſimplicem. Sed quæ primariæ formæ ſimplici propria ſunt, vocantur jura reſervata; quæ alii ſunt tributa ea lege, ut exercitium & horum & illorum in ſalutem publicam eo certius conſentiant, appellantur aliena vel collata (§. 57.) Ergo in qualibet republica mixta dari debent & reſervata & collata jura (§. 44.). Quia primariæ formæ jura dicuntur reſervata, reſervanda utique illi ſunt jura maximi ad ſalutem publicam momenti (§. 957.). Quæcunque autem jura ſummi imperii tanti momenti non ſunt, ideoque ſi alteri cuipiam formæ tribuuntur, primariæ non obſunt, illius juribus nihil derogando, ſed potius proſunt, illi decus, robur & adjumentum in rebus arduis conciliando: illa merito & pro lubitu conferri ſecundariæ poſſunt, & in ſapienti temperatione debent (§. 7. & 22.).

Conferri hic poterunt, quæ de reſervatis in rebus publicis mixtis prælibata ſunt (§. 319. *P. I. Polit.*).

§. 59.

In alia forma mixta

Quia differunt formæ ſimplices, ut una eſſe nequeat altera, ideoque unaquæque propria ſibi habet jura, quæ in alia con-

constitutione aliter, ratione imperantium præsertim, sunt recepta (§. 298. *P. I. Polit.*): & in mixtis rebuspublicis alia atque alia potest & solet esse primaria (§. 44. *seqq.*): evidens est, *si alia sit forma primaria, alia quoque dari jura reservata, alia collata.* Hinc generatim *in alia forma mixta alia dantur reservata.* *alia sunt reservata.*

§. 60.

Dum quælibet forma mixta diversos admittit gradus, cum materiales tum formales (§. 54. *seq.*); & in qualibet forma mixta alia dantur reservata (§. 59): elucescit jam, *in qualibet forma mixta ejusdem generis, reservata quoque gradibus differre posse*, ideoque in alia plura, in alia graviora esse posse reservata; item alias consensum simplicium formarum dari posse majorem, minoremve, & alias firmiorem stabilioremque eundem esse posse vi constitutionis rite factæ (§. 53. *seq.*). *Reservata quoque gradu differunt.*

§. 61.

Quo graviora & plura sunt reservata, eo minus forma primaria erit limitata; quo graviora vero & plura jura formæ primariæ sunt ademta, & in admixtam aliam vel alias collata, eo magis primaria erit limitata. Summa enim jura alia sunt gravioris momenti & sublimiora, alia minoris momenti & leviora, uti absolutum & limitatum (§. 66. *P. VIII. Jur. nat.*) & (§. 54). Si illa ponas æquipollere, quæ inter plures formas dividuntur, poterunt tamen alii formæ eorum plura tribui, alteri pauciora (§. 53.). Limitatur vero imperium, cujus exercitium consensum alterius requirit (§ 66 *P. VIII. Jur. nat.*), ut non omnia jura complectens, vel quia quædam sunt ademta & in alteram formam collata, per se & plene summum non sit, sed limitatum (§ 73. *ibid.*) Limitatur igitur forma Reip. pro ratione jurium eidem ademtorum & alteri formæ assignatorum. Proinde quo graviora & plura sunt reservata formæ primariæ, eo minus illa erit limitata & per alias circumscripta; quo vero *Hinc & limitatio formæ primariæ.*

graviora & plura jura illi ſunt ademta, aut quo leviora & pauciora illi ſunt reſervata, eo magis limitata arctioribusque cancellis incluſa erit forma civitatis primaria.

Quidquid jurium ademtum eſt formæ primariæ, illud diminuit ejus jus ſummum, ne plenum eſſe poſſit. Quo majoris igitur momenti ſunt jura ademta, eo minus plenum erit illius imperium (§. 62. *ſeqq. P. VIII. Jur. nat.*), eoque magis deminutum erit limitatumque. Idcirco etiam dici poteſt, quo graviora, quoque plura jura ſumma in aliam formam collata ſunt, quæ ſecundaria dicitur, eo magis primariam, quæ dicitur, eſſe limitatam.

§. 62.

Quis ſit finis & reſervationis & collationis jurium.

Et reſervatio & collatio jurium in rep. mixta non niſi melius conſequendæ ſalutis publicæ cauſa fieri debet. Etenim ſapienti temperationi reip. nihil magis convenit, quam ut commoda miſcendarum rerumpp. ſimul in eadem rep. obtineantur, ſtabiliantur augeanturque (§. 7.): incommoda vero earum quam optime evitentur (§. 8.). Sed temperatio illa partim primariæ civitatis formæ quædam ſummi imperii jura reſervat, partim alia in admixtam aliam unam vel alteram confert (§. 57.); & in qualibet mixta rep. dari debent tum jura reſervata, tum collata ſeu alienata (§. 58.). Cum omnium, quæ in rep. fieri debent, ſuprema lex ſit ſalus publica (§. 86. *P. VIII. Jur. nat.*): fieri & reſervatio & collatio jurium in rep. mixta rectius nequit, quam ſi unice ſalutis publicæ cauſa fiat.

Poteſt v. c. imperium temporarium limitari & ſummitas populo reſervari, ne facile abuſus irrepat (§. 71. *P. VIII. Jur. nat.*). Recte igitur id fit, dum populus non alium ob finem ſibi jus quoddam in actus imperantis reſervat, aut eos ſancitis legibus reſtringit, aut aliorum conſenſui eorum exercitium ſubjicit, quam ne quid detrimenti capiat ſalus civitatis.

§. 63.

Temperatio reip. mixtæ in iis, quæ semper eodem modo fieri possunt, obtinetur legibus a forma adjuncta ne violentur præscriptis; in reliquis, de quibus non nisi e re præsenti judicium fieri potest, utrum sint e re publica, nec ne; consensu alterius formæ diversi generis obtinenda est. Nimirum si imperium limitatur, ejus exercitium certis legibus adstringitur in iis, quæ eodem modo fieri semper possunt; ad ea vero, de quibus non nisi ex præsenti tempore statui potest, quid civitati vel conveniat vel repugnet, consensus vel universi populi, vel saltem quorundam ex populo requiritur (§ 74. *P. VIII. Jur. nat.*). Enimvero si leges illæ constitutæ sunt ab ipsis rectoribus civitatis, vel & concilium ab eisdem institutum, sine cujus consensu in rebus arduis nihil agere velit, nec semper nec necessario iis obstringuntur, sed tollere ista pro lubitu possunt (§. 79. *ibid.*). Quid? quod & populus voluntatem suam declarans de iis, quæ rectorem civitatis facere velit aut nolit, nullum sibi jus in actiones rectoris civitatis reservat, nisi expresserit simul animum, se nolle ejus judicio stare, si secus fecerit, vel sine consensu consilii quidquam in reservatis casibus egerit (§. 81. *ibid.*) Quia nisi his modis & in simplicibus formis civitatis salus publica melius obtineri nequit; & reservatio pariter ac collatio jurium in mixta rep. non nisi melius consequendæ salutis publicæ causa fieri debet (§. 62.): omnino dictis modis temperatio reip. mixtæ instituenda erit.

Temperatio vel fit legibus vel suffragiis aliorum utique sequendis.

Omnino interest, ut diserte exponatur in constituenda rep. mixta, quid vel de legibus latis, vel de consensu aliorum impetrando habendum sit, ne vel invitus reprehendatur ob actiones, quas sibi licere credidit; vel data opera aliter agens obtentu gaudent specioso. Sic autem nullum dubium esse potest de obligatione vel servandi leges, vel adhibendi consensum aliorum, si sine illo consensu, & contra legum mentem suscepta actio nihil vali-

valitura ſtatuatur. Tunc decernens quidquam eorum ſine iſto conſenſu prævio, aut contra mentem legum agens rector civitatis convinci poteſt, quod fidem datam fefellerit, ideoque illius actus hujus generis reddi poterunt irriti nullique. Quam ob rem eo quoque diligentius ſibi ab hujusmodi vel conſiliis conaminibusque cavebit.

§. 64.

Criterium reip. mixtæ.

Inprimis temperatio formæ civitatis inde patet, ſi rector ejus ſalvis legibus regiminis ſublimiora imperii jura quædam ſine conſenſu aliorum exercere nequit. Leges enim, ad quarum obſervantiam in exercitio imperii adſtringitur, leges fundamentales aut regiminis dici merentur (§. 77. *P. VIII. Jur. nat.*). Hujus modi vero eſt lex, qua rector civitatis adſtringitur, ut in ſummis quibusdam negotiis nihil agere poſſit, ſine aliorum prævio conſenſu (§. 78. *ibid.*). Quam ob rem potiſſimum inde noſcitur temperatio formæ civitatis, ſi rector civitatis ſalvis legibus regiminis exercere nequeat ſublimiora imperii jura, niſi conſenſum ſequatur aliorum.

§. 65.

Mixtæ reip. dantur conſortes coimperantes heterogenei.

Mixtæ Reipublicæ temperatio requirit ejusdem ſummi imperii ſed diverſorum jurium participes vel conſortes heterogeneos. In mixta enim rep. temperatio civitatis facit, ut rector ejus ſalvis legibus regiminis præeſſe ſummis rebus nequeat, ſine conſenſu aliorum (§. 64.). Hi, quorum conſenſus requiritur ad exercendum ſummum imperium, ſunt ejusdem ſummi imperii participes, ſunt conſortes vel ſocii nonnullorum jurium imperii ejusdem ſed difformes. Requirit igitur temperatio ejusdem ſummi imperii diverſorum jurium participes heterogeneos, quos vulgo coimperantes, antiqui correctores dicunt, germani Mitherrſcher. De nominibus ſpecialibus ſuo dicetur loco.

Vidi-

Vidimus *P. I. Polit.* conſortes & ſocios imperii homogeneos, ſive collegas vel ſecundarios vel pares. Pares inter ſe erant v. g. bini conſortionem imperii Laconici habentes. Impares vel ſecundarii velut erant, qui adſciſcentis ſe arbitrio fere ſemper aſſurgebant morigeri, uti in monarchiæ collegis quandoque contigit. In mixtis Rebuspp. alia eſt conſortium imperii ratio. Sunt enim rectores civitatis alii, alii vero conrectores vel correctores in ſuis tamen imperii partibus a rectoribus neutiquam dependentes. Exempli cauſa, ſi primaria forma ſit monarchica; adjuncta vero ſecundaria Ariſtocratia: optimates erunt imperii participes, ut ipſis invitis nullum bellum poſſit ſuſcipi, nullum tributum imponi &c.

§. 66.

Licet imperii participes a ſe invicem non dependeant, ordinis tamen ſapientis & conſenſus in publicam ſalutem ratio inter eos eſt neceſſaria. Vbicunque enim dantur coimperantes, vel ejusdem imperii participes, ibi plures gaudent jure de rebus ſummis ſuffragandi, quod per ſe liquet. Vbi pluribus jus eſt ſuffragandi de rebus ſummis, ad ſalutem publicam facientibus; ibi & diſſenſus facilis & abuſus poteſtatis, unde avertendæ abuſionis evitandæque confuſionis ergo æque ordine ſapienti opus eſt, ac in democratia & Ariſtocratia (§. 241. 524. 607. *P. I. Polit.*); ibi etiam pluribus illis opera danda eſt, ut in ſalutem publicam prorſus conſentiant, itaque ſi non omnes ſaltem major eorum pars, quorum ſuffragiis definiendum eſt, quidnam in re difficili vel agendum ſit, vel omittendum. Quare ſi in mixta rep. ſalus publica melius eſt procuranda, ac in ſimplici fieri poteſt (§. 7.): utique neceſſario a conſortibus eſt ordinis & conſenſus in ſalutem publicam ratio apprime habenda.

Inter quos ordo & conſenſio in ſalutem publ. requiritur.

Si ponas diſſenſum inter diverſos imperii participes, aberrabunt vel omnes vel ſaltem pars diſſentiens a ſalute publica, tanquam meta, ad quem omnibus eſſet collineandum. Poſito co-

imperantium diſſenſu in rebus publicis, non poteſt non ſalus communis in periculum adduci, neque ſic erit reſp. mixta, ſed perturbata & confuſanea.

§. 67.

Quemadmodum ille conſenſus ſit firmandus?

Conſenſus hujus firmandi & ſtabiliendi cauſa ſumma adhibenda eſt ſanctitas etiam fidei juratæ pœnarumque. Nihil enim juvaret rempublicam quæcunque vel optima mixtio, niſi opera detur, quanta poteſt, ne illa tollatur; & niſi conſenſus in ſalutem publicam quam optimus, uti eſt neceſſarius in illa (§. 66.), ita quoque perduret & ſancte obſervetur. Quapropter opera utique eſt navanda, quanta poteſt, ut conſenſus in rep. mixta vigeat inter coimperantes ſtabiliatur maneatque immotus (§. 7). Omnis ergo adhibenda eſt vel ſumma ſanctitas, quæ violationi promiſſorum efficaciſſime obſtare poteſt, ideoque & religio conſcientiæ, ipſaque ſanctitas fidei juratæ. Quam ob rem pœnæ graves perfidiæ perjuriique iis metuendæ ſint, neceſſum eſt, qui nihilo ſecius a fide data diſceſſiſſe convincuntur (§. 585. P. VIII *Jur. nat.*). Neque tantum legibus ſanciendæ ſunt pœnæ, pro gravitate delictorum & criminum dato caſu exaſperandæ (§ 636 *ibid.*), ſed etiam exſecutioni dandæ, niſi rationes ſingulares vel remiſſionem flagitent, vel mitigationem (§. 656. *ibid.*).

In ſummis rebus ſumma opus eſſe ſanctitate fidei, res ipſa loquitur. Quo majoris enim momenti res eſt, eo magis intereſt, ne illa negligatur; & quo plurium refert, ne illa negligatur, eo fortiori opus eſt obligatione eorum, quibus eſt demandata imperii ſumma in functionibus ejusdem diverſis. In pœnis tamen infligendis ea ſervanda eſt æquitas, ne graviores adhibeantur, ubi mitiores ſufficere poſſunt.

§. 68.

Quando mixta reſp.

Si mixta reip. forma a genuina conſtitutione aberret, non amplius recta erit, ſed degener et corrupta. Mixta enim reſp. e pluribus ſim-

ſimplicibus ſpecie diverſis coaleſcit (§. 31. *P. I. Polit.*), quæ genuina eſt, dum tam ſapienter eſt temperata, ut commoda ſimplicium rerumpp. in eadem civitate ſimul obtineantur, firmiſſime ſtabiliantur & quantum fieri poteſt augeantur (§. 7.); incommoda vero earundem quam optime evitentur (§. 8.). Si his contraria fiunt in civitate, ſi neglecta ſalute publica in ſimplicibus formis non quæratur, niſi privata coimperantium utilitas; ſi factiones civitatem urgeant, lacerent, obſideantque; ſi res ad rebellionem excidiumque civitatis ſpectet, quis tum neget, illam plane degeneraſſe mixtæ civitatis formam? Non amplius igitur recta, ſed corrupta tum erit illa civitatis forma (§. 299. *P. I. Polit.*). *degeneret atque corrumpatur.*

Neque hoc mirum videri debet in humanis inſtitutis, in quibus nihil tam bene ſe habet, & tam recte conſtitui poteſt, quin abuſu libertatis ſucceſſu temporis vitietur, depravetur & corrumpatur. Quod uti in formis civitatis ſimplicibus oſtenſum eſt (§. 306. *P. I. Polit.*), fecitque, ut olim tres numerentur pravæ vitiatæque ſimplices civitatis formæ (§. 30. *ibid.*): ita quoque in mixtis corruptionem contingere poſſe & ſolere, e natura miſcendarum formarum pateſcit. Quare quot modis formæ mixtæ habentur rectæ, tot modis quoque, illarum degeneratione & aberratione a ſcopo, corruptæ naſcentur.

§. 69.

Cum formæ mixtæ recte ſe habentes vel biformes ſint vel triformes (§. 21. 32. & 43.): & formæ corruptæ non ſint niſi aberrationes a recta indole formæ mixtæ (§. 68.): corruptæ quoque civitatis formæ mixtæ aliæ erunt *biformes*, aliæ *triformes*. Vna tantum corrupta ſanari per alteram poteſt; ſecus eſt, ſi omnes ſint corruptæ, ulceri exitium eo eſt propius quo corruptio eſt major. Si biformes generatim nominibus ſimplicium pravarum appellare lubet, dari poterunt tyranni- *Diviſio corruptionis mixtarum formarum.*

des oligarchicæ & ochlocraticæ; oligarchiæ tyrannicæ & ochlocraticæ; & ochlocratiæ tyrannicæ, oligarchicæve. Sic & triformis vitiositatis nomina facile aptantur, v. c. tyrannis oligarchico-ochlocratica &c.

§. 70.

Remedium corruptionis generale.

Cavendum est solicite in temperatione atque administratione temperatæ reip. ne facile corrumpi possit. Scilicet quando prævidetur, quid sit nociturum, prudentiæ est, illi ejusmodi ratione mederi, ut noxa avertatur, more pugilum ictus prævisos strenue declinantium (§. 465. *P. I. Ethic.*). Quare solicite circumspiciendum est, quænam prodesse possint, & quænam nocere, & quæ adjumento esse possint, in temperatione reip. ad ejus stabilitatem, adhibeantur & observentur; quæ nocumento sunt futura, arceantur, evitenturque (§ 466. *ibid.*). Solicite igitur cavendum est, uti in temperatione, ita in administratione mixtæ reip. ne facile corrumpi possit, itaque validissima nocituris obstacula & remedia promtissima, quæ haberi possunt, opponantur. Quæ nocumenta cum ex abusu potentiæ, potestatis & libertatis proficiscantur, *remedia corruptionis generalia potissimum ad ea redire patet, quæ abusum potentiæ, potestatis libertatisque impediunt & profligant* (§. 50. *seqq.*). De specialibus paullo post erit dicendum.

§ 71.

Resp. mixta vel monocratia vel polycratia.

Bimembri divisione resp. simplex vel monocratia est, vel polycratia (§. 316. *P. I. Polit.*): inde & mixta resp. ratione prævalentis in ipsa primariæ (§. 44. *seq.*) commode bifariam dividi poterit, sine veritatis detrimento, ut alia sit *monocratia temperata*, alia *polycratia temperata*. Polycratia enim denuo dividitur in aristocratiam & democratiam temperatam. Hinc ratio patet, duorum capitum, nunc sequuturorum quibus enucleanda erunt specialia, quæ de mixtis rebuspp. restant.

Non

Non ſunt nova nomina monocratiæ & polycratiæ, ſed uſitata variis v. c. *Paurmeiſtero*, *Martinio*, aliisque. Loco prioris utitur *Suidas* monocratoria, uti & μονοκράτωρ dicitur unus, ille qui rerum potitur. Et loco poſterioris occurrit & πολυκοιρανία in Homero, & contracte πολυκρανία. Prior uſitatius monarchia, poſterior polyarchia audit. *Machiavellus* illam *c.* 4. *de Principiis Rerumpp.* dixit principatum, hanc rempublicam. *Arniſæi L. II. de rep. Cap. I. Sect. 5.* diſſenſum, quo polycratiam ideo rejicit, quia ſpeciem non conſtituit, ideo non moramur, quia hæc ratio nihil probat & eodem rejici modo poſſet diviſio animalis in hominem & beſtiam. Nam quis contendat, beſtiam conſtituere ſpeciem, ſcilicet infimam ſeu proprie dictam, quam urget? Quæ pluribus refutavit *Martini Lib. II. Polit. c. 2. no. 4.* Quia regnum (§. 139. *P. VIII. Jur. nat.*) dicitur ea reip. forma, in qua unius imperium ſive plenum, abſolutum ac ſummum, ſive quomodocunque limitatum aut deminutum penes unum eſt, modo nulli extraneo competat aliquod jus in actus imperii, vel modo ſummitas civitati ſalva ſit: præſtabit in ſyſtemate Politiæ retinere regnum loco monocratiæ. Reip. nomen autem, quia in cæteris caſibus polyarchiæ receptum eſt, ſuo jure non erit privandum.

SECTIO I.

CAPUT II.

DE

Regno temperato.

§. 72.

Quid ſit regnum temperatum vel legitimum.

Regnum *temperatum* hic dici regnum, per heterogeneam civitatis formam limitatum, conſtat ex antea memoratis (§ 71). Idem quoque dici poteſt *regnum legitimum*, quod (§. 262. *P. VIII. Jur. nat.*) dicitur, in quo rex imperium

exercere tenetur juxta leges perpetuas ipsi præscriptas, vel quod legibus humanis rite est limitatum. Istis autem potius quam his legibus imperium limitari patet (§. 77. *ibid.*) ideoque in eodem jus aliquod in quosdam regis actus esse penes alios, ut summum imperium totum non sit penes regem (§. 44. & 73. *ibid.*). Strictius igitur regnum legitimum infert leges humanas non ab ipso rege latas, & sic paria facit cum regno temperato, quod in toto genere suo ut regnum gaudet forma regia.

Antiquis nec immerito regnum legitimum vocatur, quod legibus naturalibus vel & legibus sponte a rege electis, respondet. Quemadmodum *Sallustius in Catilin. c. 6.* de primo imperii romani statu scribit: Romani magis dandis quam accipiendis beneficiis amicitias parabant; *imperium legitimum*, nomen imperii regium habebant: delecti, quibus corpus annis infirmum, ingenium sapientia validum erat, reip. consultabant. Hi vel ætate vel curæ similitudine patres appellabantur. Post ubi *regium imperium*, *quod initio conservandæ atque augendæ reip. fuerat*, in superbiam dominationemque convertit; immutato more annua imperia, binos imperatores sibi fecere. Eo modo putabant minime posse per licentiam insolescere animum humanum. Si consulimus reliquos rerum romanarum autores, deprehendimus Romulo primo Romanorum regi non ab aliis leges esse præscriptas, sed ipsum sibi elegisse quasdam & alias aliis tulisse, uti paullo post planius fiet. Attamen & illa regna legitima dudum dicta sunt, quorum regibus ab aliis hominibus leges fuere præscriptæ. Sic enim *Stagirita* regnum laconicum maxime legitimum (κατὰ νόμον) fuisse tradit *Lib. III. Polit. c. 14.* Vbi & quosdam barbarorum dominatus regna legitima fuisse testatur.

§. 73.

Naturaliter omne regnum esse debet legitimum. *Naturaliter omne regnum debet esse legitimum, etiam si foret dominatus.* Licet enim in regno detur imperium summum, absolutum & plenum, ut strictius Monarchia vocari possit (§. 134. & 139. *P. VIII. Jur. nat.*), & conscientiæ monarchæ relin-

quen-

quendum sit, quomodo imperet, dum nulli homini rationem reddere tenetur, cur sic non aliter imperet (§. 256. *ibid.*): nihilominus tamen obligatur ad salutem populi universi pro norma regiminis habendam (§. 86. *ibid.*) eique convenienter imperium exercere, nec quidquam facere debet, quod bono publico adversatur (§. 255. *ibid.*). Licet igitur imperium in subditos sit tantum, quantum domino esse potest in servum, mancipiumque, hoc est, licet regnum sit dominatus (§. 264. *ibid.*); quatenus is juri naturæ non adversatur, sed vel populus sua sponte subiit servitutem perfectam (§. 269 - 272 *ibid.*), vel justam pœnam sentit in ista servitute (§. 874 *Jur. Gent.*), eatenus & ibi monarcha obligatur ad observanda officia, quæ homo homini debet lege naturali (§. 273. *seq. P. VIII. Jur. nat.*), sibique cavere debet, ne quidquam admittat in imperio exercendo, quod officiis naturalibus repugnet, nec existimet subditum sibi aliter esse obligatum, quam officia ista permittunt (§. 275. *ibid.*), quæ subditos jubent diligere monarcham quoque ut se ipsum, & operam dare, quantam potest, ut sint felices (§. 276. *ibid.*). Cujusmodi imperium legibus naturæ respondens cum jure interno non possit esse nisi legitimum (§. 84. 255. *P. VIII. Jur. nat.*): luculenter patet, naturaliter omne imperium, ipsumque dominatum debere esse legitimum.

§. 74.

Cum jure interno conscientiam obligante omne regnum debeat convenire cum legibus naturalibus, itaque legitimum esse (§. 73.), ob immutabilitatem legis naturæ, oportet ut leges humanæ, quibus regnum limitatur, consentiant cum legibus naturalibus (§. 973. *P. VIII. Jur. nat.*), haud secus ac in formis simplicibus (§ 559. 621 - 631. *P. I. Polit.*). Quare quum hic legitimum dicatur regnum, quod legibus humanis rite est temperatum (§. 72.): apparet, *eo rectius regnum esse temperatum, aut* *Modus genuinæ temperationis regni.*

tem-

temperari, quo magis leges præscriptæ conveniunt legibus naturæ. Et cum solæ leges præscriptæ rem non absolvant, sed peropus sit legum præscriptarum observatione constanti (§. 77. P. VIII. Jur. nat.), *regnum eo melius erit temperatum, quo constantius leges naturalibus conformatæ in eo observantur.*

§. 75.

Quænam forma in regno temperato sit primaria.

In temperato regno & ordine & re primaria est forma monarchica, quæ & regia latinis dicatur. Etenim Monocratia vel Monarchia latine regnum dicitur (§. 71.): inde monocratia temperata idem est ac regnum temperatum vel heterogenea rep. limitatum (§. 72.). Jam mixtio civitatum ita fieri nequit, ut singulis simplicibus in ea idem sit aut par jus summum (§. 44.), sed oportet, ut in ea alia sit primaria, alia secundaria sive re ipsa (§. 45.), sive ordine (§. 46.), sive utraque ratione, quando nil obstat. In regno autem nil obstat, quo minus & ordine, & re primaria sit forma regia (§. 72.). Eam igitur regno temperato tribuendam esse relinquitur.

Ordine primas tenere regnum in formis civitatum simplicibus, constat ex §. 308. *P. I. Polit.*). Ipsum vero & re ipsa in regno temperato prævalere, vel sumi hic potuisset, cum sumtio nihil implicet repugnantiæ, & in toto capite de regno, attamen limitato, agendum sit. Placuit autem sumtionis quoque rationes reddere, quibus illa niti debet.

§. 76.

In regno temperato conservanda est luculenta majestas.

In regno temperando majestatis regiæ ratio nequaquam est negligenda, sed conservanda potius, quantum fieri potest. Generalis enim modus temperandi monarchiam requirit, ut commoda Monarchiæ reddantur certiora, stabiliora & auctiora (§. 22.), & quæ propria formæ sunt nec abusui patent conserventur (§. 56.). Sed commodorum Monarchiæ exteriorum facile primum & proprium est in evidentiori usu fructuque personalis majestatis posi-

positum (§. 10.). Quam ob rem in temperatione ejusdem majestatis usui fructuique minime est officiendum. Si vero majestati regiæ minime est officiendum, illa non tantum non est negligenda, sed potius luculentior, stabilior auctiorque efficienda in regno temperando. Licet igitur summum imperium totum penes regem esse nequeat in regno temperato (§. 72.); opera tamen est danda, ut saltem *signa illius, quibus eminere consuevit, exteriora retineantur solique regi relinquantur.*

Indiciis enim & honoribus regiis diminutis in ipsa civitate, nec exteræ civitates majorem regi honorem tribuent, ideoque diminuta majestas vix majestas esse videbitur diceturque. Licet enim divisa adsint summa jura in regno temperato (§. 64.), nisi tamen exterior ejus facies in uno rege conspicua sit, æque illa regi denegabitur ab aliis, ac primati inter optimates vel in populari statu præsidi. Vt ergo intus & extus salvus maneat majestatis splendor, vel in temperando regno studendum est.

§. 77.

Quæ sint jura majestatis majora?

Prout jura majestatis sunt ea, sine quibus imperio civili salus publica promoveri tantum nequit, quantum eorum ope fieri potest (§. 810. *P. VIII. Jur. nat.*): ita illorum alia esse majora alia minora admonetur (*in nota ad* §. 247. *ibid.*). Dicimus igitur *jura majestatis majora*, quæ summum potentiæ & potestatis publicæ usum legitimum indubie continent ostenduntque. Inter quæ facile maxima dici merentur jus belli & pacis expediendique omnia negotia publica regio nomine, item dominium & imperium eminens. Reliquis majoribus accensentur Jura conferendi dignitates civiles, aliaque munia & præmia publica, jura sacrorum, monetæ, legatorum mittendorum & admittendorum, fœderum pangendorum, gravissimorum suppliciorum decernendorum & remittendorum vel minuendorum &c. Conf. *Cap. IV. P. VIII. Jur. nat.*). In primis hæc in regno conspicua sunt, quando in uno rege residet veneranda

(*Wolfii Politicæ P. II. C. II.*)

dignitas autoritasque ſumma ex horum jurium complexu exercitioque oriunda.

Quia legitimum dico Jurium ſummorum uſum & illum innuo, qui legibus naturæ divinis, & qui legibus humanis ad divinarum normam exactis reſpondet. Ita in regno temperato penes regem quoque habetur ſummus potentiæ & poteſtatis publicæ uſus, licet is legibus ſit circumſcriptus humanis, quæ tamen in noſtra hypotheſi non ſunt niſi leges naturales, ab hominibus agnitæ & regibus ſuis valde commendatæ. Cæterum Jura Majeſtatis, quæ *Tacitus* Sacra regni vocat, ab *Ariſtotele* potiſſimum hæc commemorantur *L. IV. Polit. c. 14.* jus magiſtratus creandi, leges ferendi, jus belli & pacis, fœderum, pœnarum judiciorumque ſummorum. In *Codice Juſtinianeo* tria conſtituuntur veluti capita majeſtatis, nimirum jus ſacrorum, jus boni publici curandi, & jus indicendi bella. *Bodinus*, *Martini* aliique ea dividunt in majora & minora, quorum illa dicunt, in quibus ſumma poteſtas & dignitas conſiſtit, ideoque primo ſunt habenda loco. Quorum alia pacis tempore in rep. regenda, alia belli tempore in eadem defendenda ſunt exercenda. Summi regiminis regalia majora vocant jus leges ferendi & abrogandi, jus ſumma tribunalia & magiſtratus creandi, ipſiusque ultimæ provocationis; jus circa religionem, jus in rem numariam, jus creandi principes, duces, comites &c. jus fundandi academias, jus reſtituendi famam, natalium dedecus abrogandi, & damnatos ſupplicio eripiendi. Defendendæ autem reip. inſerviunt jura fœderum, & quidquid includunt jura belli & pacis. Jure hoc armorum *Bodinus L. I. de rep. c. 6.* nullum jus majeſtatis majus eſſe ſtatuit. *Ariſtoteli* majeſtas modo dicitur τὸ πολίτευμα, quod civitatis vocat ſummam poteſtatem (τὸ κύριον) *Lib. III. Polit. c. 6. & 7. & IV. c. 1.* modo regiam poteſtatem (ἀρχὴν) *L. V. Polit. c. XI. Cellarius* his addit jus vectigalium tributorumque imponendorum exigendorumque. *Polit. L. II. c. 7. n. 26. & n. 30.* majora regalia dicit, quæ occupantur circa res præcipuas, vel gravioris ad ſalutem publicam momenti. De qui-

quibus suo loco data opera erit explanandum, uti ad salutem publicam sint conferenda. Quatenus hic attingenda sunt; jam nota pernuatur ex *cap. IV. P. VIII. Jur. nat.*

§. 78.

Evidentior usus majestatis in regno quantumvis temperato requirit, ut majora summi imperii jura reserventur regi. Est enim in regno temperando Majestatis regiæ conservandæ ratio, quanta potest habenda (§. 76) ideoque signa illius evidentissima soli regi sunt assignanda (§. *eod.*). Enimvero cum signa nuda tantum vana forent & inania, nisi res, quorum sunt illa signa, regi deberentur tribuerenturque, quod per se patet; res autem, quibus majestas inest, sunt summa imperii jura, in primis quæ majora vel maxima dici merentur: prono fluit alveo, quænam jura regi sint in regno temperato quantumvis salva relinquenda, ut majestatem possidere intelligatur, scilicet ea, quæ majora & maxima summi imperii jura dici merentur (§. 77.). *Jura majestatis majora regi sunt reservanda.*

§. 79.

Quæ jura majestatis majora regi integra relinqui nequeunt, ea tamen ipsi, quatenus nocere nequeunt, sunt reservanda. In temperatione regni occurrendum abusui jurium regiorum (§. 8.). Hinc quatenus jurium majestatis majorum usus nocere reip. potest, eatenus is in temperatione ita erit restringendus limitandusque ne nocere possit (§. 38. 56. & 62. *seq.*). Quatenus vero usus eorum jurium nocere nequit, eatenus integer & salvus relinquendus est regi, propter majestatem ejus quantum fieri potest conservandam (§. 76.). Reservanda igitur sunt regi majora majestatis jura si non integra, saltem quatenus innocua sunt futura. *Si non prorsus saltem restricte.*

Vnica saltem præcipua temperationis regni ratio est, ut occurratur damnis ex abusu majestatis oriundis. Quare temperatio & intra hos limites coërcenda, ut non obstet nisi nocumentis & abusui ejusdem. Reliqua igitur, quæ nocere vix aut parum possunt, integra & illibata Regi sunt relinquenda.

§. 80.

Quis exerceat jura majestatis suo vel alieno nomine?

Quemadmodum *suo nomine agere* perhibetur, quisquis aliquid agendi jus perfectum habet, ideoque proprio jure, sua autoritate, aut & sua causa id agit: ita *alieno nomine agit*, quisquis jure id agendi destituitur, ideoque tantum jure alterius sibi demandato concesso, & tantisper in se recepto vel alterius jussu aut rogatu id agit, uti mandatarius, negotiorum gestor, vel minister & servus. Pariter imperare vel exercere jura majestatis suo nomine dicitur, qui ipse perfecto & proprio jure gaudet expediendi negotia summi imperii, ideoque illa suo nutu arbitratuque vel propria autoritate legitime expedit. E quibus jam claret, quid sit expedire negotium publicum nomine alterius. *Expedire* autem notat, & impedimenta removere, quæ negotio obstant, & cuncta promte penetrare ac provide in rem suam vertere, quæ feliciori ejus exsecutioni & absolutioni adjumento esse possunt.

Si leges sint ferendæ, quin in regno absoluto rex suo nomine illas ferre & promulgare possit, quis dubitet? In regno temperato ne leges nocituræ ferantur, prohibere poterit adeo necessarius ad eas consensus populi vel optimatum, ut sine illo ferri non possint. Enimvero nocere nihil poterit, si rex gaudeat jure proponendi legem, quæ ipsi ferenda videtur, suffragia audiendi, numerandi, & si plerisque lex arrisit, eam suo nomine confirmandi, promulgandi ejusque custodiam procurandi.

§. 81.

Quatenus expeditio jurium majestatis regio nomine sit facienda?

Si usus jurium majestatis præsens deprehenditur e publica re esse futurus ab iis, qui eorum moderaminis sunt participes; nil obstat, quo minus expeditio illorum in regno temperato peragatur regio nomine. Quatenus enim vel majora & maxima majestatis jura nocere reip. nequeunt, eatenus illorum usus integer regi est permittendus (§. 79). At si usus Jurium Majestatis præsens deprehenditur saluti publicæ esse profuturus, is eidem nociturus non

est.

est. Salvus igitur & illibatus is regi erit ita reſervandus, ut ſuo jure & nomine illi præeſſe poſſit. Præter ea quoque dignitati & prudentiæ regis convenit ſapienter decreti negotii publici expeditio, ſuæ gloriæ ſuique regni bono quam optime peragenda. Neque minus convenit conſenſui in regno temperato, promovenda iſthæc regiæ majeſtatis fiducia, eo diligentius a rege tuenda, quo promtius aſſignata ſunt regi, quibus ipſi opus eſt, ſubſidia, & quo certius denegarentur paullo poſt, ſi minus recte collocarentur. Patet igitur, quoties uſus jurium majeſtatis præſens deprehenditur reip. eſſe expediturus ab his, qui eorum abuſui debent obeſſe, toties vel in regno temperato conſultum eſſe, ut illorum expeditio nomine regio peragatur (§. 80.).

Brevius dici poteſt, uſum & majorum & maximorum majeſtatis jurium innocuum omnem, regi eſſe vel in quovis regno temperato relinquendum. Neque enim aliud in eo cavendum eſt, quam uſus eorundem nocuus, ſeu abuſus. Sane belli jura, ideo ad maxima majeſtatis jura referenda, quod in illo omnis reſp. in ſummum diſcrimen aut adducta jam eſt, aut adduci facile poteſt, vel in Ariſtocratiis & democratiis unius prætoris aut dictatoris arbitrio feliciter commiſſa fuiſſe, & aliquoties in hac politica notatum eſt, & Hiſtoriæ antiquæ non minus quam recentiores exemplis confirmant luculentiſſimis. Quod in illis prætoribus quandoque item regibus laconicis perpetuo factitatum eſt inſigni cum reip. emolumento & incremento: idem meritiſſimo in regnis temperatis retineri eccui mirum videri poteſt?

§. 82.

Dum ad evidentiorem majeſtatis uſum in regno temperato majora & maximα ſummi imperii jura ſunt reſervanda (§. 78.); ad maxima autem ſummi imperii jura refertur jus belli & pacis, jus cuncta negotia publica nomine regio expediendi; item dominium ac imperium eminens (§. 77.), eorumque uſus *Quæ breviter recenſentur.*

 inno-

innocuus regio nomine faciendus (§. 81.): relinquitur in regno temperando *jura summa publica quæque negotia tempore belli & pacis expediendi nomine regio, itemque dominium & imperium eminens regi esse reservanda.* Ex eadem quoque ratione jus conferendi quascunque dignitates civiles, munia & præmia publica, jus vitæ & necis, supremæque jurisdictionis & provocationis, jus sacrorum & monetæ, jus tribuendi privilegia, condendi academias, honestandi natales, & famam restituendi; jus abolendi inquisitionem, jus convocandi ad comitia, & reliqua jura hisce similia regi itidem esse sacranda, quantum fieri potest. Sed in temperato regno fieri nequit, ut ista jura omnia soli relinquantur regi (§. 76.). Hinc seu legum norma, seu prævio eorum, quorum interest, & quorum est imperii consortium, consensu publica illarum exsecutio regio nomine est facienda, ut quæcunque legitima hinc salutaris & innocua est eorum applicatio, ea sit omnino in regia potestate (§. 81.).

In exercitio jurium quorumque, inde & publicorum summorumque discernendum est decretum sapienter formandum, ubi, quando & quomodo illa in præsenti rerum statu jura sint adhibenda, ab ejusdem exsecutione. Hæc enim fieri potest vel suo, vel alieno nomine. Mandatarius nempe & servus expedit mandantis & domini negotia, non suo, sed mandantis & domini jussu atque autoritate. Jam in regno temperato pariter atque absoluto, deliberatio v. c. de bello suscipiendo aut omittendo, & decretum post maturam consultationem fieri potest pleno consensu eorum, qui vel consulunt tantum in medium, vel suffragia ferunt decretoria. Facto autem decreto, illius exsecutio, prout consultius videtur, vel fieri potest per ipsum monarcham vel per ipsius summum belli ducem, aut plures belli duces, non nisi nomine monarchæ omnia in bello gerentes, pacemque tandem pangentes. Pari modo & a rege in regno temperato expeditio bellica secundum decretum ab ordinibus regni factum fieri potest vel ab ipso rege præsente, suo nomine bellum indicente

cente & prudenter gerente, vel regio nomine & juſſu a belli ducibus. Prius in decreto poſtulat temperatio regni, ne temere bellum ſuſcipiatur, poſterius in expeditione majeſtas regia in regno temperato quantum pote conſervanda & effulſura.

§. 83.

Duo extrema in regno temperato vitanda.

Quantum in regno temperato cavendum eſt, ne abuſus regiæ majeſtatis invaleſcere poſſit, tantum quoque curandum, ne majeſtas regia evileſcat & in vanum abeat nomen. Nulla enim aut inepta foret temperatio regni, niſi ſapienter occurreret abuſui regiæ majeſtatis, potentiæ, abſolutique imperii (§ 88. 50.). Quam ob rem omnino neceſſarium eſt, ut in regno temperando præcaveatur, ne exitioſa tyrannis ex invaleſcente abuſu ſummæ poteſtatis & potentiæ exſiſtat prognaſcaturque. Enimvero ſi poteſtas atque potentia regia eo usque diminueretur, ut vix quidquam, præter nomen ejus inane regi ſupereſſet, vix amplius regnum dici mereretur, ſed ab alia forma præpollente nuncupandum eſſet (§. 315. *P. I. Polit.*). Quantum igitur cavendum eſt in regno temperato, ne abuſus regiæ poteſtatis & potentiæ invaleſcere poſſit, tantum quoque providendum eſt, ne majeſtas regia evileſcat, nec niſi vanum ei relinquatur nomen.

Metus tyrannidis in regno abſolutiſſimo, quod *Ariſtoteli* dicitur dominatio barbarica *L. III. Polit. c. 14.* cum qua & quinta ſpecies regni, quam ibidem memorat, propemodum convenit, in qua itidem unus omnium eſt dominus (κυριος); item παμβασιλεια *cap. XV. ibid.* & contemtus majeſtatis regiæ, in vano nomine duntaxat reſiduæ, duo ſunt mala, regno pariter fere detrimentoſa, itaque & pari fere ſtudio fugienda. Prodeſſe enim regno nequit majeſtas, quæ nihili fit domi, nihili habetur foras. Spectabit ergo res ad αναρχιαν, interitum regni ſerius ocyus parituram, uti ſæpius in ſacris paginis notatum reperimus *Judic.* XVII, 6. XXI, 25. &c. De Argivis *Pauſanias L. II. qui Corinthiaca* inſcribitur, poſtquam eorum reges in tria regna diviſos deſcri-

descripsit, hæc subjungit: at Argivi, qui jam tum ab initio libertatis & juris æquabilis fuerant perstudiosi, regiam potestatem usque eo coëgerunt in ordinem, ut Cesi liberis, ejusque posteris nihil omnino quam regni nomen reliquerint. Meltam postremo Lacidai filium, Medonis nepotem, capitis damnatum populus imperio spoliavit, nec ab eo tempore quenquam regnare sivit. Itaque regno everso status popularis, ut jam ante ætatem Lycurgi regnante Labota Lacedæmonii Argivos, sine rege agentes, ob turbatos fines bello petierint. Vid. *Emmius de Rep. Argivorum.*

§. 84.

Similia majestati similiter sunt temperanda.

Quod de primo monarchiæ ornamento proprio, usu effulgentis maxime majestatis, diximus, idem facile quoque transfertur ad reliqua ejusdem commoda insigniaque, quorum tantum avertendus est abusus. In temperando enim regno opera navanda est, ut commoda monarchiæ evadant eo certiora, stabiliora atque auctiora; incommoda autem & abusus jurium quam optime removeantur (§. 22.). Vti ergo inter commoda ejus primum fere locum tenebat evidentior usus majestatis fructusque (§. 10); inter incommoda vero ipsius eminebat abusus potestatis & potentiæ absolutæ in aliorum præsertim subditorum injuriam (§. 20.); atque iste abusus erat præcavendus, ne invalescere posset (§. 83.): ita quoque cæterorum Monarchæ jurium commoda tum conservanda sunt & stabilienda atque augenda, tum incommoda & abusus, qui fieri possunt, & alibi proruperunt, arcenda & cohibenda quam optime fieri queat.

Similium nempe similis, & parium par est ratio, eodemque idcirco & pari modo talia determinantur (§. 220. *Ontol.*). Si qua ergo sunt alia monarchiæ commoda aut incommoda, quæ majestatis regiæ insunt vel facile accidunt: ea priori casu æque erunt venanda & ad regnum perficiendum applicanda, atque posteriori casu declinanda & eliminanda. Postquam ostendimus (§. 78. *seqq.*), quomodo jura majestatis in regno temperato sint

reſervanda aut communicanda & conferenda: nunc nullo negotio perſpicietur, quid in juribus regiis vel contineatur, vel eisdem ita innexum dici mereatur, ut ſimilitudo ejus ſit aperta, & puritas rationis, inde & temperationis in regno minime obſcura. Paucis igitur hæc poterunt explanari abſolvique.

§. 85.

Applicatio ad cætera regni peculia.

Novimus autem, præſtantiam generis & virtutum monarchæ, ejus moderationem & benevolentiam erga ſubditos, ad inſtar celebratiſſimorum ſui ſimilium, ſecuritatem & fortunationem virtute eximia præditorum, regni diuturnitatem haud interruptam, expeditiorem rerum arduarum conſultationem exſecutionemque, arcanorum taciturnitatem, tutiſſimum rerum gerendarum præſidium, potentiæ & religionis firmamenta commodis regnorum non immerito accenſeri (§. 11. *ſeqq.*). Ea propter cum quod de majeſtate perſonali, cimelio regio dictum fuit, etiam de cœtetis juribus commodisque regiis ſit accipiendum (§. 84.): perſpicuum eſt, *quæcunque in cunctis regni peculiis reip. nocere nequeunt, ea conſervanda firmanda & amplificanda eſſe ope temperationis, nec niſi nocituro abuſui inprimis potentiæ obices eſſe ponendos* (§. 8. & 50.). Quoniam in rebus frequentioribus, eandem normam admittentibus temperatio abſolvitur legibus ſancte cuſtodiendis; in cæteris vero conſenſu formæ adjunctæ obtinendo (§. 63): in his quoque commodis regni peculiaribus promovendis, impediendis vero arcendisque incommodis & periculis ſimili utendum erit temperatione, quatenus ea eſt opus.

§. 86.

Quomodo libertati regnicolarum ſit conſulendum?

Quia in temperanda monarchia libertati civili & naturali civium conſulitur (§. 51.) & conſulendum eſt (§. 7.); libertati vero civium non nocet niſi abuſus potentiæ & poteſtatis abſolutæ, quo cives in ſtatum ſervitutis redacti peſſime haben-

bentur: manifeſtum eſt, in regno temperando non niſi id potentiæ & poteſtati ſummæ derogandum, & vel optimatibus, vel populo conferendum eſſe, quod ſufficere poteſt ad avertendum iſtiusmodi abuſum, civibus eorumque libertati perniciosum. Elucet hinc, *quomodo libertati civium in regno temperando ſit proſpiciendum?*

Nondum hic ſermo eſt, de variis libertati populi vel civium in regno conſulendi modis; ſed generatim tantum oſtendendum eſt, quo pacto eidem conſuli ita poſſit, ne in ſervitutem cives detrudantur, dum ab eadem abhorrent. Quibus enim unum idemque eſſe videtur, ſintne liberi an mancipia; illi cura libertatis non afficiuntur, neque de temperanda monarchia cogitabunt. Sed quibus ſua libertas curæ cordique eſt, hi & in regno temperando illi conſultum ibunt, quemadmodum id ſibi ſalutare futurum eſſe exiſtimabunt.

§. 87.

Occurrendumque ſimul licentiæ. Dum libertati civium in regno temperando conſulendum eſt (§. 86): *curandum ſimul eſt, ne effrænis licentia pro libertate habeatur.* Libertas enim eſt independentia a voluntate alterius hominis in agendo (§. 153. *P. I. Jur. nat.* & §. 145. *P. VIII. Jur. nat.*) Quæ civilis dicitur, quando actiones pertinent ad bonum publicum promovendum; naturalis autem in privatis actionibus humanis ſe exſerit. Licentia autem in mero abuſu libertatis ad prava continetur vel in jure ficto agendi quidquid libet (§. 150. *P. I. Jur. nat.*). Quia ubique cavendum eſt, ne libertas in licentiam vertatur (§. 159 & 66 *P. I. Jur. nat.*): & in libertate civium regni firmanda tuendaque cavendum erit, ne & ipſa in licentiam abire poſſit, vel ne loco libertatis licentiæ lenocinetur temperatio regni. Neque enim hæc minus exitioſa eſt regno, ac ipſe abuſus regiæ poteſtatis potentiæque. Inde æquali cura utrique occludendæ ſunt fores.

Non

Non nisi desipientium est, ita vitio cuidam vitando operam navare, ut in contrarium aliud incurratur. Neque evitaturo charybdin tam incaute navigandum est, ut incidat in Scyllam. Hinc in temperando regno non litandum, nisi veræ libertati, legitimo usu facultatum suarum contentæ. Abominandum vero & longissime proscribendum, quidquid temeritati licentiæque fomitem præbere posset, vel animos ad eandem inflammare.

§. 88.

Quoniam temperatæ respp. gradibus inter se multum differre possunt (§. 55.): *regna quoque ita temperari possunt, ut gradibus admodum differant.* Sicut enim temperatio modo plura, modo pauciora jura summi imperii alii formæ simplici tribuere, alii adimere potest (§. 53.), ut vel sublimiora vel inferiora jura uni aut alteri assignentur, item ut vel major vel minor sit formarum simplicium in usu summorum jurium consensus (§. 54.): ita & in regno temperato plura & graviora jura regi relinqui, vel & cum optimatibus aut populo communicari, aut his ex integro conferri possunt, ut & exsecutio ab iisdem una curetur, saltem rationibus reddendis obnoxia persistat. Pariter & consensum formarum in regno mixtarum alibi majorem esse, alibi minorem experientia & olim & nunc testatur. Vnde pro numero & pondere reservatorum regi jurium, & pro consensus ejus diversitate cum forma adjuncta, aut sicubi plures fuerint, cum formis adjunctis, different regna temperata.

Regna alia magis alia minus sunt temperata.

§. 89.

Temperatio regnorum aut ex sensu nimii oneris incommodorum ejus oritur, aut ex prævisione eorum, & studio illa ita avertendi, ne sint sentienda. Quia ab hominibus non omnino desipientibus nihil suscipitur sine ratione, quam sibi sequendam esse statuunt, teste experientia communis principio rationis sufficientis suffulta: oportet, ut qui de regno temperando vel deliberare, vel

Duplex fons temperationis regnorum.

vel ſtatuere debent, ratione ad id inducantur ſibi perſpecta, tantique æſtimata, cujus gratia ſibi non aliter ſit agendum. Ejusmodi vero ratio, aut rationes, perſpici non poſſunt, niſi vel confuſa vel diſtincta cognitione. Confuſam cognitionem ſuppeditant ſenſus quicunque, quibus rem præſentem mente ſic apprehendimus, ut ejus nobis conſcii ſimus, attentionem in re tota defigentes. Diſtinctam vero cognitionem debemus intellectui res intimius contemplanti, & quæ ipſi inſunt, diſcernenti (§. 275. & 287. *Pſychol. empir.*). Proinde rationes quoque, propter quas temperandum eſſe regnum videtur, aut confuſe percipiuntur ipſo ſenſu nimii oneris incommodorum, ex abuſu regiæ poteſtatis potentiæque oriundorum; aut diſtincta præviſione eorum, antequam adſint & ſentiantur, conjuncta cum ſtudio haud proletario illa ſic avertendi, ne ſint unquam ſentienda.

Item rationes temperandi regnum vel cognoſcuntur a priori, vel a poſteriori (§ 435. *Pſych. empir.*). Quæ a priori cognoſcuntur, ea ex notionibus diſtinctis ratiocinando colligimus; quæ a poſteriori tantum, ea experiundo addiſcimus (§. 434. *ibid.*). Sed experientia non eſt niſi cognitio eorum, quæ ope attentionis ad ſenſationes noſtras patent (§. 664. *Logic.*), ideoque non niſi rerum ſingularium & quidem præſentium (§. 665. *ibid.*) Quare cum experientia non ſit ratio nec intellectus, experientia non præſtat nobis niſi ideas confuſas, ſenſationibus reſpondentes. Cujusmodi ſunt in noſtro caſu ſenſus oppreſſionis & incommodorum ex abuſu regiæ poteſtatis obortorum. Quæ autem ex præviſione malorum & nato inde ſtudio ardenti ea avertendi, ne ſint ſentienda, ortum ducunt, ea a priori & beneficio rationis diſtincte cognoſcuntur Quam ob rem patet, temperationem regnorum naſci aut ex ſenſu nimii oneris abuſuum regiæ poteſtatis, aut ex præviſione eorun-

rundem, conjuncta cum studio arcendi illa, ne sint perpetienda.

Scire demum nos rem quamdam antiquissima Philosophia tum statuit, cum causas rei perspectas habemus. Omnes, inquit *Aristoteles Nicomach. L. VI. c. 3.* existimamus, id quod scimus, aliter habere non posse - - - & scientiam esse habitum demonstrandi (ἕξιν ἀποδεικτικήν) - - quando nota (animo) sunt principia (αἱ ἀρχαὶ rationes primæ) tum scit. Et *Analyt. L. I. c. 2.* scire rem censetur is, qui causam, per quam quidquam est, ita ipsius causam esse cognoscit, ut non possit omnino id aliter habere. Quare & temperationem regni scire melius non possumus, quam exploratis illis ejus caussis & rationibus, per quas certum est, rem aliter habere non posse, vel si in liberis actionibus versamur, per quas intelligimus, morali necessitate rem aliter aut melius comparari non posse. Moralis necessitas adest, ubicunque legibus divinis obligamur ad aliquid faciendum vel omittendum, ubicunque officio nostro est fungendum, vel ubi felicitas nostra & salus societatis civilis aliter aut melius procurari nequit. Moralem hanc necessitatem illi occurrendi abusui summæ potentiæ & potestatis regiæ, quo felicitas singulorum & salus omnium pessumdari potest, duplici modo animadverti posse ostendimus, aut tristi experientia oppressionis jurium & eversionis salutis communis, aut prævisione ejusmodi lernæ malorum, partem a priori contemplando id, quod abusu libertatis, vel licentia pravitatis humani fieri potest, partem ope historiæ, aliorum regnorum tristibus fatis confirmantis, non abs re id metui, quod factum esse sæpenumero docemur.

§. 90.

Frequentior est temperatio regnorum

Prima & frequentissima temperandi regna ratio ponenda est in sensu calamitatum, ex abusu summi imperii utcunque profectarum; rarior illa ex prævisione, in prima statim regni constitutione adhibita. Difficilior enim est prævisio futurorum contingentium, & quæ *a posteriori*

quam a priori facta. datur, ea potius eorum eſt, quæ fieri poſſunt, quam quæ certo ſunt futura (§. 470. *P. I. Ethic.*), quod & ſua unumquemque docet attentio ad ſe ipſum, aliorum actiones futuras dijudicaturum. Facilior vero certior & cujusque vel rudiſſimi hominis captui reſpondet ſenſus malorum, quæ ipſum premunt & ægerrime afficiunt (§. 246. & 249 *ſeqq. P. II. Phil. pract. univ.*). Ejus naturalis effectus eſt, ſtudium liberandi ſe illis calamitatibus, easque in poſterum arcendi. Quæ ſi applicemus ad regna, abuſu ſummi imperii ſubditis permoleſta, illico patet, niſi ejusmodi abuſum perraro fieri doceri poſſit, quod utique fieri nequit, frequenter ſenſum calamitatum ex abuſu ſummi imperii profectarum homines impuliſſe ad regum poteſtatem aut temperandam, aut aliis dandam, aut abjiciendam. Hanc ergo primam & frequentiſſimam temperandi regna rationem fuiſſe, & natura hominum docet, & hiſtoria confirmat (§. 4.). Cum illa prævifio incommodorum Monarchiæ in primis conſtituendis regnis & perdifficilis fuerit, & incerta quodammodo & ad ſummum probabilis (§. 471. *P. I. Ethic.*); vix illa ſine conſenſu & comprobatione ſufficere aut tanti videri hominibus potuit, ut temperandi regni conſilium potuerint inire. Poſtea ſi ituri civitatem ignorarunt tyrannides ex monarchiis ortas, aut vicinas tantum ſpectarunt monarchias abſolutas vel nondum corruptas, vel barbaricas: Etiam illis temperatio imperii vix in mentem venire, nedum ut par eſt deliberari definirique potuit. Eo igitur caſu tantum de regno temperando aut reformando (§. 6), ſoliciti eſſe potuerunt futuri aut jam dudum antiqui cives, quo ſatis ipſis notum compertum fuit aliorum exemplis, ad quid compulſi fuerint alii, ſuis ſe oppreſſionibus et perpeſſis injuriis liberaturi, & quid deprehenderint optimum factu, in metu periculorum ſimilium profligando. Quod cum non niſi raro contingere poſſit, poſt respublicas olim

con-

conſtituras; rariorem omnino eſſe illam regni temperationem a priori, vel ex præſcientia incommodorum regni & modi ea arcendi profectam, conſtat inter omnes.

Vti in aliis rebus, ita & in publicis homines empirici eſſe conſueverunt, in eo adquieſcentes, quod ſenſuum ope recte ſe habere cognoverunt. Ne malum quidem bene poſitum vel quod tolerabile judicant, loco ſuo movendum putare ſolent, niſi neceſſitate quadam, aut inſtigatione aliorum urgeantur. Propter libidines muliebres regno exutus fertur Sardanapalus, *Juſtini L. I. c. 3.* Propter crudelitatem erga Cyrum infantem Aſtyages in prælio a Cyro captus a regno Medorum ad Hyrcanorum gentem rediit. *ibid. c. 6.* Occiſis magis eligitur Darius Hiſtaſpis. *ibid. c. 10.* A morte Codri, ultimi Athenienſium regis, nomen regium, quod id libertati grave videretur, abrogatum eſt, filio tantum prætoris (αρχοντος) nomine dato. Spartæ cum ordines præſentis ſtatus ſui pigeret, Lycurgus adſcitus legislator imperii regii nervos incidit, addito Senatu, qui et regem et populum in officio contineret, e 28 ſexagenariis viris præſtantiſſimis ſelecto. Vltimus Laconicorum regum Cleomenes, occiſo collega Agide, & trucidatis Ephoris, dum majora molitur ingenti prælio victus ſeſe & regnum evertit, poſtquam 880 annos dyarchia ſubſtitiſſet. Carthago aliquamdiu regio gaviſa imperio, illud libertatis ſtudio poſtea repudiavit, pariter ac urbs Thebana, Corinthus, & tyrannidis pertæſa urbs Syracuſana. Samus dominatu rejecto libertatem recuperavit; æque ac Achaja filios Ogygi inſolentiores regia poteſtate exuit. Romanos Tarquinium ſuperbum cum ſuis exulem eſſe juſſiſſe, eundemque inter Gabios cædium & rapinarum ultores interfectum, *Livius* autor eſt, *in fine Lib. I. Hiſt.* Plura exempla ſuggeret & antiquiorum temporum, & recentiorum memoria, ſi pleraque regna temperata mente perluſtremus, in cauſas temperationis intenti. Non diſſimulabat Samuel Iſraëlitis abuſum regiæ poteſtatis & inter ipſos oriturum, quum regem ſibi expeterent, qui ipſis ad inſtar aliarum gentium præeſſet; addita comminatione, ſi d. in-

juriis conquesturi & Deum invocaturi essent, eos tum suis calamitatibus ut pœnæ promeritæ relictum iri. 1 *Sam.* VIII. 11 - 18. *seq.*

§. 91.

Temperatur regnum rege vel volente vel nolente.

Temperatio regni vel suscipitur rege autore & volente, vel eodem nolente. Etenim si rex absolutus ipse bene imperet, consideretque, quam facile degenerare quisquam inter suos posteros & ita sævire possit, ut regno exuatur; ideoque ut posteris suis regnum relinquat stabilius seu perpetuum, ipse illius temperationem ejusmodi instituat, qua posteris perpetuitatem regni parari posse prævidet, quis illi ea in re obstabit? Quis ipsum hoc suo jure facere posse hæreat? (§. 291. *P. VIII. Jur. nat.*) Hoc casu ipse rex temperandi regni autor fiet statorque, ideoque ipso sponte & sapienter hoc volente temperabitur regnum, quod huc usque fuerat absolutum. Nec multo dispar erit ratio, si aliis id suadentibus vel persuadentibus, vel si petentibus civibus id indulgendum esse arbitretur, atque ita pariter sponte consentiat in regni temperationem sapientem.

Enimvero si regi temperatio prorsus displiceat, & bello implicetur, quo victus ita ad incitas redigatur, ut victore jubente, nec aliter pacem inituro, non possit non in ejusmodi temperationem regni consentire, qua victori pax stabilior in posterum paretur: quis tunc neget, temperari ejus regnum ipso nolente & vel maxime invito? Hujusmodi autem casus plures dari posse, ubi regi invito in temperationem regni sit concedendum, non indiget prolixa demonstratione, re ipsa id satis loquente. Quare cum jus securitatis omnibus natura concessum sit (§. 918 *P. I. Jur. nat.*), & quilibet obligitur, ad impediendum ne quis lædatur ab alio, quantum in potestate sua est (§. 988. *ibid.*): si quis monarcha ab abusu absoluti imperii in gravissimas aliorum injurias avocari se aliter non patiatur, quin

quin ipſo nolente abſolutum ejus imperium temperari poſſit, nullum eſt dubium.

Priorem caſum illuſtrabo exemplo Regum Laconicorum, Herculis, Agamemnonis & Oreſtis poſterorum, qui olim pro libitu regnarunt. Ariſtodemus limitavit regnum filiorum dyarchia inſtituta. Hæc nuda erat limitatio. Deinde Polydoro & Theopompo regnantibus temperatum eſt regnum conſtitutis ephoris, frænum ferocienti regum poteſtati injecturis. Hinc Theopompus uxori id factum dolenti, reſpondere potuit, ſe quidem anguſtius, ſed diuturnius regnum liberis eſſe relicturum; & *Plato* ipſum tertium ſervatorem reipublicæ laconicæ ſtatuit, contenditque divino quodam conſilio moderatam ſenum poteſtatem ἰσόψηφον inſolenti regum poteſtati fuiſſe adjunctam, addito quoque ad tumentem piratarum potentiam comprimendam ephororum magiſtratu. Poſteriorem vero illuſtrat Hiſtoria Crucigerorum in Pruſſia, ad quorum impotentem dominationem & bellandi libidinem infringendam Reges Poloniæ tandem pacem cum ipſis inire noluerunt, niſi ordines Pruſſiæ ſubſcriberent & hanc conditionem reciperent, prout & ordines regni viciſſim promiſſuri erant, ſcilicet, ſi quondam rex Poloniæ, vel Magiſter ordinis Teuton. hanc pacem non ſervaret, ſed violaturus eſſet, tum ordines illi ea in re nequaquam adſtipulaturos, nec parituros eſſe. Vid. *Schützius Chron. Pruſſiæ de Pace æterna Anni 1436.* fol. 128.

§. 92.

Regni temperatio vel interna eſt vel externa.

Temperatio regni a rege, aut generatim republica externa procurata, *externa* merebitur dici. Quæ vero in ipſo regno a rege & populo vel regni ordinibus tantum peragitur, ſive volente ſive nolente ſed invito rege ineatur, *dicenda erit interna*, ne una cum altera confundatur. Vtramque in regno locum habere poſſe, haud difficulter perſpicitur ex §. 91. & ab experientiæ conſultis.

Simile quiddam conſpicere licet in imperio domeſtico. Poteſt enim de limitando imperio domeſtico & partiendo inter ſe con-

venire, tantum pater & materfamilias pacto vel ante post nuptias inito. Possunt quoque parentes futuræ matrisfamilias de imperio mariti in uxorem moderando pacisci, & de aliis rebus ad imperium domesticum pertinentibus, uti de bonis paraphernalibus similibusque. Taceo vel nolente altero conjuge imperium domesticum seu extendi seu restringi posse, precario, clam, aut vi ipsa. Quo minus mirum erit, ea & in regno temperando locum habere. Quod enim ratione imperii domestici est pater & materfamilias, conjunctim in domo imperantes, idem sunt in regno reges & ordines regni. *Ordines* enim breviter dicuntur secundarii consortes summi imperii, vel illi cives, qui summi imperii sunt participes (§. 65. *seqq.*), sive illi in regno sint soli optimates, sive etiam populus universus, aut curiatim tributimve spectatus, uti senatus regni superior & inferior passim usitatus. Vulgo sed minus latine ordines regni dicuntur coimperantes secundarii.

§. 93.

Quando temperatio interna sit periculosa?

Rege nolente, & intus pariter atque extus præpotente, temperatio regni interna sine summo periculo suscipi nequit. Etenim temperatio regni interna vocatur, quæ initur a rege & regni ordinibus (§. 92.). Si vero rex abhorreat a temperatione regni, ideoque sponte in eam consentire nolit, voluntaria regni temperatio locum non habebit (§. 91.). Aliter ergo quam nolente rege, tum regnum non poterit temperari. Si vero rex nolens temperationem summæ potestatis, & intus thesauris & exercitibus, & extus fœderatis aliis regnis præpotens sit, infirmiores rege ordines vel cives regni sine summo periculo temperationem extorquere non poterunt. Quam ob rem rege nolente & intus pariter atque extus præpotente temperationi regni interni sine summo periculo adeundo nullus erit locus.

§. 94

§. 94.

Occasio temperandi regna sine periculo peti solet a casu fatali, v. c. morte regis, post graves oppressiones sequuto; nisi extrema necessitas illum occupare jubeat. Si enim regnum sit absolutum, monarcha invito & præpotente temperatio suscipi non potest sine summo periculo (§. 93.) ideoque exspectandum erit tempus opportunum, quo periculum vel nullum sit vel exiguum, quum malum minus, quo declinari majus potest, præferendum sit majori, tanquam bonum esset (§. 897. *Psychol. empir.*). Sed occasio continet tempus rei agendæ opportunum faventesque cæteras conditiones (§. 158. *seqq. P. II. Philos. pract. univ.*). Patet ergo temperationem, regni monarcha invito periculosam, differendam esse in tempus opportunum, offerens occasionem eam tuto, tranquilleque absolvendi. Cujusmodi tempus est, si quis casus adeo fatalis regi accidat, ut nihil ab eo metuendem sit, veluti si morte regis improlis inopinata jus ipsius in regnum extinguatur. Ab ejusmodi casibus igitur peti & potest & solet tuta regnorum temperatio, si graves populi oppressiones ejus desideria accenderunt, ad immunitatem ab iisdem summo opere antelandam.

De occasionibus Regni temperandi.

Enimvero uti introductis rerum dominiis nemini auferri potuit penitus usus rerum necessarius (§. 562. *P. VI. Jur. nat.*), sed mansit hominibus jus necessitatis, ad actus quosdam alias non licitos, eo quod sine illis officio naturali prorsus minime negligendo satisfieri nequit, (§. 564. *ibid.*): ita quoque imperio utcunque rite constituto, tolli obligatio civium naturalis non potuit, ut cogerentur eidem contraria agere (§. 672. & 1100. *P. VII. Jur. nat.*). Vnde vel servo ob nimiam domini sævitiam aufugere licet (§. 1126. *ibid.*). Quare cum imperium in nulla societate extendendum sit, ultra actiones ad finem ejus consequendum facientes (§. 214.): patescit, in casu inevitabi-

 lis

lis neceſſitatis, qua aliter ſatis fieri officiis a Deo injunctis non licet, reſiſtendum eſſe tyrannidi, per quam officia naturalia tolluntur, inde nec periculum tunc verendum eſſe cum officio conjunctum. Extrema igitur neceſſitas parit exceptionem a regula (§. 567. *P. VI. Jur. nat.*), & occupare tum jubet caſum alias tutiorem.

Si conſulamus hiſtoriam de illis caſibus, quibus regna antea abſoluta fuerunt limitata, deprehendemus, id plerumque contigiſſe favente opportunitate, ſeu tuta id faciendi occaſione oblata. Ita mortuo Judæorum Rege Salomone, Judæi tributis exhauſti moderationem jugi durioris expetebant, qua denegata, deficiebant a Rahabeamo. Noſtris diebus mortuo Carolo Suecorum rege XII. temperatio regni ſuſcepta eſt & abſoluta, ſervata regni tranquillitate. Helveti autem, Belgæ & Pruſſi majori cum periculo ſuo excuſſere jugum non amplius tolerandum.

§. 95.

De reliquis ejus adjumentis.

Ad temperationem eo tutius inſtituendam requiruntur etiam reliqua adjumenta, Conſenſus optimatum & populi in regno, potentia & ſapientia civilis, par & internis & externis periculis avertendis. Etenim ad temperationem regni eo tutius conſtituendam exſpectanda eſt occaſio idonea (§. 94.), qua tanquam tempore opportuno melius & ſecurius peragi poſſit (§. 158. *P. I Philoſ. pract. univ.*). Ad ea vero, quibus obtineri tranquille & ſine periculo ullius poteſt temperatio regni, pacto ſanciendo (§. 3.) utique facit conſenſus & optimatum & populi in regno, tum & potentia atque ſapientia civilis, par & internis & externis obſtaculis periculisque tollendis (§. 5. 7. 8. 22. 56. & 66.). Quare luculenter perſpicitur, ad temperationem regni legitimam, eo tutius inſtituendam, requiri cuncta, quæ haberi poſſunt, adjumenta, inprimis conſenſum optimatum & populi, ne inteſtinum ex multorum diſſenſu exterorumque auxilio exoriatur bellum reipublicæ funeſtum; ideoque & poten-

tiam

tiam & ſapientiam civilem parem & externis & internis, quæ metuenda ſint, periculis profligandis, ſuperandisque.

Tacite hic ſupponitur jus liquidum optimatum aut populi, temperamentum illud adhibendi, ſive naturale illud ſit, ſive pactitium quoque. Poſterius contingere poteſt v. c. in regno ſucceſſorio, ſi regnum regi ejusque maſculæ proli tantum delatum ſit, & maſcula proles jam extincta eſt. Item ſi lege publica feminæ a ſucceſſione excludantur, & ultimus rex improles deceſſit, antequam de ſucceſſore quidquam eſt conſtitutum. Alius caſus foret ſi ſucceſſio in prolem legitimam utriusque ſexus, regi ſit a regni ordinibus tradita, uti 1665. d. 14. Novemb. ſcripto, & typis 1709. factum eſſe in Dania conſtat ex lege regia Friderici III. d. 4. Sept. publicata, quæ extat in *Ludw. Holbergii Hiſt. Dan. 1730. ed. p. 84. ſeqq.* & neutrius ſexus legitima proles ſupereſſet. Præter jus id faciendi, opus quoque eſt ducibus & autoribus temperationis felicibus & cordatis, qui & audere rem inprimis ancipitem, & perſuadere aliis, & incepta fortiter exſequi poſſint.

§ 96.

Quomodo præcaveatur regni abſoluti temperatio?

Qui regno gaudent abſoluto, iis diſplicens temperatio non melius cavebitur, quam ſi paterno more regno ſuo præſint, nec potentia deſtituantur compeſcendi malitiam invidiamque ſceleratorum civium & hoſtium; extraneas vero reſpublicas nequaquam lædant, ſed potius amicas habeant. Etenim regni temperatio aut proficiſcitur a cauſis internis, aut externis (§ 92), rege vel volente vel nolente (§ 91.). Si nolente rege inſtituitur, illius cauſa externa haberi ſolet in monarchia aut republica alia, vel pluribus læſis, quæ futuræ ſecuritati non rectius conſultum putant, quam ope adhibitæ temperationis (§. 91). Si vero cauſa illius interna datur eaque legitima, illam extrema ſuppeditat neceſſitas evitandi officiis naturalibus ſanctiſſime obſervandis contraria § 94.). Quam obrem ſi monarchæ regique abſoluto diſpliceat regni temperatio, nullam eidem dare debet juſtam cauſam occaſionem-

nemque, ideoque nec lædere debet alias respublicas præſertim vicinas, quarum forte debilitatem contemnit ſibique imparem temere arbitratur; nec ſubditos ad extremam redigere neceſſitatem, quod nunquam fiet, ſi paterno imperio utatur.

Neque tamen ita ſecure & negligenter præeſſe debet imperio, ut per invidiam malitiamque regnum affectantibus vel æmulis anſam ſuppeditet ipſum improviſo & nullo fere negotio regno exuendi. Qua de re opus eſt, ut ſapientia prudentia & fortitudine gaudeat heroica, delectæ fidelium amicorum ope conjurationi & vi ingruenti, ne nocere poſſit, occurrendi auctoresque puniendi. Quæ cum ſine potentia interna, &, ubi ea opus fuerit, quoque externa præſtari nequeat: manifeſta eſt neceſſitas præcautionis, ne monarcha potentia deſtituatur compeſcendi puniendique invidiam malitiamque ſceleratorum civium, aut aggreſſorum externorum.

Si quis monarcha exiſtimet, ſolam potentiam, v. c. in numeroſo exercitu ſitam, ſibi ſufficere, vel & quorundam exterorum amicitiam, quomodocunque ſubditos ſuos tractet & emungat juribus opibusque, eum ſibi minus recte proſpicere, facile poteſt doceri. Milites enim vel indigenæ erunt, vel peregrini. Si indigenæ, & vel vi ad militiam ſint rapti & duriter habiti, vel ſuorum oppreſſionem una doleant; captare poterunt occaſionem, ſe ſuosque a jugo, quod graviter ferunt, liberandi. Si peregrini fuerint, ſentiantque unica ſua vi niti regiam autoritatem, facile diſplicentem ſibi aut inviſam regis ſuis quoque ſubditis exoſi poteſtatem ad ſe ſuosque duces derivabunt, iisdem artibus, quibus duces exercitus Romani ſæpius adverſus imperatores uſi leguntur, aut quibus Tartari regno Sinenſium ſunt potiti & jam nunc potiuntur. Facile theſauri regii, ſi qui ſunt, bello abſumuntur. Facile ſubditi, ad incitas redacti, denegant regi tributa exercitibus alendis deſtinata, ea in vindicandam ſuam libertatem convertunt, ipſique deſperabundorum more dimicantes victoriam reportant. Facile exteri periculorum gravitate

te avocantur ab auxiliis ferendis, præſertim damna jam perpeſſi, quorum reparationem nullam fore prævidere poſſunt. Unde tum demum diluceſcit, quantum præſidii poſitum ſit in regimine paterno, omnium civium benevolentiam, fidem & tutelam pariente.

§. 97.

Quamdiu non opus ſit temperatione monarchiæ?

Quamdiu monarchæ bene præſunt monarchiæ, neque exteras lædunt reſpublicas, tamdiu temperationis ratio habebitur nulla modo ut poſteri quoque tales ſint rite curetur. Diſplicens enim regni temperatio non melius cavetur, quam ſi reges more paterno præſint regno, neque potentia deſtituantur compeſcendi injuſtorum regni æmulorum aut aggreſſorum conatus, exteras vero Respp. nequaquam lædant, ſed potius habeant amicas (§. 96.). Eapropter quia bene præſunt imperio monarchæ, quamdiu ritu paterno imperant, neque potentia deſtituuntur vel ſe temere privant, & ſceleratos cives & hoſtes coërcendi profligandique: negari nequit, quamdiu monarchæ bene præſunt monarchiæ, neque exteras lædunt reſpublicas, ſed potius pacem amicitiamque cum illis colunt, tamdiu nullam fore rationem, imperium temperandi.

Enimvero, quia in tanta fortuna & tam abſoluto imperio facillimum eſt, ut ſucceſſores monarchæ degenerent, & parum primo degenerantibus jugiter ſuccedant pejores, priſtinorum ſæculorum memoria hiſtoriaque teſte: ne mox aut ſenſim naſcatur & adoleſcat occaſio vel neceſſitas regni aut temperandi aut amittendi; omni cura in ejusmodi educationem futurorum ſucceſſorum incumbendum eſt, qua degeneratio eorum præcaveatur. Vera igitur erit regula præcedens tamdiu, quamdiu ſimul opera datur accuratiſſima & educatione regiæ ſobolis, & legibus, ut & ſucceſſores bene imperent, abſtineantque a læſione aliarum rerumpp.

Quis-

Quisquis enim vult finem, is si sapit non potest non & ea velle, sine quibus potiri fine nequit (§. 941. *Ontol.*). Qua propter si monarcha & ipse abhorret a temperatione imperii, quo gaudet, idque integrum in sobolem suam transmittere & perpetuum posteritati suæ manere cupit; omnino opus est, ut & ipse bene imperet, & bene imperandi necessitatem, abstinendique ab aliarum rerumpp. læsione, & liberis inculcet, & ut idem semper fiat satis superque provideat, quantum fieri prudentia humana potest. Iudicari hinc potest, quid habendum sit de quæstione, num Regi sponte appetenda sit imperii temperatio?

§. 98.

An temperatio imperii sponte a Monarcha sit eligenda?

Quatenus caveri prudentia humana intus & extus potest, ne opus sit temperatione imperii, eatenus illa sponte non erit instituenda; quatenus vero id fieri nequit, eatenus in hujusmodi eventum eam rex sapienter decernere potest. Quoniam nihil fieri debet præsertim in rebus publicis, nisi cujus sat gravis habeatur ratio (§ 70. *seqq. Ontol.*), nisi faciendum sit, quod pro bono vero, si omittendum, quod pro malo vero habeatur (§. 589. *seq.* 904. 907. & 909. *Psychol. empir.*) & (§. 79. *seq. P. I. Phil. pract. univ.*). Sed quatenus temperatione imperii opus non est, eatenus nulla illius habetur ratio, per quam bona & appetenda statuatur (§. 97.). Ergo quatenus caveri prudentia humana potest, ne opus sit temperatione imperii, eatenus illa a rege sponte non erit instituenda.

At quatenus provideri & præcaveri omnia nequeunt, eatenus in eventum inopinatum, & ut ipsa hæc prædestinata temperatio eo fortius a causis temperationis cavendis arceat, sapienter decerni poterit hujusmodi temperatio, quæ arcendis ejusdem causis pro re nata optime videbitur obstitura (§. 713. *seq. P. I. Polit.*). Equidem & limitatio atque divisio regni adhiberi potest. Sed quum fratrum quoque gratia & concordia raro sit in dyarchiis, Triarchiis &c. atque sic & divisione po-

tissi-

tissimum potentia diminuatur; nec facile consortium nec divortium imperii deprehendetur esse consultum, si exemplis majorum tristibus fides est habenda (§. 683. *ibid.*). Hinc si temperatio arrideat, ea tam sapienter erit ineunda stabiliendaque, ac ipsa successio (§. 715. *seq. ibid.*) eundemque in finem casu utroque & internis opus erit, & externis, quæ haberi poterunt, optimis firmamentis.

Regum Spartanorum imperium primo limitatum instituta dyarchia, deinde temperatum est ope senatus & Ephororum.

§. 99.

Modus arcendi causas temperandi regni.

Caveri non poterit, ne opus sit temperatione imperii, nisi vel interna animorum convictione viva de imperii recta administratione necessaria, vel adjuncta necessitate externa ope legum familiæ & regni, tantisper rectiora unanimi consensu statuentis. Habitus enim bene agendi constantes, ideoque & habitus bene imperandi constantes nascuntur ex cognitione distincta, eaque viva (§. 321. 324. 328. 330. *P. I.* & §. 599. & 600. *P. II. Phil. pract. univ.*). Quæ cognitio viva simul crebro exercitio actionum bene & parendi, & quatenus concessum est, imperandi habitum ostendit, firmat & auget (§. 323. *seq. P. I. Phil. pract. univ.*). Quare quia habitu bene imperandi monarchæ bene præsunt reip. nec exteras lædunt Respp.: simul sic cavetur & interne animus sic conformatur legibus divinis, ne opus sit ulla temperatione imperii (§. 97.). Vtendum igitur hac interna convictione animorum ad imperandum natorum, promovendusque est & perficiendus habitus ita imperandi privatis aut publice paucis, in quibus imperii tirocinia ponenda sunt; ut imperatiori deinceps bene præparati & instructi ad imperium summum capessendum accedant.

Hac interna necessitate vel non admissa, vel spreta, nihil superest, quam ut quadam externa necessitate ingruente offi-

cii ſui admoneantur. Ejusmodi aderit neceſſitas externa, ſi reliquis, quibus jus eſt ſuccedendi, & in quorum fraudem abuſus imperii adeo vergit, ut niſi principiis obſtent, excidere innocentes jure ſuo poſſent, fas ſit monere prius iterum iterumque amice, ut ſponte ea mutentur, de quibus ſubditi conqueruntur, vel exteri, vel ambo; ſi vero ſpernantur monita & pejora ſubſequantur, ut ope ſubditorum, ſeu ordinum regni, vel & exterorum, quorum intereſt, ejusmodi moderamen imperii interim conſtituant, quo pericula iſta depellantur, & fiat id, quod fieri in imperio debet, ipſorumque ſucceſſorum jus ſalvum relinquit. In ſtatu enim naturali, in quo monarchæ degunt, cuilibet quidem libertas eſt naturalis, qua nulli hominum reddere tenetur rationem ſuarum actionum, ſed permittendum ipſi eſt, ut in ſuis actionibus ſuum ſequatur judicium, modo nil faciat contra jus perfectum alterius (§. 156. *ſeqq. P. I. Jur. nat.*). Enim vero ſi quid agat contra jus perfectum & officium alterius, abuſus ipſius libertatis tollere nequit obligationem naturalem ſuam aliorumque (§. 159. *ſeq. ibid*). Quare adverſus ipſum in alios adeo injurium tantum licet, quantum læſioni arcendæ ſufficit (§. 980. *ibid.*). Vnde perſpicitur, poſteris ſuis recte proſpecturo licere in hunc eventum ejusmodi ſancire leges familiæ & regni, quibus caveatur, ne quid detrimenti ſalus regni & familiæ ex abuſu imperii patiatur, ſed ſalva potius monarchia quam diutiſſime ſubſiſtat.

Conferri hic ea poſſunt, quæ (§. 715. *ſeq. P. I. Polit.*) de firmanda perpetua ſucceſſione in regno patrimoniali allata fuerunt. Vergit utique in damnum ſucceſſorum, ſi regnum bellis iniquis inconſultisque exhauriatur minuaturque, ſi commercia peſſumdentur, ſubditi ad ſtipem mendicitatemque nefarie redigantur, & in univerſum talia fiant, quibus eorum jus ſucceſſionis multum infringatur diminuaturque inique & injuſte. Inhiberi id eo melius poterit, ſi qui ex eadem regia gente conjugio, ele-

electione, aliove modo aliis regnis præsint, aut qui illis imperant, amicos habeant, ut ab abusu imperii avocandus, facile arctioribus potestatis & potentiæ cancellis saltem ad tempus, dum resipiscat, includi possit. Multo tamen præstantius est, si quidquid sacrum sanctumque est, præter demonstrationes solidas, adhibeatur ad animum sui officii suæque felicitatis ita convincendum & studiosum reddendum, ut summa animi lubentia agat, quæ ad imitandum imperium divinum, quale id monarcha in se esse velit, requiruntur.

§. 100.

Dominatus causæ ignobiliores.

Quo minus est studium libertatis in populo quo antiquior ejus barbaries, & quo minor regni moles; eo minus temperatione imperii opus erit. Quo enim minor est libertatis amor in populo, eo is magis adsuetus est servituti & monarchiæ tolerandæ. Quo magis huic est adsuetus, eo minus appetet consortium imperii, seu ut jurium quorundam summorum sit particeps. Quo minus appetit populus consortium imperii, eo minus opus erit imperii temperatione (§. 63. & 65.).

Quo majori barbarie & ruditate dudum laborat populus, eo minus est jurium suorum gnarus & quo minus gnarus, eo minus appetens eorum & studiosus (§. 588. *Psych. empir.*). Inde & quo rudior est populus, semperque ultra hominum memoriam fuit, eo magis esse solet servituti adsuetus, itaque, quo antiquior ejus est barbaries, eo minus de temperanda monarchia erit solicitus (§. 670. *P. I. Polit.*).

Denique quo minori imperium mole laborat, eo minus opus erit consortibus imperii (§. 684. *P. I. Polit.*). Quo minus opus est consortibus imperii, eo cæteris paribus quoque minus erit opus temperatione imperii (§. 65.). Requiruntur nimirum & in temperatione imperii ejusdem consortes, ex alia vero simplici forma petiti.

Forte erunt, qui hæc pro commendanda monarchis barbarie subditorum ambabus arripiant manibus. Si barbari imperium absolutum ferunt patienter, dicent, nil erit monarchæ optabilius, jucundius nihil, quam si subditos habeat admodum barbaros. Quo barbarior fieri poterit populus, eo erit patientior jugi & obsequentior. Sed bona verba quæso! Si, ut ostendimus (§. 363. *P. I. Polit.*) omnis barbaries e civitate proscribenda est: non nisi tyranno ipsique barbaro barbaries populi arridere poterit & commendari. Neque miranda sunt crimina horrenda, quæ barbaries magno numero peperit semper, & parit hodieque, ipsis regibus suis toties exitiosa, quoties calliditas, vis celeritasque cum indomitu affectuum libidine & colluvie conjunguntur.

§. 101.

Temperatio omnis sequatur naturam rerump. mixtarum.

Temperatio regni instituenda est pro natura ejus reip. quæ ipsi est adjungenda. Temperatio enim cujusvis reip. ideoque & regni tam sapienter fieri debet, ut commoda miscendarum formarum, quantum fieri potest, simul conserventur stabiliantur augeanturque (§. 7.); incommoda earum vero simul amoveantur & evitentur (§. 8.). Cum vero formarum simplicium alia atque alia sint commoda & incommoda (§. 10-42.), cum & modus temperandi optimus sit adhibendus (§. 9): apertum est scitum, in regno temperando omnino habendam esse ejus reip., quæ ipsi est inserenda, ut pro natura illius temperatio quam optime absolvatur (§. 59.).

Quia ratio hujus normæ temperationis tam generalis est, ut ad omnes respublicas extendatur, cum omnium par sit ratio: generatim concludendum est, *omnem temperationem civilem ita esse instituendam, ut respondeat naturæ mixtarum rerum publicarum, salvis primariæ & secundariæ partibus qua ordinem, inter eas statuendam.*

Neque in mixtione rerum naturalium aliud contingere potest, quam

quam quod natura ipſarum patitur & per illam junctim ſumtam obtineri poteſt. Quod omnes experientia duce obſervant miſcendarum rerum artifices, Pharmaceutæ, chemici, œnopolæ, aliique innumeri, ne agricolis quidem & hortulanis exceptis. Vnde parem eſſe rationem rerum moralium atque civilium, ut una quoque alterius naturam induat, eo minus mirum videri debet. Eandem ob cauſam notavimus ad §. 21. monarchiam biformem vel eſſe ariſtocraticam, vel democraticam, ſi priori caſu temperetur ope Ariſtocratiæ, poſteriori ope democratiæ. Nunc ordiamur temperationem priorem jure ſuo poſteriori præmittendam, quæ latinis verbis imperium vel *regnum* dicatur *ſenatorium*, ob ſenatum optimatum eidem cohibendo adjunctum.

§. 102.

In regno ſenatorio cavendus & regiæ & ſenatoriæ poteſtatis abuſus.

Si adjungenda ſit regno ariſtocratia, ea tantum jura ſummi imperii in optimates ſunt conferenda quibus abuſus potentiæ & poteſtatis regiæ ita inhibeatur, ne & optimatibus ſua abuti parte imperii concedatur. In temperando enim regno majeſtatis regiæ ratio conſervanda eſt, quantum fieri poteſt (§ 76); nec niſi abuſus regiæ majeſtatis eſt cavendus evitandusque (§. 85.). Quia tamen & libertati civium in regno temperando eſt conſulendum (§. 86): ea utique jura majeſtatis, quibus libertati civium vehementer noceri poteſt, non erunt unius regis arbitrio relinquenda (§. 311. *P. I. Vol.*) Quare ſi regnum temperandum eſt ope ariſtocratiæ ipſi adjunctæ, ea tantum jura ſummi imperii in optimates erunt conferenda, quibus inhibeatur abuſus regiæ potentiæ & poteſtatis.

Ne vero abuſus potentiæ & poteſtatis regiæ tantum mutetur in abuſum potentiæ ac poteſtatis ariſtocraticæ: eadem diligentia & providentia quoque cavendum eſt, ne & optimatum imperium degenerare in ſimilem, vel in duplicem eoque pejorem poſſit, & rege & optimatibus in abuſu ſui juris ſibi invicem conniventibus (§. 22.). Quare in temperanda per Ariſtocra-

ſtocratiam monarchia ita inhibendus eſt abuſus majeſtatis, ne vel rex, vel optimates, vel ambo, reſervatis collatisque ſummi imperii partibus abuti poſſint (§. 307. *P. I. Polit.*).

Si adjungenda eſt monarchiæ, ut formæ principi, ariſtocratia ceu forma ſecundaria, conſtituendum eſt regnum ſenatorium, per notata ad §. 101. Quare cum temperatio non adhibeatur, niſi propter impediendum abuſum formæ primariæ & plenius conſequendam ſalutem publicam (§. 22. & 62.): impediendus non tantum eſt in regno ſenatorio abuſus regiæ, ſed & ſenatoriæ poteſtatis, cum uterque non poſſit non nocere. Ne vero & ipſa temperatio degeneret vel corrumpatur, cavendum id quoque eſt, ne utraque formæ alterius abuſui indulgeat, ut ſibi viciſſim ab altera indulgeatur, itaque corruptio regni temperati naſcatur (§. 68-70.).

§. 103.

Inde leges ferendæ & ſupplicia infligenda non ſunt ſine conſenſu optimatum.

Quia poteſtas eſt jus dirigendi actiones aliorum (§. 133. *P. I. Jur. nat.*), vel imperium in perſonas ſubditorum (§. 194. *ſeqq.* & 661. *P. VII. Jur. nat.*); imperium autem involvit jus obligandi alterum, ad imperata facienda (§. 197. *ibid.*), & puniendi eum qui ſecus fecit (§. 198. *ibid.*): facile perſpicitur, abuſum regiæ poteſtatis ſe exſerere poſſe in legibus juſto durioribus vel male latis, & in pœnis atque ſuppliciis immeritis. Quare *redit temperatio poteſtatis ad conferendam legislatoriam poteſtatem de rebus regno facile nocituris in optimates, ut ſine eorum conſenſu rex ejusmodi leges ferre & abrogare bene latas nequeat; item ad ſupplicia honoratioribus & ſummis viris præſertim non ſine optimatum conſenſu in criminibus dubiis irroganda* (§. 79.). Vt tamen reſervetur Regi majeſtas (§. 76.), leges, quæ optimatibus placuerunt, a rege confirmandæ, & ejus nomine promulgandæ erunt, aut in caſu arduo ad ulteriorem deliberationem reſervandæ. In ſuppliciis autem decretis, regi & ratihabitio & nonnulla gradus exaſperatio, aut mitigatio, & remiſſio in rebus præſertim regi-

regiis ob rationes graves debet esse salva (§. 841. *seqq. P. VIII. Jur. nat.*).

Quando legibus publicis, optimatum consensu latis, pœnæ ordinariæ delictorum jam sunt definitæ, tum judicibus inferioribus causarum criminalium & civilium earum exsecutio permitti potest. In casu tamen dubio, ob peculiares personæ & rerum conditiones, de quibus leges nihil habent, appellatio summi senatus est concedenda ut ab ipso & rege definiatur, quod definiri in genere non potuit (§. 63.).

§. 104.

Quoniam privilegia jus quoddam concedunt, quo cæteri carent (§. 853. *P. VIII. Jur. nat.*); sive consistant in immunitate a tributis & vectigalibus, quæ reliquis sunt solvenda; sive in monopolio certarum mercium, aut quocunque alio jure præcipuo: *nec conferenda, nec auferenda erunt majoris momenti privilegia, nisi optimatum consensu*, curantium, ne alterutrum fiat, nisi boni publici causa (§. 872. *ibid.*). *Neque privilegia.*

Quo majoris momenti sunt & jura & officia civium, eo major danda est opera, ut quam optime accommodentur ad salutem publicam. Ambo enim plurimum prodesse recto usu, & nocere abusu possunt. Hinc & regi cavendum, ne quid optimates affectibus dent in illis vel conferendis vel abrogandis, auditis rationibus utriusque partis, & ex æquo definitis communi consensu. Vicissim & optimates proposita a rege circa privilegia ad salutis publicæ normam exigent, & excussis debite momentis in suffragia ibunt. Quatenus & insignia præmia publica bene meritis tribuenda privilegiorum instar haberi possunt, item honores civiles ardui cum reditibus aliisque juribus conjuncti, eatenus & illa optimatum seu commendationi seu oblationi plurium, qui illis digni videntur, in ipsa temperatione regni credi tribuique sic possunt, ut penes regem sit electio. Quænam majora aut minora jura & privilegia censenda sint id populi consensu

ſenſu ex eorum ad ſalutem publicam habitu arctiori & momento graviori eſt ſtatuendum (§. 77.).

§. 105.

Neque exercitus parandi, tributa imponenda, aut bellum ineundum.

Potentia civilis redit ad vires ſaluti publicæ tuendæ ſufficientes (§. 17.), quæ quatenus publica eſt, aut omnium civium vires conjunctas infert, aut eorum, qui civium loco iſtis partibus funguntur (§. 50.). Quidam & alendi ſunt & indemnes præſtandi aliique ſumtus publici ſæpe requiruntur, opus eſt nervo rerum gerendarum, affluente ſcilicet tanta pecuniæ copia, quanta ad dictum ſcopum ſuppetat (*ibid.*). Quo facilior illius & perniciofior regno abuſus, eo is diligentius in temperatione regni eſt præcavendus (§. 83.). Proinde in regno ariſtocratice temperando ad evitandum iſtum abuſum, *nec milites extra ordinem legi aut ab exteris peti, vel mercede conduci, nec tributa & vectigalia augeri, nec bellum aut pax niſi optimatum conſenſu decerni debent.*

Nimirum & uſus potentiæ publicæ in iis, quæ perpetua ſaltem ordinaria ſunt, temperatur legibus regiis, ex ipſis juris naturæ fontibus hauſtis; quæ vero extra ordinem contingunt & e rerum præſentium facie probe examinata demum determinanda ſunt, ea conſenſu optimatum indigent, & in illorum arbitrium ſapienter adhibendum merito conferuntur (§. 63.). Vnde & potentiæ temperatio potiſſimum æſtimari ex illis caſibus ſolet, in quibus ex potentia publica niſi prævio optimatum conſenſu uti nequit (§. 64.). Degeneraret vero iſta temperatio, ſi vel rex auderet ſine conſenſu optimatum agere, quæ non niſi illo prævio agenda ſunt; vel optimates detrectarent in ea promte conſentire, quæ e ſalute publica fore perſpectum habent. Vnde ab utroque abſtinendum erit (§. 70.).

§. 106.

Quis uſus ſummorum

In moderanda regia poteſtate & potentia per optimates, id exercitium ſummorum jurium optimatibus eſt conferendum, cujus abuſus mo-

nar-

narchicus nimis esset periculosus; id vero regi permittendum, in quo sufficit censura autoribus post abusum metuenda. In regno enim majora majestatis jura regi sunt reservanda (§. 78.); quæ vero integra ipsi relinqui nequeunt, ea tamen ei reservanda sunt, quatenus eorum exsecutio nequit periculosior fieri (§. 79.). Quatenus igitur usus jurium majestatis innocuus est futurus, eatenus regio nomine est expediendus (§. 81.). Ex adverso igitur, quatenus abusus eorum regius admodum pernitiosus esset futurus, eatenus exercitium eorum transferendum est in optimates (§. 62.). Vbi vero abusus insignis non facile est metuendus, ibi usus eorum vel integer regi est reservandus, vel admisso abusu sufficit metus censuræ aut damni reparandi, sed secundum æquitatem, & habita ratione regiæ dignitatis, ne ipsi tribuatur, quod administrorum aut ducum belli vitio vel culpa est factum.

jurium optimatibus in regno sit tribuendus?

Est hæc veluti regula generalis, cujus exempla quædam jam sunt in medium prolata. Neque in omni casu & ubique eadem de his statui possunt, sed attendendum est ad personarum, rerum, locorum & temporum varietatem, ut quid expediat potissimum, erui & pro re nata destinari possit. Facile autem patet, tutiorem temperandi regii juris modum vix dari eo, quem hic explanamus. Eligendum quoque est ejusmodi temperamentum, quod mediam teneat viam inter ea, quæ majoris & minoris periculi avertendi causa sint necessaria, ne & regibus melioribus molesta, nec deterioribus cerea videri possint.

§. 107.

Optimatum jura ne a regibus, nec regum jura ab optimatibus violentur, sed ambo potius in salutem publicam quam optime congruant; & sanctimonia religionis jurisque jurandi, & quibus præterea consultum videtur, remediis est cavendum, quam optime fieri potest. Occurrendum enim est degenerationi temperationis, seu corruptioni illius cuicunque quam diligentissime (§. 70.). Enimvero non

Reliqua temperationis jurium stabilimenta.

poſſet non corrumpi regnum ſenatorium, ſi vel optimates involarent in jura regum, vel reges uſurparent jura optimatum, ſive vi id fieret, ſive quacunque fraude arteque occulta, aut aberratione (§. 68.). Quare ne quid data opera tentetur, religione conſcientiæ quantacunque erit utendum & fide jurata (§ 67.). Quod enim errore tantum fieret, id admonitione & rationibus perſuadentibus facile corrigetur. Ne quid vi ſuſcipiatur, cum idem illud jusjurandum obſtabit, tum & homagium civium militumque cum cæteris abuſus potentiæ remediis. Iisdem quoque rationibus, & optimatum præſtantia ſapientiæ, integritatis & multitudinis uti eorum colluſio inter ſe, ita & cum rege impedietur, nec poſtpoſito bono publico rei privatæ ſtudium in utraque forma unita prævalere poterit.

Quantum momenti religio habeat in rebus ſummis quiete & rectiſſime curandis, vel hic caſus docet, de quo loquimur. Vnde olim *Cicero Lib. I. de Nat. Deor.* pietate, inquit, erga Deum ſublata, fidem & humani generis ſocietatem tolli neceſſe eſt, & juſtitiam virtutum omnium excellentiſſimam.„ Arcet religio fraudes occultiſſimas æque ac vim in aliena graſſantem, itaque tutiſſimum eſt ſalutis publicæ præſidium palladiumque. Sic cum optimates populi ſimul partes tueri poſſint, ejus auxilio erunt fortiores, ne facile abuſu regiæ poteſtatis iniqua patiantur.

§. 108.

Temperatur regnum ſucceſſorium & electile.

Temperari regnum poteſt adjuncta Ariſtocratia, ſive reges illius jure hæreditario ſuccedant, ſive eligantur. Modus enim, quo reges ad regnum adſpirant per ſe, nihil facit nec ad promovendam nec ad impediendam regiam poteſtatem; ideoque ad temperationem imperii modus illud habendi qualiscunque ſufficit (§. 66. *P. VIII. Jur. nat*). Sive ergo regnum habeatur ope electionis, ſive ope ſucceſſionis, id non obſtat, quo minus dum abſolutum eſt, vel dum fieri regnum debet & necdum abſolutum fuit, in prima ſtatim conſtitutione pro voluntate populi tempere-

peretur (§. 277. *ibid.*). Si vel temporarium tantum ſit, & æſymneticum, & illud temperari pro lubitu poteſt (§. 259. *P. VIII. Jur. nat.*). Inde & ariſtocratice temperari regnum temporarium infeudatum (§. 100. *ibid.*) fiduciarium (§. 102. *ibid.*) & precarium (§. 69. *ibid.*); non repugnat.

§. 109.

Si conſtituenda ſit reſp. recentior a populo hactenus diſſociato, poſſunt optimates eligere regem eaque ſibi retinere jura, quæ facilem habent & periculoſum abuſum: poteſt & rex ſua ſponte ſibi adjungere ſenatum. Si enim populus ſit diſſociatus, is extra ſocietatem eſt conſtitutus. Dum idem vult inire ſocietatem, & pro lubitu ſuo (§. 37. *P. VIII. Jur. nat.*) prudentioribus concedit conſtitutionem reipublicæ, quæ conſulta videatur (§. 277. *P. VIII. Jur. nat.*): poſſunt illi ex populi voluntate deſignati optimates omne imperium ſibi retinere, & ariſtocratiam inſtituere. Poſſunt vero etiam, quem volunt, regem eligere, ejusque regnum ita limitare, ut quædam majeſtatis jura, quorum abuſus eſt facilis & plenus aleæ, non niſi prævio ipſorum conſenſu exercere poſſit debeatque (§. *eod.*). Poſteriori caſu oriri regnum ſenatorium, in propatulo eſt (§. 102.), ſive regis legitima progenies debeat ſuccedere, ſive ſubinde novus rex ſit eligendus. Si enim imparem ſe ſentiat rex compeſcendis illis, qui ipſi poſſent perniciem creare, antequam id ipſi quærant vel vi extorqueant, poteſt ex illis ſenatum conſtituere, ut ſibi invicem invideant ſpem regnandi. Vti Romulus 100 legit ſenatores, quos Patres dixit, ut eos & officii moneret & ipſis plebis amorem & clientelam conciliaret. Ita deinde poſt Romuli mortem alium regem non ex ſuo numero elegerunt, jure ſibi vel ſtatim conceſſo, vel deinde uſurpato.

Origo regni ſenatorii prima.

Non rectius rerum humanarum indoles perſpici poteſt, quam ſi ultimam illarum originem ſive geneſin contemplemur.

Quam obrem & regni ſenatorii origo evolvenda eſt, ut ejus indoles eo liquidior evadat. Non quidem opus eſt, ut talis caſus in medium afferatur, ubi ejusmodi contigit ortus; quia ſufficit, diſtincte explicari & intelligi illum poſſe. Concipiamus vel in memoriam revocemus conſilia illorum, qui Pſeudosmerdin magnum ſolio perſico dejecerunt, quæ legimus in *Herodoto L. III. c. 80. ſeqq.* Quorum Otanes commendabat ἰσονομίαν democratiæ, Megabyzus autem Oligarchiam, quam nominans innuit ariſtocratiam; Darius vero Monarchiam. Prævalente Darii ſententia, Otanes reliquis ſuum jus imperii ea lege ceſſit, ut ipſe nec præeſſet, nec ſubeſſet, nec ullus ſuorum. Quod cæteri approbantes ſpoponderunt, ſi quis ipſorum rex fieret, Otanem donari debere ejusque poſteros cum omni alia donorum perſicorum magnificentia, tum medica quotannis veſte, quod primus rem eruerat ipſosque ſociaverat. Hæc vero in commune decreverunt, ut unicuique, e 7. his ſociis fraudis ſublatæ, ſine internuntio liceret regiam introire, niſi forte cum uxore cubaret rex; neve regi fas eſſet aliunde, quam e familia conjuratorum uxorem ducere. *c. 84.* Si loco hujus conditionis conveniſſet inter eos, ut reliqui ſex eſſent illi optimates, ſine quorum conſilio rex nec leges ferre, nec tributa nova imperare, nec bellum inire poſſet, haberemus exemplum illius caſus de quo hic agimus, fingendo, tantum Perſis antea nullam fuiſſe civitatem. Nam Pontifex romanus cum purpuratorum collegio, quæ huc referri poſſit, aliis diſceptandum relinquo.

§. 110.

Altera origo regni ſenatorii.

Si priſtinam remp. quacunque de cauſa mutare placeat, talis antea non fuit, mutare illam licet in regnum ſenatorium. Si enim reipublicæ quæcunque alia forma fuit, quæ mutanda jam videtur, a voluntate populi dependet, quomodo imperium in alium vel alios transferre velit, & qua lege idem transferre velit (§. 36. *P. VIII. Jur. nat.*). Poteſt ergo v. c. ex regno abſoluto facere limitatum, & temperare illud ope ariſtocratiæ, aut & ex alia republica corrupta efficere regnum ariſtocratice temperatum.

tum. Quoniam vero non ſine optimatum conſenſu in maximi momenti rebus adminiſtrandum eſt regnum ſenatorium (§. 101): evidenter apparet, ſi priſtina reipublicæ forma quælibet cenſeatur in aliam eſſe mutanda, poſſe populum eam mutare in regnum ſenatorium, ſi hoc ipſi conſultum videatur.

Notatum ad §. 109. exemplum perſicum in hypotheſi electæ temperationis regiæ poteſtatis, dediſſet regnum temperatum, loco limitati perparum ratione aditus Regis & matrimonii e familia conjuratorum. Aut igitur prima ſtatim conſtitutione civitatis, aut jam conſtitutæ mutatione, ſeu depravatæ reformatione (§. 6.) oriri poteſt regnum optimatibus adjunctis temperatum.

§. 111.

De promovenda æmulatione in virtutum ſtudio.

Quia in Ariſtocratia virtutes inſignes provocantur & excultæ præmiis afficiuntur, ut in ſalutem publicam applicentur (§. 23), ideoque vigere in ariſtocratia debet ſtudium perficiendi excolendique civium complurium virtutes (§. 24.), ita ut fere ipſius peculium ſit inſtitutum optimos cives complures conſequendi præmiisque lautis condecorandi (§. 25.); in miſcendis autem rebus publicis opera eſt danda, ut commoda miſcendarum ſimul obtineantur, ſtabiliantur, augeanturque (§. 7.): *in regno ſenatorio potius plures, quam pauciores conſtituendi ſunt optimates, prout ipſius ſaluti expediturum intelligitur, habita omnium momentorum ratione.* Cumque & in monarchia virtute præſtantiores facile emergere, tutioresque ab inſidiis injuriisque eſſe poſſint (§. 13): conjungendum eſt virtutis ſtudium utriusque formæ, *ut inter ſe æmulentur, & qui monarchæ ſunt adminiſtri, & qui optimatum loco ſunt eruntque.*

Licet enim major optimatum numerus minores procreet reditus, erunt tamen & inter ditiores, qui non egent reditibus, quibus fere ſufficiet honor & autoritas optimatum, & jus imperii ſummi cum aliqua indemnitate; & inter cæteros, qui pecu-

niosi & improles decessuri aliorumque paupertati subvenire poterunt, & salutis publicæ causa volent, ne ipsis desint colendæ Minervæ adjumenta. Præterea his quoque destinari ea poterunt munera, quibus honeste rem facere, & sic ad majora adspirare possint. Quo plures igitur sunt optimates, eo plures spe hujus dignitatis ad virtutum studium amplectendum incendentur, eoque plures boni cives erunt, cæteris exemplo, quod imitentur, futuri, si omnia sic instituantur, observenturque, uti *P. I. Polit. in Capite de Aristocratia rite constituenda* ostensum est, & exemplis confirmatum. Præterea non inanis sed honesta excitabitur scientiæ & prudentiæ civilis æmulatio, ne vel optimates vincantur a regiis, vel hi ab illis; quod rite adhibitum in publicam salutem studium, plurimum afferet emolumenti regno Senatorio. Ipsius vero numeri determinatio e natura regni, ejusque civium copia & indole magis minusve habili & amante, cæterisque subsidiis erit petenda.

§. 112.

Speciminibus approbando. *Varia inde excogitanda & exigenda sunt virtutum partarum exercitamenta & specimina falli nescia, quorum ope iis præstantes & pro gradu præstantiæ in suo vitæ genere internosci possint.* Neque enim homini datum est, alterius animi dotes perspicere, nisi ex earum usu & documentis omni majoribus hæsitatione & exceptione. Hujusmodi vero sunt falli nescia virtutum, quibus utendum est, partarum specimina coram peritis edenda, & examina ad eundem finem comparata, item exercitamenta diuturniora & velut tirocinia experientia magistra. Patet igitur illiusmodi edenda & exigenda esse specimina ab iis, qui digni haberi muneribus publicis, aliis suam approbare velint industriam, peritiam rerum agendarum præstantiamque.

Animi humani dotes habitusque adquisiti per se non prodeunt in aliorum conspectum, sed illa tantum opera, quæ in sensus incurrere possunt ac solent, & ex quibus luculenter comprobantur, ac extra omnem controversiæ aleam ponuntur. Loquitur

tur enim effectus suam causam, loquitur & demonstrat actio vim agendi, & per modum actionis quoque ad legem agendi eruendam aditus paratur, si is attente observetur, & omnia rite meditationi & calculo subjiciantur.

§. 113.

Et præmiis incitando.

Quoniam virtutes civiles in salutem publicam facientes potissimum promovendæ sunt inter eas, quæ hujus vitæ felicitati destinantur (§. 111.): in earum culturam tum nova inventa augenda, tum antiqua amplificanda & emendanda ut plures incumbant, & æmulatione se vincere contendant, *præmiis & fructuum percipiendorum, & aliis incitandi & decorandi sunt inventores rerum utilium.*

Scilicet si quis opifex aut artifex quidquam novi detexit, cujus ope rem facere possit, si nemo alius præter ipsum similia facece potest, ejus inventi fructus jam per conditionem rei ipsi soli debentur, nec quisquam alius ullum jus ad ea habet. Hinc & quamdiu exerceri id ita potest, ne quis alius eadem aut paria facere possit, tamdiu id per se solus sibi merito habet, solusque inde lucrum percipit. Si vero hujusmodi sit, quod alii quomodocunque suum facere possunt, v. c. si liber egregius recudatur, privilegio donari autor meretur, ut intra definitum tempus idoneum fructus præmii loco solus percipiat. Si vero inventum, satis quidem utile fructuosum non illico sit, nec pani lucrando aptum; aliis inventor præmiis erit afficiendis, prout suadet ratio rei.

§. 114.

Quomodo incommodis aristocratiæ in regno temperato occurratur?

Quia incommodis & Monarchiæ & Aristocratiæ in harum mixtione ita simul est occurrendum, ut ea quam optime evitentur (§. 8. & 22.); præter abusum majestatis, quem inhibet rite adjuncta Aristocratia, diligenter quoque *cavenda est discordia optimatum & invidia, ambitio & superbia, ope regis, optimatum meliorum judicio selecto ista compescentis & judicata confirmantis.* Sunt enim hæc incommoda quædam Aristocratiæ (§. 31.),

quæ

quæ in regno ſic temperato ſimul evitanda & cavenda ſunt (§. 102.). Quapropter non quidem regi ſoli de his judicium eſt deferendum (§. 107.), id tamen innocuum eſt ariſtocratiæ, ſi optimatibus ſenioribus, a partium judicandarum ſtudio immunibus rex committat vel amicam diſcordiarum, quæ obortæ ſunt, compoſitionem ſua autoritate ſuffultam, vel diſceptationem & definitionem cauſæ legalem ſua autoritate confirmandam (§ 81. *ſeqq.*): Hoc igitur pacto & optimates cordatiores, ſed infirmiores cæteris, audebunt recte judicare, nec quidquam verebuntur a reliquis, regia autoritate muniti; nec habebunt illi, quorum res agitur, cur quidquam juſto gravius metuant a ſuismet collegis, quibus liberrime defenſionem cauſæ ſuæ exponere, & ſi quid antea præteritum vel necdum ad manus fuit, id ſubjungere in iterata diſcuſſione & reformatione controverſiæ poſſint.

Forte dicat quisquam, metuendam eſſe optimatum tenuiorum infirmiorumque facilem cum rege colluſionem ſaltem gratificationem ſub ſpe gratiæ & tutelæ regiæ, in potentiorum detrimentum. Sed primum ſi quisquam cæteris optimatibus eſſet hoc nomine ſuſpectus, is tanquam a partium ſtudio non remotus inter judices deſignandos locum non haberet, nec eſſet admittendus, æque ac alius, qui inter diſſidentes cuiquam vel eſſet infenſus ſeu inimicus, vel ſanguine, ære aut alio nomine obnoxius & addictior. Deinde hi judices adſtringendi ſunt, præter generalem optimatum obligationem, jurata fide ad cauſam illam, remota omni pravitate vel occultiſſima, ſecundum leges non aliter diſceptandam finiendamque, atque eandem vellent ab aliis pertractari, ſi ſuamet foret. Taceo, quod legibus quoque ſelectus judicium circumſcribi, & offerri regi illi poſſint, e quibus regi optio detur.

§. 115.

Quando regi deciſio — *Cæteris recte temperatis, poteſt regi quoque in caſu paritatis ſit ſuffragiorum inter judices, ſi eorum deciſio ſecundum leges aliter haberi nequeat,*

nequeat, dari suffragium decidendi. Quidquid enim nocere nequit e regni peculiis id regi in regno temperando est tribuendum (§. 85.). Sed hujusmodi litigiorum decisio, quorum judices ab ipsis optimatibus oblati sunt regi, quique per se rem definire aut nequeunt, aut nolunt, nocere nequit. Illa igitur dum res manere in eo statu nequit, in quo jam versatur, ut exitum habeat, decisio recte regi relinquetur, qui a neutra parte, quod metuat, habens secundum leges regni & naturalem æquitatem sententiam dabit. *permittenda?*

Fieri nempe posset, ut optimates judicum loco constituti vel revera in ista causa diversis addicti sint principiis, ideoque consentire nequeant, vel non æque momenta causæ perspicientes ancipites hæreant, neutram partem offensuri. Quanquam igitur affectui nullus debet esse locus, quatenus tamen homines plane perfecti in hac vita non dantur, permittendum est, quod mutari nequit, ideoque in casu paritatis suffragiorum vel sorti erit decisio permittenda, vel regi; vel optio alterutrius seu partibus, seu judicibus concedenda, prout alterutrum consultius videtur. Nisi tamen gravis ratio obstet, majestati regiæ amplificandæ potius deberi videtur istiusmodi decisio, ope rationis facienda.

§. 116.

Si vel in prima civitatis constitutione, vel in ejusdem mutatione aut reformatione populo placet regem venerari, sed ne nocere possit, illa jura, quorum periculosissimus est abusus, in sua retinere potestate, vel si regi placet firmandi regni causa populum in ejus societatem vocare; nascetur regnum democratice temperatum, vel populare. In prima civitatis constitutione a voluntate populi dependet, utrum imperium, quod est res populi propria (§. 33. *seq. P. VIII. Jur. nat.*), sibi velit retinere, vel pro lubitu suo in personam unam aut plures conjunctim transferre, & si in aliam transfert, qua lege id transferre velit (§. 36. *ibid.*). Si ipsi placet, regnum, *Origo regni popularis duplex.*

poteſt regi dare vel imperium plenum, abſolutum & ſummum, vel quomodocunque limitatum (§. 139. *ibid.*). Poteſt igitur & mixtam adhibere formam, quæ in aliis ad monarchiam, in aliis ad democratiam accedat (§. 138. *ibid.*), ut oriatur regnum democratia adjuncta temperatum ſeu populare (§. 21.).

Sive civitas, quæ adhuc fuit, propter corruptionem, ſive propter aliam cauſam mutanda videatur aut reformanda, ob easdem rationes, quas modo attulimus, liberum erit populo univerſo temperare regnum ope democratiæ, ita ſervando ſibi ea ſumma imperii jura, quorum periculoſiſſimus eſſe poteſt abuſus, ne rex illis niſi prævio populi conſenſu uti poſſit ac debeat. Quod vel per ea intelligi poteſt, quæ (§. 110.) de regno Senatorio, ex alia priſtina forma oriundo, expoſita fuere.

Quemadmodum ſupra (§. 91.) oſtendimus, fieri etiam poteſt, ut rege autore regno adjungatur democratia æque ac ariſtocratia. Quare ſi regi placeat populum ſibi ſuæque ſoboli conciliare, ut forte eo diuturnius poſteris relinquat imperium, adſciſcere populum poteſt in quandam regni ſocietatem. Quo facto pariter regnum orietur populari conſenſu in nonnullis adminiſtrandum. Quæ ſi pauca primum ſint, nec magni momenti paullatim augeri ſic poterunt, ut abuſus regiæ poteſtatis difficulter ingruere poſſit, vel & regnum plane tollatur.

Fœneratur huic caſui lucem quod de Theſeo, decimo Atheniensium rege Iſocrates & Plutarchus memorant. Ille enim in Encomio Helenæ & Panashenaica Theſeum popularis Athenienſium ſtatus autorem dicit. Hic vero, magiſtratuum creandorum jus populo illum tradidiſſe innuit. Sibi retinuiſſe fertur cuſtodiam legum inſtitutorumque ac imperium militare cum dignitate regia. A morte tamen Codri, qui ſe pro ſalute Reip. morti devovit, in confertiſſimos hoſtes irruens, & nomen regium, quod libertati grave viſum, abrogatum eſt.

Quemadmodum regnum Senatu optimatum adjuncto temperatum diximus senatorium, ita nil obstat, quo minus regnum adjuncto populari statu dicamus populare. Est enim regnum, quatenus unus illius datur summus rector. Est vero simul populare, quatenus populo est exercitium eorum jurium majestatis, quorum abusus ipsi posset esse perniciosissimus. Hinc utrumque in unione *regnum est populare*, quod cum *imperio populari* non est confundendum. Nam imperium populare nil est nisi ipsa democratia & status popularis; regnum autem democratiæ opponitur, uti forma civitatis alius speciei & naturæ. Sed imperium est genus, quod si uti civile publicum & summum spectatur, æque esse potest regum atque optimatum & populi.

§. 117.

Qui abusus in eo præcavendi?

In regno populari temperando non minus abusus regiæ potestatis quam popularis est fugiendus, præcavendusque. Ostenditur hoc eodem modo, quo (§. 102.) in regno Senatorio abusum & regii & optimatum Juris simul evitandum esse docetur; substituto tantum pro statu optimatum statu populari & adhibitis rationibus licentiam populi coërcendi (§. 524. *seqq. P. I. Polit.*).

Erat regnum romanum quidem Senatoribus limitatum per notata ad §. 109. Attamen & populus patribus ita verendus est visus, ut illi statim electionem secundi a Romulo regis offerrent, sibique tantum addendam electioni autoritatem reservarent, teste *Livio Lib. I. Hist. c. 17.* Postquam populus Numa mortuo Tullum Hostilium regem jusserat, patresque autores facti erant, Albani, quibus bellum indictum erat, dictatorem crearunt Metium Suffetium. Hic colloquio inito persuasit Romanis, ut sine magna clade utri utris imperent decerneretur. Selecti sunt in utroque exercitu tergemini fratres Horatii & Curiatii, qui pro sua quisque patria dimicarent, ea lege, ibi imperium fore, unde victoria fuerit. Accepta conditione fœdus ictum de hac re inter Romanos & Albanos, ut cujus cives eo certamine vicissent, is alteri populo cum bona pace imperitaret. Tum Fetialis post alia rogat regem romanum: *Rex facisne me nuntium regium po-*

puli romani Quiritium? Rex respondit: *Quod sine fraude mea populique Romani Quiritium fiat, facio.* Vbi patet regis & populi Romani nomine fœdus iniri, patribus fere subauditis. Similia his *Livii* narratis *Hist. Lib. I. c. 24.* habentur *c. 28. c. 32. c. 37.* &c.

§. 118.

Analogia regni popularis & senatorii. *Generatim ratione generis eadem, ratione differentiæ similia valent de regno populari, atque de regno senatorio præcepimus, surrogando debite statum popularem statui optimatum.* Est enim regnum populare æque ac senatorium status reip. biformis (§. 21.) vel civitas biformis. Vtriusque forma communis & primaria est regnum (§. 116. 101. & 75.) Vnde quæcunque in genere de regno, & ex genere regni senatorii deducta sunt, eadem applicari merentur ad regnum populare, ratione generis spectatum (§. 49. *Logic.*). Ratione generis ergo eadem valent de regno populari, quæ de regno senatorio, & de regno temperato seorsum præmissa sunt.

Differt autem regnum populare a senatorio propterea, quia hoc temperatur adjuncto statu optimatum, illud vero adjuncto populari statu (§. 102. & 116.). Sed in statu populari imperium est penes universum populum, in aristocratia tantum penes nonnullos cives jure optimatum gaudentes (§. 278. & 295. & 600. *P. I. Polit.*). Quoniam tamen in regno temperando libertati civium consultum itur (§. 86.), & vel in democratiæ comitiis res communes melius per delegatos civium ordinis cujuscunque tractantur, quam per populum universum (§. 542. *P. I. Polit.*), multo magis in ordinariis negotiis publicis gerendis opus est magistratu (§. 535. *ibid.*) cum superiori tum inferiori (§. 569. *ibid.*): apparet similitudo inter aristocratiam & democratiam, ratione libertatis civium & cavendi abusus imperii monarchici. Proinde similia ratione differentiæ statuenda sunt de regno populari, ac statuta fuerunt de senatorio

modo

modo debite ſubſtituatur democratia ariſtocratiæ, ſeu ſalva maneant, quæ propria ſunt ſtatui populari, abuſu duntaxat ſublato (§. 117.).

Eſt hoc principium fœcundum ad deducenda inde ea, quæ in temperando regno ope ſtatus popularis obſervanda, præſertim ſi addatur & alterum illud, (§. 101.) præmiſſum, videlicet temperationem regni inſtituendam eſſe pro natura illius reipublicæ quæ ipſi eſt adjungenda. Ex his enim & generalibus temperationis legibus (§. 7. *ſeqq.* 74. *ſeqq.*) multo plura derivari poſſunt, quam quæ in regno ſenatorio inde haurire opus viſum eſt, ne aliis plura ſuo marte addendi materia deeſſet. Quare & hic brevitatis ſtudio, pauca tantum attingemus.

§. 119.

Quia ratione generis in regno populari eadem habentur curanda, quæ in ſenatorio (§. 118.) in ſenatorio autem regno præcipua forma erat regia, uti in omni regno temperato (§. 75. & 102.); *in regno quoque populari majeſtatis regiæ conſervandæ, quanta poteſt, habenda eſt ratio* (§. 76. *ſeqq.*). *Neque minus cavendum eſt, ne jura populi a rege, quam ne jura regis a populo violentur minuanturque paulatim; cum potius ambo quam optime in ſalutem publicam congruere debeant* (§. 107.). *Pariter quoque hæc temperatio locum habere poteſt, ſive reges in regno eligantur, ſive lege hæreditaria ſuccedant.* *Conſectaria ex genere.*

Argiva civitas a temporibus Inachi primi conditoris, regio paruit imperio. Ipſi tamen Argivi, ut ait *Pauſanias in Corinthiacis*, ab antiquiſſimis temporibus æquabilis juris ac libertatis perſtudioſi fuere, eoque ſtudio ducti & ab iis, qui Diophontis partes ſequuti erant, cum eo Epidaurum ſeceſſerant, incitati poteſtatem regiam adeo acciderunt, ut Ceſo mortuo liberis & poſteris ejus præter inane nomen nihil reliquum fecerint. Meltam poſtremo capitis damnatum populus imperio ſpoliavit. Quia poſtea ſupremum rerum arbitrium fuit penes populum, credibile ſit, jam antea democratiam regno fuiſſe adjunctam,

& contra noſtram regulam peccaſſe, ut jura regia tandem fere nulla regi ſupereſſent.

§. 120.

Quid concilio populari & comitiis aſſignandum ſit?

Idcirco, quæ optimatibus in regno ſenatorio, ea conferenda ſunt in regno populari vel concilio e populo ſelecto, vel comitiis populi ob res gravioris momenti ſtato tempore celebrandis; niſi neceſſitas quidquam extra ordinem requirat. In regno populari tantum ea, quæ ſtatui populari debentur, rite ſubſtituenda ſunt illis, quæ in regno ſenatorio optimatibus tribuenda erant (§. 118.). Sed in regno ſenatorio optimatibus non erant tribuenda niſi illa jura ſummi imperii, quorum abuſus regius admodum exitioſus eſſe poteſt (§. 106.). Quare nec niſi eadem jura, quibus abutens rex ſalutem populi in ſummum adduceret diſcrimen, ita in poteſtate populi eſſe debent, ut niſi prævio pro populi conſenſu iis uti poſſit (§. 116.). Ea igitur, quæ ſæpius exercenda ſunt, quam comitia agi poſſunt, ſelecto ſenatui populari, legibus adſtricto; quæ vero non niſi e præſenti rerum facie definiri poſſunt, ea delegatis ad comitia populi ordinibus erunt committenda (§. 535. & 542. *P. I. Polit.*).

Datur & alia ratio, crebriora regni negotia, cujusmodi ſunt legum cuſtodia, tribunalia ordinum populi &c. ope legum præſcriptarum in regiis judiciis definiendi. Sed merito id relinquitur populi arbitrio, quibusnam cauſis judices regii, & quibus populares ſint præficiendi. Prouti pacto in regno temperando convenit, ita deinde res erunt tractandæ, nec permittendum, ut ſenſim pacto derogetur. Quænam vero ſint illa, quæ populi comitiis ſint definienda, patet per §. 103. *ſeqq.*

§. 121.

Quid regi circa comitia reſervandum ſit?

Convocatio ad comitia cum ordinaria tum extraordinaria ſecundum leges, una cum præſidio promulgatione & exſecutione eorum, quæ communi conſenſu ſtatuta fuere, regia autoritate eſt facienda. Nimirum vel in Democratia eſſe cujusquam debet Jus ſecundum leges

ges comitia indicendi consultanda, proponendi, sententias colligendi, concludendi decreta & publicandi (§. 549. *seqq. P. I. Polit.*). Quamobrem quia in regno populari majestas regia conservanda est, quantum sine noxa fieri potest (§. 119.); convocatio vero legitima, ipsumque præsidium comitiorum & decretorum promulgatio exsecutioque eadem sunt, quæ vel in statu prorsus populari fieri debent, neque eidem nocere possunt: manifestum est, hæc ratione comitiorum regi esse relinquenda, ideoque illa omnia non nisi regia autoritate vel regio nomine esse publice peragenda & exsecutioni danda (§. 81. *seq*).

Arguit scilicet formam regiam non solum regium nomen, sed res ipsa, autoritasque, qua majestas h. e. summa & potentia & potestas denotatur. In regno igitur populari ne vanum esse nomen regium intelligatur, publica & solemnia præsertim quæque negotia & in illis, quæ populo placuere & sine prævio illius consensu fieri nequeunt, recte traduntur regiæ majestati ad salutem publicam regio nomine curanda & expedienda. Rationes id ipsum exigentes, indicavimus, ubi de regno temperando egimus (§. 76-83.).

§. 122.

Quæ seorsum in temperando regno fieri posse ostendimus, ea quoque conjunctim locum habere in regni mixtione triformi, vel in regno triformi, facile dispalescit. Si enim non repugnat, exercitium quorundam jurium summi imperii reservari regi, aliorum vero conferri vel in optimates vel in populum universum (§. 21.): nulla dari poterit ratio, cur repugnaret, ista ita conjungi, ut quod in biformi regno uni separatim, idem in triformi duabus simul conferatur exercendum. Constat enim ex simplicium formarum indole, idem summum imperium, quod in aristocratia penes paucos optimates est, in democratia esse penes populum universum. Si vero & in democratia aliorum juri- *Dari potest regnum triforme.*

um

um exercitium ſenatui ſuperiori, aliorum inferiori traditur, aliorum denique comitiis populi recte reſervatur (§. 569. & 555. *ſeq. P. I. Polit.*): patet evidenter, hoc idem eſſe, ac ſi optimatum ea ſint, quæ ſenatui, populi vero ea, quæ comitiis ſunt regenda definiendaque.

Sicut civitas e duabus formis inter ſe mixtis compoſita, dicitur biformis, ita & regnum biforme ſalutari poteſt, in quo miſcentur duæ formæ, addita ſcilicet regiæ formæ vel Ariſtocratia vel democratia: ita & civitas triformis eſt, quæ & ariſtocratiam & democratiam monarchiæ habet copulatam. Hinc ſi regnum in triformi civitate ſit forma primaria, retinebitur nomen regni (§. 315. *P. I. Polit.*): nec tamen immerito triforme dicetur, quia ipſi triplex forma ineſt, regia, ariſtocratica & democratica. Danda erit venia vocabulis, non quidem uſitatis, ob neglectam harum varietatum conſiderationem, rei tamen naturæ, quantum licuit conformatis. Cui plura nomina magis arrident, is dicere poterit regnum ariſtocratice & democratice vel populariter temperatum, vel regnum, cui & optimatum & populare imperium eſt adjunctum.

§. 123.

Regnum triforme biſariam regi poteſt.

Triformis regni jura vel ita ſunt diviſa, ut nulli formæ in alterius jura quidquam liceat; vel ſecundariæ conjunctim eadem habent & exercent jura per primariam exſequenda. Imperium enim publicum varia complectitur jura a ſe invicem ſeparabilia & perſonis diverſis tribuenda (§. 61. *P. VIII. Jur. nat.*). Quia populus vel omnia ſibi retinere, vel aliqua in alium & alios certa lege transferre poteſt (§. 58. & 64. *ibid.*), ut & diviſa quæque in ſe maneant ſumma (§. 65. *ibid.*); item ut imperium plenum ex parte limitatum ſit, ex reliqua parte abſolutum (§. 68. *ibid.*): regnum quoque per imperii vel diviſionem vel limitationem temperari poterit conſenſu populi regisque, ſive eligendi ſemper, ſive jure hæreditario ſucceſſuri (§. 138. *ſeq. ibid.*). Si

jura

jura imperii inter diversas ejus formas simplices sint divisa, unaquæque sua exercebit suo nomine, legibus in salutem publicam collineantibus, itaque eatenus nulli formæ quidquam in alterius jura licebit.

Si vero formæ secundariæ communia habeant jura, opus erit ut communi consensu illa in salutem publicam administrent, & tunc neutra sine altera quidquam definire poterit, item ambæ sine tertia in communibus juribus nihil expedient, tertia tamen primaria limitatione ipsa consentire in illa obligatur, quæ ambabus arrisere. Proinde secundariæ in triformi regno formæ conjunctim sua exercebunt jura summi imperii suaque formabunt decreta, per regiam majestatem exsequenda (§. 81. *seq.*).

Liceat hæc illustrare imperio privato domestico. Illud potest exercere vel solus paterfamilias, vel isto defuncto sola materfamilias. Potest vero idem quoque in communione utriusque esse, aut divisim alia jura patri, alia matrifamilias esse, prout salus domestica requisivit, & aliis melius pater, aliis materfamilias melius præesse potest. Sicut in communione imperii domestici omnia communi consensu utriusque in domo gerenda sunt; ita in divisione paterfamilias æque ac materfamilias suas imperii partes suo nomine & arbitratu peragit. Vel si tres fratres patrimonio communi præsunt, aut communi consensu omnia gerent, aut quisque seorsum sed in commune commodum, quæ melius cæteris callet. Itaque quoque tres illæ formæ simplices in regno triformi vel conjunctim administrant jura illa, quorum abusus est exitiosissimus, vel unaquæque sua exercet secundum leges præscriptas suo nomine, in quo exercitio reliquis est adquiescendum, sua similiter in commune bonum administrantibus. Exempli gratia in regno magnæ Britanniæ Concilium regni inferius tributa sciscit & abrogat, quæ a concilio superiori & rege admittuntur; idem accusat criminum publicorum reos, quos pro re nata damnat & absolvit concilium

ſuperius ſumma judicia quævis exercens. Vtroque caſu optimates tuendis & regiis juribus contra populum, & populi contra regem operam ratedabunt.

§. 124.

Tripartita in regno jura imperii.

Inter modos jura ſumma inter tres formas dividendi, is naturæ convenientiſſimus eſt, quo omnibus communia ſacra tributa & onera relinquuntur placitis deciſionique ſtatus popularis; judiciorum & legum potius cura optimatibus; expeditio vero decretorum ab ordinibus regni, & jura majeſtatis innocua regi. Populus enim libertatem conſcientiæ & civilem amat; item onera & tributa maxime ſentit & præſtare debet, quod nemo ignorat. Ideo æquum eſt, ut de eorum neceſſitate & utilitate convictus, ſponte illa amplectatur decernat & ſubeat, quamdiu intelligit illa flagitare ſalutem publicam. Jura igitur de communibus ſacris, tributis & oneribus, & quæ cum his rite applicandis connexa ſunt ſtatuendi, merito relinquuntur populo univerſo.

Legum autem ferendarum aut mutandarum ratio ſcientiam requirit juris, Politicæ, aliarumque rerum, quæ in vulgo populi non datur, ſed intellectum requirit haud vulgarem & probe excultum, qualis eſſe debet optimatum (§. 560. & 605. P. I. Polit.). Licet igitur in rebus populo perſpectioribus & ad populi ſalutem facientibus & in transgreſſoribus ſublimioris ſortis accuſandis audiendus quoque ſit populus, vel & ſuffragari in legibus ſtatuendis poſſit; attamen in rebus publicis difficilioribus & majoris momenti nemo veris optimatibus rectius de legibus, earumque rationibus & applicatione ad facta civium dijudicanda cenſebit. Potior igitur legum judiciorumque cura naturaliter optimatibus debetur.

Quoniam uſus jurium majeſtatis innocuus, & expeditio ab ordinibus decretorum regiæ majeſtati ſalvus eſſe debet (§. 79. & 81. *ſeq.*), idem quoque in regno triformi eſt inſtituendum,

dum, ne regni dignitas evilescat (§. 83.), & sola nocitura avertantur (§. 85.).

Si usquam, & publice in regno temperato suum cuique est tribuendum. Id vero potest in publicis suum cuique dici, ad quod ipse præ cæteris natus, destinatusque est, in quo excellit, & sicut plurimum præstare potest, ita & debet vi pacti initi cum civitate, vel cum regno in nostro casu. Jam quid majestatis regiæ sit, quomodo illa exserenda sit & tuenda, id nemo melius callet ipso rege, vel nato & educato in parentum & majorum regio bene imperandi habitu ac splendore, vel electo quidem, sed decessorum vicinorumque optimis exemplis, institutisque tabulariis instructo, ad quæ arcana aditus aliis non patet. Præstantissimorum in quovis scientiarum genere virorum est perspicientia rerum abstrusarum in rebus cum civilibus & moralibus, tum naturalibus & sacris quoque supernaturalibus, quibus saluti publicæ consuli quam optime potest, quæ pinguioris rudiorisque ingeniorum multitudinis captum transcendunt. Hi vel inter regis administros, vel inter optimates suum sortiuntur locum, in quo suum esse deprehendunt, ut pacti religione id quoque optime salutis publicæ causa agant, quod ipsis nemo rectius agere valet in rebus, acumen, profunditatem, scientiam & prudentiam prospicientiamque haud vulgarem requirentibus. Populi denique in rebus ad varia vitæ ignobilioris genera pertinentibus peritia & experientia est, qua privatæ fortunæ multitudinis consulendum, qua nec rex nec optimates indigent & æque imbuti esse possunt. Idem ille populus & sumtus in res publicas expediendas conferre & æstimare potest, tum ex iis, qui in rem familiarem faciendi sunt, tum ex calculis, in similibus præsentibusque impendiis subductis populo exhibendis, & facillimis captu. Cum igitur populi sit salus, cujus causa sumtus sunt necessarii, cum ipse sumtus conferre debeat, cum & omnium sit salutis æternæ cura, libertatem religionis poscens: obscurum esse nequit, cur sacrorum, tributorum cæterorumque onerum jura populi sint, & ab eo,

quæ meliora esse deprehendunt, sponte sint eligenda atque præstanda. Dispiciant alii num his respondeant, quæ *Arnisæus* in mente habuit *Lib. II. Reb. pol. c. 6. Sect. I.* scribens: *mixtio ita posset institui, ut penes regem belli & pacis jus maneat, tributa imperandi monetam cudendi & præmia distribuendi; senatus occupetur in judiciis, mores legibus reformet & jus vitæ necisque habeat; populus vero ærario præficiatur & magistratuum creatione gaudeat, singuli de rebus & officiis sibi commissis leges condant.* Videor mihi hæc distinctius digessisse antequam inspexeram ejus placita. Hæc ita sese in regnis temperatis habere, penitior eorum, quæ in ipsis recepta sunt, excussio docebit. Nec ignorari potest, quæ calamitates & turbæ in regnis exortæ sint sæpe perniciosæ, quando secus res sunt tractatæ, quando religio violenter est obtrusa, quando tributis & oneribus populus est exhaustus, & ad incitas desperationemque redactus &c. Non erit igitur a scopo alienum, si præcipuorum hodieque regnorum temperatorum faciem, cum ad præcedentia confirmanda, tum ad alia simul & pro arbitrio mutata addenda, more *Aristotelis Lib. II. Polit.* Celebriores sui ævi respublicas percensentis, breviter ob oculos ponamus, postquam præmiserimus pauca, quæ præmonenda restant.

§. 125.

Quid requirant bipartita regni triformis jura?

Sicubi formarum secundariarum communia sunt jura, ibi, quomodocunque ordines regni dirimantur & in suffragia eant, congregatis & proponenda erunt, de quibus ipsis sciscendum est, nec nisi communi consensu decernenda erunt, quæ in regno observanda sint; & ut pares his, sint ordines inferiores consiliis & decretis rite formandis, vel ex ipsismet petendi erunt probe ad hæc exculti, vel adsciscendi ex ordinibus amicis oratores jurisque consulti. Sicubi enim communia sunt formarum secundariarum jura summi imperii, una earum sine altera nihil concludere potest (§. 123.); ideoque ut in quavis alia communione vel societate, consensus requiritur sive unanimis sive majoris partis consortium ejusdem juris, quoties quid-

quidquam, quod omnes ſtringat, eſt ſtatuendum (§. 107. *P. VII. Jur. nat.*). Quam obrem cum a rege deliberandorum præcipua argumenta ſint afferenda, & decreta confirmanda atque exſequenda (§. 121.): pateſcit, uti in ſeparatis juribus ſeorſum, ita hic ab eodem ordines eſſe congregandos, & congregatis materiam deliberandi exponendum. Quomodocunque igitur ordines diſpeſcantur & ſeorſum conſultent ac ſuffragia ferant; neceſſe tamen eſt, ut in id tanta ſuffragantium pars conſentiat, quod ratum fieri debet, quanta per leges requiritur. Idcirco non niſi communi ordinum regni conſenſu decerni id poteſt, quod omnibus in regno ſit obſervandum. Quatenus vero ordines inferiores impares per ſuum vitæ genus eſſe ſolent rebus arduis, nec niſi ope ſolidioris ſcientiæ perſpiciendis; eatenus utique neceſſarium eſt, ut vel ex ipſismet ingenia egregia erudiantur imbuanturque iis, quibus opus eſt, habitibus, vel ut adſciſcantur ex ordinibus amicis idonei oratores, ſcribæ & jureconſulti, quorum opera tuto uti poſſint.

Quicunque in ſocietate & communione verſantur, illi eatenus ut unum corpus morale ſpectantur, cum & integra civitas haberi poſſit inſtar perſonæ ſingularis, in ſtatu naturali degentis (§. 54. *P. VIII. Jur. nat.*). Quam obrem & ordines regni jura imperii communia habentes, eatenus ſocietate gaudent, & tanquam unum ſpectantur collegium. Non obſtat hoc jus commune, quo minus ordo ſuperior & inferior deinde ſeorſum deliberent, & quod prævaluit conſignent; modo ſub finem operam dent, ut in iis conſenſus, ſi fieri poteſt, obtineat, in quibus apparuit diſſenſus. Ordo ruſticorum in Suecia ſuum ſibi legit oratorem, ſecretarium vero 4 ordines conjunctim ipſis deſignant.

§. 126.

In regno triformi diſcernuntur merito rex, & regni ordines. Sunt enim in regno triformi tres civitatis formæ ſimplices,

 monar-

monarchia, Ariſtocratia & democratia (§ 21.) & (§. 122.). Præpollet in eodem forma primaria regia, cujus caput eſt rex (§. 75. *ſeqq.*), qui præeſt regno univerſo. Reliquæ duæ formæ ſecundariæ continent eos, qui imperii quadamtenus ſunt participes (§. 65.), eatenus nempe, quatenus earum ope abuſus regiæ majeſtatis eſt avertendus (§. 81. 85). Sed ſecundarii conſortes ſummi imperii, ſynedri et vel ſynarchontes heterogenei, vocantur ordines regni (§. 92. *not.*). Vnde ordines regni a rege differre, ac meritiſſimo in regno temperato diſcerni innoteſcit, uſu etiam ſtili & ſermonis pro nobis faciente.

Cœpit quidem quondam in Polonia Præſulis Cujavienſis autoritate rex primus & tertius regni ordo vocari, procul dubio, quod ordines regni mutila notione dicti ſunt ſummi imperii participes. Vid. *Heidenſtein rer. polonic.* p. 53. & celeb. *G. Lengnichii Jus publ. regni Polon. L. II. c. 1. §. 3.* attamen facile perſpectum fuit ab aliis unum quemdam invita qualibet lingua ordinem, qui multitudinem infert, nominari. Proinde ordines regni tanquam ſecundarii conſortes ſummi imperii, & quidem ex alia civitatis forma petiti, & inferiores ſtatus (noſtratibus Reichs-Stände) non ſunt regi adæquandi, neque confundendi cum collegiis regni in dyarchiis, triarchiis, Tetrarchiis &c. (§. 678. *P. I. Polit.*). Tametſi enim collegæ ſecundarii tantum forent, ſunt ſemper ejusdem non diverſæ formæ civitatis conſortes imperii, ideoque ſynarchi homogenei, non heterogenei, de quibus hic loquimur. Inde nec principes optimatum, nec demagogi aut tribuni plebis dici poſſunt.

§. 127.

Diviſio ordinum imperii vel regni.

Pro arbitratu populi ordines regni conſtitui poſſunt in temperato regno triformi duo tantum, aut plures v. c. tres, quatuor &c. modo ſua cuique jura rite aſſignentur, & ut ea ſalva maneant prudenter caveatur. Ordines enim regni ſunt heterogenei conſortes imperii ſummi, iique ſecundarii (§. 126.). Facile igitur patet, dividi illos poſſe in

in optimates & populum; vel in ſuperiorem & inferiorem ordinem. Qui duo ordines cum alias admittere poſſint diviſiones, verbi cauſa, ordinem ſæcularem & clericum; nobilem & ignobilem, civilem & ruſticum; pro lubitu etiam tres, quatuor & plures regni ordines inſtitui poſſunt.

Niſi ſua cuique jura pacto aſſignentur, quæ optime callet (§ 124), quilibet ordo ſibi arrogabit omnia & ſic diſcordiæ ſemina factionibus & everſioni temperationis locum dabunt. Si vero cuique ſua jura, quibus optime præeſſe poſſit, ſint aſſignata, ſed non relinquuntur ea ipſis ſalva (§. 123), verum alius alium contemnit, ſibique in illum imperium injuſte arrogat (§. 66.), non poſſunt non inde oriri querelæ, ſimultatesque in bellum inteſtinum, vel formæ interitum vergentes. Prudenter igitur cavendum eſt, ne inter ordines diſcordia oriatur, ſed ſua cuique jura ſalva ſint, & in communem ſalutem omnes ex æquo connitantur. (§. 66.).

Ita Romæ olim erant duo ordines, ſenatorius vel patritius & plebejus; quibus deinde interjectus eſt medius, equeſtris. Poloniæ regnum duos agnoſcit ordines, ſenatorium & equeſtrem, ad quos una cum rege cura publicæ rei pertinet, & quibus intercedendi iis, quæ rex vellet, jus eſt. Ordini equeſtri ſubjunguntur quædam civitates, præſertim in regia electione. Ordines imperii germanici habentur tres, ſcilicet ſenatus ſeu collegium Electorum (der Churfürſten-Rath), Principum (der Fürſten-Rath), & Civitatum (der Reichs-Städte). Ordines Regni Galliæ itidem antea tres fuere, clericorum, nobilium & civium; qui & in Regno Hiſpaniæ Luſitaniæque habentur. Angliæ ordines regni quidem ſimili modo diſpeſcuntur; in comitiis tamen nobiles primarii eccleſiaſtici & ſæculares curiam ſuperiorem (das Oberhaus), & nobiles ſecundarii cum civibus curiam inferiorem (das Unterhaus) conficiunt. Regnum Hungariæ gaudet ordine 1) præſulum, vulgo Prælatorum, 2) magnatum ſæcularium; 3) liberarum civitatum & nobilium. Sueciæ ordines

nes regni sunt quatuor, Nobilium (der Ritterschaft und des Adels), Sacerdotum (der Priesterschaft); Civium der Bürgerschaft) & rusticorum (des Bauren-Standes). Olim Athenis Theseus tres classes fecerat, patritiorum, agricolarum & opificum; Erechtheus constituerat 4, tribus armatorum, opificum, agricolarum & caprariorum; Solon vero ex censu populum in 4. classes diremit. Spartæ erant Reges, senatus & concio populi cum ephoris suis; Carthaginiensibus suffetes, senatus, & concilium populi; sed has præstat accensere rebus publicis.

§. 128.

Ad quænam in regno triformi leges vel comitia requirantur?

In regno triformi exercitium imperii in rebus arduis, quæ semper eodem modo fieri possunt, adstringendum est legibus sacratis regiisque; ad eas vero, de quibus non nisi ex præsenti rerum facie judicium fieri potest, consensus ordinum in comitiis requiritur. Si enim imperium limitatur, ejus exercitium certis legibus adstringitur in iis, quæ semper eodem modo fieri possunt, ad ea vero, de quibus non nisi ex præsenti tempore judicium fieri potest, utrum sint e re civitatis, nec ne, consensus vel universi populi, vel certorum quorundam ex populo requiritur (§. 74. P. VIII. *Jur. nat.*). Sed regnum triforme limitatur bifariam ope adjunctæ Aristocratiæ & Democratiæ (§. 122.); & in eadem quoque alia semper eodem modo fieri, alia non nisi e re præsenti definiri possunt. Ea propter in regno triformi quoque priora sunt legibus sacratis & regiis ita subjicienda, ut irritum sit, si quid secus fiat; posteriora vero comitiis reservanda, ut ibi ordinum consensu rite decernantur.

De legibus sacratis tenendum est, eas Romanis fuisse, quibus sanctum est, ut caput ejus, qui quid adversus eas fecerit, consecretur alicui deorum cum familia pecuniaque; item quibus libertas civium & tribunorum plebis sancita est. De quibus *Cicero in fragm. pro Cornel.* tanta, inquit, in illis virtus fuit, ut anno 16 post reges exactos, propter nimiam dominationem potentium secederent, leges sacratas ipsi sibi restituerent, duos tribunos

bunos crearent, montemque illum trans Anienem æternæ memoriæ causa consecrarent. „Quatenus & regi ejusque administris „regendi regnum ratio præscribitur, eatenus & regias vel regiminis leges illas dicere liceret, quæ modum bene imperandi „præscribunt.

§. 129.

Sacratæ hæ leges vel perpetuæ sunt, vel subinde ubi reges eliguntur, novæ præscribuntur. Continent enim leges sacratæ normam eorum, quæ in regno salutis publicæ causa semper eodem modo fieri possunt (§. 128.), & rex ad earum observantiam obligatur (§. 75. *seqq.* P. *VIII. Jur. nat.*). Quia pro voluntate totius populi sive omnium ordinum in regno habetur quidquid cum illis legibus convenit (§. 161. *ibid.*); & leges illæ populi consensu mutari possunt, salvo rectoris civitatis jure (§. 75. *ibid.*): a voluntate ordinum regni dependet, utrum & quas leges fundamentales velit esse perpetuas, & quas subinde præstet mutari (§. 277. *ibid.*). Quare si quas leges cardinales ordines regni bene statuerint perpetuas, hæ semper manebunt eædem, nec indigebunt mutatione. Quas autem animadvertent subinde aliter aliterque esse instruendas, eas personis temporibusque accommodabunt, & præsertim novo rege electo variabunt, prout usu venire videmus.

Hæ leges vel sunt perpetuæ vel temporariæ.

In imperio romano germanico ejusmodi lex cardinalis est *capitulatio Cæsarea*, quæ inde a Carolo V. cum electo novo imperatore usque adhuc inita est conventio jurata de modo regiminis futuri. Quarum formulas passim typis exscriptas, & a *Müldenero* quoque *in Capitulatione harmonica* comparatas invicem esse novimus cum Josephina. Agitata quidem sunt non semel consilia de capitulatione perpetua, communi totius imperii consilio sancienda, nec in his nisi eodem consilio mutanda; sed irrito hactenus successu. In Polonia hæ leges ab anno 1573. appellantur *pacta conventa*, quia non sunt nisi conventiones inter regem novum & ordines, quibus & rex & ordines obligan-

tur. Inſeruntur illa Conſtitutionibus Regni, in quarum Collectionibus inſpici poſſunt. Continent hæc parta *legem commiſſoriam*, qua incolæ regni utriusque gentis ab obedientia & fide regi debita liberi declarantur, niſi rex impleat promiſſa, ſed jus jurandum violet. Addita tamen eſt explicatio, jura & immunitates non violatas exiſtimandas eſſe, ſi per errorem humanum rex contra eas quidquam admitteret, ſed ſi volens & ſciens eas vi opprimeret, aut per contemtum & temeritatem in dubium vocaret, ut admonitione ſenatus ordinumque nihil effici poſſet. Vid. *Heidenſtein rer. polon. p. 40. & in Volum. Conſtitut. A. 1576.* Tit. *declaratio articuli de obedientia.* Hæ leges regiminis publici formam præſcribentes *juris publici peculiaris* & proprii magnam partem complectuntur.

§. 130.

Comitia quoque vel interrupta ſtata tamen ſunt vel perpetua.

Comitia quoque regni vel ſtatis temporibus, ſolitis aut inſolitis, a rege indicenda, vel perpetuo ipſius auſpiciis celebranda ſunt. Illa enim negotia publica, de quibus cujusmodi ſunt futura, prævideri nequit, e præſenti rerum indole communi regis & ordinum conſenſu in comitiis ſunt decernenda (§ 128.). Quapropter comitia ſunt habenda, indicenda & peragenda in regno quamvis temperato regia autoritate (§. 121.). Quia haberi non poſſunt niſi ſuis locis temporibusque; ambo vero vel poſſunt majoris commoditatis cauſa rata & fixa eſſe, vel neceſſitate jubente extraordinaria: diſpaleſcit, comitia regni vel ſtatis locis & temporibus ſolitis, vel inſolitis neceſſitatis ergo eſſe frequentanda. Denique iniri quoque quædam ratio poteſt, perpetuandi comitia, ut paucis deputatis, in loco comitiorum commorantibus ſine ullo ſumtu oneroſo, mandata ſubmittantur de emergentibus rebus novis, ſecundum quæ ipſis ſuffragia ſint ferenda. Quo nihil poteſt fieri compendioſius, celerum & curſuum publicorum ope.

Ita in Anglia comitia a rege, ſi vivit, indicuntur, prorogantur, diſſolvuntur, durantque in triennium uſque immo quia in

novis

novis comitia ſæpe alii ſunt ordinum ſenſus, præcedentibus obluctantes, vel in ſeptennium continuata habentur. Vivente rege Poloniæ, ordines ab ipſo ad comitia convocantur tum ordinaria, quovis biennio celebranda, tum extraordinaria, quæ ordine explicat *Lenginchii Jus Poloniæ publicum L. II. c. 12. §. 1 - 7.* Perpetuorum Comitiorum exemplum Germania dudum ſiſtit in Comitiis Ratisbonenſibus, quæ antea *pace Oſnabrugenſi Art. 8. §. 3.* toties habenda ſtatuebantur, quoties publica utilitas aut neceſſitas poſtulaverit. Poſtea placuit, ut quovis ſexennio haberentur. Sed auctis rebus, de quibus in comitiis agendum, & ut ſumtibus parceretur, continuari ea minori ſumtu placuit perſapienter. Pergamus ad reliqua hujus imperii momenta!

§. 131.

Qualis ſit temperatio imperii germanici.

Enarrare temperationem imperii romano-germanici ratione jurium diviſorum. Gaudet Germania imperio ſenatorio, vel mixto ex Monarchia & Ariſtocratia, (§ 101. *not.*) quanquam nec niſi verbis diſcrepant, qui ipſi non nihil democratiæ adjungunt, propter nobiles immediatos & civitates imperiales, ut ſic imperium triforme dici poſſit (§. 120-130.).

I) Præcipua imperatoris reſervata (Kaiſerliche Hoheiten und Vorrechte) ſunt, in quorum nempe communionem ordines imperii non ſunt admiſſi 1) Majeſtas cæſarea vel imperatoria, quam venerantur ordines, ut poteſtatem, cui ſubſunt, & qua omnia adminiſtrantur expediunturque, quæ imperio univerſo tribuenda ſunt.

Huc refertur in civilibus cura quietis & ſalutis publicæ, ne quid illa detrimenti capiat, jus in comitiis proponendi, dirigendi, concludendi, publicandi & expediendi concluſa ſuo nomine; recipiendi legatos & mittendi extra ordinem; conſtituendi & conferendi archiofficia & officia imperii civilia & militaria, aulæ & judiciorum intra & extra Germaniam; tribuendi dignitates majores & minores, regum, Principum, archiducum, ducum, comitum varii generis, baronum, nobilium & equitum,

& communicandi cum regibus & principibus &c. poteſtatem creandi ſe inferiores; jus inveſtiendi, vel ſolenniter tribuendi feuda imperii tam ſæcularia quam eccleſiaſtica; conceſſio privilegiorum imperialium veniæ ætatis, legitimandi vel abolendi maculam natalium, reſtituendi famam, relaxandi poſt ſatisfactionem bannum imperii, dandi moratoria, protectoria, concedendi nundinas generales ſolennesque, jus poſtarum generale, poteſtas ſuprema judiciaria, jus ſtatuendi de controverſiis circa feuda regalia & controverſias ordinum imperii circa jus præcedendi, vectigalia, & privilegia; jus fiſci, reditus metalli fodinarum aliis non conceſſarum &c.

II) Tutela ſacrorum & jurisdictio externa pactis conſentanea; quorſum & refertur jus convocandi dirigendique concilia totius imperii, & cohibendi pontificem atque epiſcopos, ne jurisdictione ſua abutantur; item jus circa conſtitutionem archiepiſcoporum, epiſcoporum & abbatum; jus primariarum precum, &c. III) Jus prævio omnium ordinum conſenſu leges imperii ferendi, bellum decernendi, gerendique pacem fœdera & inducias pangendi, exigendi ſubſidia bellicæ expeditionis ergo recepta, legatorum nomine imperii mittendorum, alienandi & oppignorandi res imperii, eligendi regem romanum, evehendi in electorem, circa comitia, moderationem vel remiſſionem (matriculæ) tribuendorum, circa reformationem juſtitiæ & politiæ, circa tribunal imperii, quod camera vulgo dicitur, circa monetam, circa munera directorum in collegiis imperii, circa (bannum) proſcriptionem imperii & circa ſuſpenſionem vel excluſionem a ſeſſione & ſuffragio in comitiis &c. IV) Jus prævio tantum electorum conſenſu inſtituendi, augendi vel prorogandi vectigalia, cui acceſſit connexum jus ſtapulæ & geranii; jus aliis dandi majora feuda imperii aperta; concedendi privilegium cudendæ monetæ, indicendi comitia & præconſultandi &c.

Res imperii in Comitiis ita tractantur, ut illis præsideat Commissarius Imperatoris principalis, deliberanda in medio ponens. Collegium electorale, cujus Præses est Moguntinus, plurium consensu unum format suffragium; Collegium principum, cui alternatim Præsidem dat, Austrea & Salisburgum conficit secundum, & Collegium urbium imperialium tertium suffragium. Ubi ob religionem Catholici & Aug. Confessioni addicti in diversa abeunt, non valent plura suffragia, sed amica utendum est compositione per §. 19. *Pacis Osnabrugensis*. In re manifesta imploratur imperatoria Majestas &c.

Hauriri hæc uberius possunt ex autoribus, qui Jus publicum imperii Rom. Germ. typis exscriptum edidere. Id tantum hic videtur esse submonendum, ex indole democratiæ amplioris notum esse, vix unquam in ea omnes pro civibus haberi, neque omnes cives ad comitia confluere (§. 541. *P. I. Politic.*), ideo eam & ibi dari, ubi non nisi delecti ex populo jus comitiorum bona cum voluntate cæterorum habent, & omnium loco agunt (§. 542. *ibid.*). Civis autem vel latius dicitur quilibet homo in societatem civilem receptus (§. 6. *P. VIII. Jur. nat.*), vel strictius, quando peregrinis, incolis, servis &c. opponuntur, membrum civitatis (§. 7. 8. *ibid.*) vel consors juris imperandi (§. 518. *not. P. I. Polit.* confer. 523. *ibid.*). Si ergo jure & nomine populi vel in democratia non gaudent nisi qui ex pacto consortes juris imperandi sunt (§. 514 *ibid.*) infimus ordo eorum, qui participes sunt Imperii, in forma mixta loco civitatis popularis haberi possunt, dum eminentiores optimatum loco habentur. Hinc quod de antiquis Germanis *Tacitus de Moribus Germanor. c. 11.* refert: de minoribus rebus principes consultant, de majoribus omnes, ita tamen, ut ea quoque quorum penes plebem arbitrium est, apud principes pertractentur; idem & recentiori ætate de Germaniæ imperio censent *Thuanus, Hotomannus* & *H. de Cocceji*, cujus *Jurispubl. prudentia C. VII. n. 8.* hæc sunt verba: Hoc Germaniæ regnum vere est & dicitur Monarchicum, sed ita, ut a prima origine sua mixtum fuerit ex populari, opti-

matum, & qui deinde acceſſit, regio ſtatu. „Mixtionem non adminiſtrationis ſed formarum oſtendit hoc, quod adminiſtrator tantum jure & nomine alterius agit, cujus voluntas ipſi pro norma eſt; ſed in Germania non minus proceres populusque, quam Cæſar & jure & nomine proprio in negotiis comitialibus utuntur, monente *J. M. Langgut in animadv. ad cit. locum.* In his quippe nec imperator ſolus invitis ordinibus; nec ordines invito Cæſare valide quidquam ſtatuendi poteſtate gaudent. Id liquet, inquit *F. L. de Berger in animadverſ. ad Coccejum, h. l.* Imperatorem nil niſi ſtatibus, & hos nil niſi imperatore conſentiente circa negotia imperii comitialia ſtatuere poſſe. Qui ad democratiam omnis populi confluxum ſaltem delectos ad quævis comitia delegatos requirunt, illi cum *Carpzovio in Comment. ad Leg. reg. c. 13. ſect. 9. Hornio in Jur. publ. rom. germ. c. 14. §. 5.* & *B. de Zech* im Europ. Herolde fol. 447. Monarchiam Ariſtocratia temperatam in illo ſtatuunt. Hinc merito non audiuntur, qui cum *Bodino Lymnæo* & *Arniſæo* nimium Imperatori detrahunt & Ariſtocratiam prævalere; vel qui corpus civitatum irregulare cum *Pufendorfio* quærunt in hoc imperio; vel cum *Reinkingio* unam putant eſſe Monarchiam.

§. 132.

Quomodo limitetur imperium Turcicum ſeu Ottomannicum.

Magni Mahometanorum Sultani qui Imperatoris titulo gaudet, imperium eſt adeo abſolutum, ut de vita & bonis omnium etiam conſanguineorum, ipſiusque vel miniſtrorum principis, quem Magnum dicunt Vezirum, & Pontificis ſummi, Muffti, pro lubitu ſtatuat, & fiſco ſuo hæc addicat. At tamen jurare idem obligatur imperium aditurus, ſe leges Mahometis & fidem Muſelmannorum ſancte eſſe ſervaturum tuiturumque. Præterea ſæpius contigit, ut diſplicens peditum Jenizariorum copiis, vel imperio vel vita exueretur, & alius e familia imperatoria princeps in ejus locum ſufficeretur. Quare patet, militari vi & jura ſucceſſionis agnatorum turbari, eique abſolutum imperatorem ita ſubeſſe, ut impunitas publica certa

certa ſit, eoque nomine haud immerito jure an injuria impuni limitatum dici poſſit imperium copiarum pedeſtrium arbitratu. Vtitur idcirco potiſſimum imperator miniſtrorum principe ſeu Primate, in quem & pacis & belli tempore culpam ejus, quod in imperio reprehenditur, ipſumque infelicem belli aut prælii exitum, ſi ejus cauſa milites exacerbati ſunt, devolvat, ipſiusque morte iram illorum demulceat expietque. Id remedium tamen non ſemper valuiſſe, hiſtoria docet. Vnde conſtat, parum tutam eſſe abſolutam poteſtatem, ignorantia licet & ſumma ſuperſtitione, proximorum conſanguineorum filiorumque ſeu interemtione ſeu captivitate, dignitate precaria, emunctione & obligatione locupletum, divitias ſuas fiſco imperatorio legandi, fato ſtoico, aſiatico auxilio, aliisque ſuffultam inſtitutis, ad augendam ſemper potentiam imperii comparatis

Fertur enim Muſa Zelebis Solimannum fratrem imperio & vita privaſſe, qui viciſſim a fratre Muhamede III pariter eſt ſublatus. Vnde odium & durities erga fratres &c. invaluit. Othmanes II. a prætorianis Jenizariis ſtrangulatus eſt A. 1622; Muſtapha patruo in ejus locum electo. Qui iterum imperio privatus ab ipſis fuit Amurathe IV. adoleſcente Othmannis fratre ad imperium evecto. Poſtea Ibrahim 1645 itidem a militibus prætorianis ſtrangulatus eſt inſtinctu Muftii. Simile fatum expertus eſt Mahometh IV. A. 1687. Muſtapha II. 1703. & Achmeth III. 1733. Eccui iſtiusmodi fata optes? *Busbequius* inde refert *Ep. I.* prætorianos illos petendorum congiariorum avidiſſimos, ſi recuſantur, confeſtim ingeminare, ſalvus frater ſit, Fratrem Deus nobis ſervet, quibus illum imperio ab ipſis deſtinari haud obſcure teſtantur. Inde fratrum frequentia fuere parricidia. Eandem ob rationem nec filiorum adultorum quisquam vivo patre intra Conſtantinopolis mœnia pedem inferre jubetur: teſte, *Ejusdem Epiſt. 2.* ſimiliter filiæ imperatoris 4 vel 5 ætatis anno Beglerbego cuidam deſpondentur, adjectis nuptiarum ritibus, quem curam educationis ipſius gerere

rere oportet, ut ſalva virginitatès 5. & plurium maritorum ſponſæ aulæ potiſſimo, fiant. Aliæ tamen & magno Vezirio, in matrimonium dantur. Quod milites prætoriani ſibi ſumunt, idem interdum populus Conſtantinopolitanus uſurpat, uti A. 1737. minatus eſt necem Sultano ejusque Miniſtris, narrante *Fama Europæa illius anni p. 241.* ut alia taceam. Quare ſi non de jure, ipſo tamen facto adſunt, quæ abſolutæ poteſtati limites ponunt. Recentiora nunc imperantis Osmanni (Ottomanni) III. primordia regiminis docent nos, imperium Ottomannicum non tam ſucceſſione, quam electione obtineri. Mortuo enim Mahomete V. a. 1754. d. 13. Dec. eodem die proceres, ſummus miniſter (Magnus Vezirius), Dux Triariorum (Aga Genizariorum) cum reliquis militiæ præcipuis ducibus, Pontifex ſummus (Mufti) cum aliis pontificibus, ſummus Cancellarius (Reis Effendi), Protothesaurarius (Tefterdar), ſummus claſſium dux &c. illico de eligendo ſucceſſore congregati ſunt, & ſacerdotum quidem ordini arriſit primum Mahometh filius Sultani 1730 abdicati; ſed is acceſſit deinde cæterorum rationibus & ſuffragiis Osmannum fratrem Sultani, mortui ſtatuentibus digniſſimum ſucceſſorem. Quem illico adeuntes electores ſalutarunt unanimi conſenſu electum ſucceſſorem fratris modo defuncti. Deductus poſt aliquot dies ad inaugurationem ſolennem in templi ſuggeſtum, a ſiniſtra ejus ſtans Mufti, exclamavit: Evocato e vivis Mahomete V. æternis Dei decretis electum eſſe Oſmannum III. muſulmannorum Sultanum. Dein ipſum affatus dixit. Imperator ſumme, glorioſe monarcha, Deus Te conſtituit Sultanum Muſulmannorum (quod eſt orthodoxorum). Sis legibus addictus, & proſperabitur imperium tuum! Dein ad populum converſus, en, ait, quem Deus in æternis decretis ſuis Vobis præeſſe juſſit, ipſe ſervabit leges, vos ipſi eritis fideles. Accingens illi acinacem hortatus eſt, ut eo non uteretur niſi ad defenſionem legis, populi & juſtitiæ. Oblato Corano juravit Oſmannus, ſe legem exacte ſervaturum, ſplendorem regni tuiturum, & ſalutem populi amplificaturum.

§. 133.

§. 133.

Imperium Russicum pariter despoticum est, *neque multo quietius imperio byzantino.* Quod docent non tantum seditiones contra Borislaum Gudenow, affinem Theodori, & ab eodem rerum summæ admotum a Pseudo-Demetriis excitatæ, item ab electo contra ipsum Basilio Zuskio; sed & recentiores sub Petro I. conspirationes, quibus & filius sic implicari se passus est, ut supplicio esset dignus compertus. Attamen Petrus I. qui imperatoris elogium sumsit & obtinuit, a. 1721. seqq. senatum sanctiorem imperii constituit, cujus consilio uteretur, ex proceribus constantem, a Catharina imperatrice servatum, sub Annæ vero imperio mutatum, Catharina ipsa a summo senatu, sacra synodo, & ducibus militum pro jurata jam Petro fide imperatrix recepta est. Imperatricem Elisabetham a proceribus imperii & prætorianis commotam fuisse ad paternum solium ex testamento materno capessendum, ipsamet publice manifestavit. Ipsa Senatum a Petro I. designatum restituit, omni autoritate & potestate qua interna imperii negotia dirigenda instructum, quæ ipsi tributa ab eodem fuerat; externis vero negotiis Cancellarium cum procancellario adjunctisque aliis præfecit. Nonnumquam pro rei necessitate ipsa imperatrix interesse utrique senatui voluit; quæ omnia partes utriusque senatus nonnisi Russos complectentis, in imperio saltem administrando satis superque loquuntur, & quæ in posterum inde sint oritura, dies docebit.

Quid de Russorum imperio habendum?

Non est hic silentio prætereundum, A. 1613. ordines imperii, principes scilicet similes Polonorum Palatinis, (Knias) & equitum proceres (Bojares), instinctu cujusdam Zachariæ, sibi Czarium (regem) elegisse Patriarchæ filium, Joannis Basilidis nepotem, Michaelem Theodoridem (Fœderowitz). Post Theodori Alexidis (Alexiewitz) mortem filii e diverso matrimonio procreati Joannes & Petrus una regnarunt, dyarchiam con-

ſtituentes A. 1682, donec major natu Joannes, parum proceribus placens, ſponte valediceret, idem cœnobium ingreſſus, quod ſorori germanæ Sophiæ ob excitatam conſpirationem pro pœna erat ineundum. Poſt mortem Petri II. A. 1730. Anna Iwanowna, vidua ducis Curoniæ, filia Joannis Alexievii, a proceribus conſtituebatur imperatrix. Cui quædam leges, poteſtatem ejus reſtringentes, primum erant præſcriptæ, quæ tamen poſtquam adierat gubernacula, iterum abrogatæ ſunt, animum tamen temperandi potentatum prodentes. A cujus ultima conſtitutione ferebatur imperium eſſe conceſſum ſororis ſuæ nepoti tantum duos menſes nato Joanni, filio principis Antonii Vlrici & Annæ principis Megapolitanæ, in imperatricem mox evehendæ; niſi interceſſiſſet Eliſabetha Petrowna, adjuta potiſſimum prætorianis copiis. In prima enim declaratione imperii ſuſcepti Eliſabetha A. 1741. ait, ſe precibus fidelium ſubditorum eccleſiaſtici & civilis ordinis, inprimis vero prætorianorum militum adductam fuiſſe, ad capeſſendum a Patre Petro I. & matre Catharina relictum ſibi imperium hæreditarium. Videſis illam germanice exhibitam in *Famæ Europææ novæ P. 79. p. 644. ſeq.* Vbi ſtatim ſequitur triduo poſt edita uberior deductio ſui juris, e qua hic tantum inſeremus articulum octavum teſtamenti imperatricis Catharinæ, ſucceſſionem in imperio jurata ordinum imperii fide receptam, poſt mortem Annæ, ejusque deſcendentium, Eliſabethæ attribuentis, quem ita latine reddemus: *Si Petrus II. improles decedit, imperium devolvetur ad Annam ejusque progeniem, & poſtea ad Eliſabetham ipſiusque ſobolem, tanquam principes imperatorias; his deficientibus ad Czariam principem ipſiusque prolem, ita tamen ut mares ſemper feminis præferantur p. 646. ibid.* Hinc infert imperatrix, inde a Petri II. morte ſibi fuiſſe jus ſuccedendi, ipſo homagio Catharinæ præſtito firmatum, non vero Annæ Iwanownæ, quæ gratis dicta fuerat a Petro poſt Catharinam deſtinata ad ſucceſſionem in imperio. Id cujusmodi ſit perſpici poteſt ex *Famæ Europææ n. 281. & ſeq. ao. 1725. p. 408.* ubi in hæc verba ordines jurant, ſe fidem & obſequium præſtituros integerrime & imperatrici legitimæ Catharı-

tharinæ Alexiewnæ, & ipſius hæredibus, quos ipſa ſucceſſores inſtituerit. Senatui imperii inſtaurato Eliſabetha dedit ſenatores 14, nominatos *loc. cit. P. 70. p. 740. ſeq.* Cui normam regiminis præſcripſit a Petro I. conſtitutam, una cum reliquis ejusdem, & Catharinæ, conſtitutionibus & corpore Juris (Sakonniei Vloſienia), ab Alexio Michaëlide Czario 1647 promulgato, quatenus huic ſuæ conſtitutioni non repugnant. Præterea intimum elegit conſilium more Patris, undecim complectens perſonas, in quibus illico peregrini non erant niſi princeps Haſſiæ homburg. & Comes Laſci exercitus ductor, viri ambo meritiſſimi. Ex his cuilibet perſpicuum fiet, num & quid proceribus omnium Ruſſorum in ſummo imperio ſeu deferendo ſeu adminiſtrando vel ſit, vel non ſit tribuendum uſitatumve.

§. 134.

De temperatione imperii Sinarum.

Sinenſis imperii ratio *mixta dicatur ex Monarchia & Ariſtocratia.* Neque enim licet imperatori abſolute ſtatuere de rebus maximi momenti, niſi conſultis imperii proceribus. Neque quidquam de ſubditis decernit, niſi imploratus libello ſupplici, & prævia Collegii, cujus illius rei eſt diſcuſſio, ſententia. Neque præmia, magiſtratus aliaque munera publica confert ſine collegii ſuperioris rogatu: quoniam & tributa publica atque vectigalia non inferuntur theſauro imperatorio, ſed Theſaurariorum ærario publico, e quo ſolvuntur, quæ gynecæo, liberis, eunuchis, cæterisque miniſtris & militibus debentur. Senatus cenſorius uterque, *Choli* & *Sauli*, imperatori ſuggerit, quidquid contra leges factum vel cenſores obſervant, vel ad eos defertur, ita quidem, ut ne imperatori quidem, ejusque intimis conniveant, etſi vel durius accipiuntur, non deſinunt tamen libellis ſupplicibus urgere emendationem, quamdiu medelæ locus denegatur. Quid? quod & libelli ſupplices cum reſponſis typis imprimuntur & quaquaverſum in imperio diſtrahuntur.

Hæc tradunt quotquot de imperio Sinico memoriæ prodiderunt, quæ ipſimet experti ſunt: uti *Jo. Neuhoff* & qui e ſocietate Lojolitica hoc caput attigerunt. Referunt nempe, ſi imperatori, quod rarius contingit, tradatur libellus ſupplex, imperatorem eum remittere ad collegium, quorſum res pertinet, ut libellum examinet, & quid ſtatuendum ſit, edoceat exponatque. Jubentur inde omnes primum rem referre ad ſenatum, cui iſtiusmodi res ſunt diſcutiendæ, cujus eſt adſcribere ſuam ſententiam, quam plerumque imperator confirmat & injungit, rarius mutat, quando quidpiam conſultius deprehendit. Dantur autem ſex diverſi ſenatus. Primus, *Sipu* dictus, de magiſtratibus cenſet, quinam recte ſe geſſerint, & digni ſint magiſtratu capeſſendo, adſcendendo altius, aut quinam puniendi vel plane excludendi. Secundus, *Hopu* vocatus, reditibus regiis recipiendis erogandisque in ſuos uſus præeſt. Tertius, *Limpu* rebus ſacris dirigendis & ſcholaſticis occupatur ſic, ut exploret eruditorum profectus, gradus honorum merentibus tribuat, medicos & artifices ordinet, legatos recipiat expediatque, & ſolemnibus gratulationibus, literisque ſcribendis operetur. Quartus *Pimpu* eſt ſenatus militaris & bellicus, ſecuritati regni, belli pacisque negotiis conſenſu imperatoris conſulens, milites eorumque præfectos legens, promovens, præmiis pœnisque dignos afficiens. Quintus *Cumpu* ædilis eſt, inſpectionem directionemque palatiorum, ædificiorumque publicorum, munimentorum, murorum, navium & claſſium e re publica curans. Sextus *Humpu* criminalis, maleficorum inquiſitioni, damnationi & pœnarum meritarum exſecutioni animum curamque intendit. Licet igitur imperator, intimo amicorum, qui *Colaos*, h. e. adjutores, dicuntur, conſilio utens omnia regat, & ejus nomine cuncta negotia publica expediantur; is tamen Philoſophorum, e quibus ſenatus & collegia quævis conſtant, conſiliis, ſententiis, cenſuris modo ſupra indicato circumſcribitur, ne abuti facile aut diu ſumma poteſtate poſſit. Accedit his Collegium, *Han Lin yven* dictum, permagnæ autoritatis, a quo leges, ordinationes, edicta Cæſarea, perſcribuntur, colliguntur, annales impe-

imperii conduntur, cæteraque monumenta publica, ut epitaphia, inſcriptionesque avide expetuntur.

§. 135.

De imperii Japanenſis Limitatione.

Japanenſe imperium ſubegit quidem antiquos reges & principes hæreditarios, qui olim veluti corpus monarchicum circa annum 1500 conſtituebant, & belli evitandi cauſa unum elegit velut dictatorem *Dairum*. Qui poſtea a conſtitutis ſummi belli ducibus poteſtate exutus eſt adeo, ut Taicoſama circiter A. 1584. imperio potitus, ipſi Dairo ſolam ſacrorum poteſtatem reliquerit, cœteris regibus principibusque ſibi ſubjectis. At ipſe pariter ac ejus ſucceſſores circumſcribuntur Dairorum ſumma poteſtate in ſacris, ut tantum in civilibus imperent, dicique ibi poſſit, *diviſum imperium cum Jove Cæſar habet.* Præterea majorem redituum partem in vaſallos & milites impendunt, ut ab horum arbitrio ipſorum imperium ſuſpendi videatur. Neque fieri poteſt, quin vi deturbantes imperii hæredes, vim aliorum viciſſim formident. Vnde quæ eventura poſthac ſint, exſpectanda erunt, præſertim propter truculenter deletam chriſtianam religionem, cum qua admiſſum forte quorundam crimen non fuiſſet confundendum.

Comparari quadamtenus poteſt Dairus, quem vocant Japanenſes noſtri ſæculi, cum Pontifice romano, item Judæorum antiquorum, qui regibus ſuæ gentis obnoxii non erant. Licere imperium ſacrum & civile a ſe invicem ſeparare, & alii illud, alii hoc tribuere; aut & conjunctim utrumque uni eidemque dare, conſtat ex §. 955. *P. VIII. Jur. nat.* exemploque Judæorum, quorum jus circa ſacra erat penes pontificem maximum, & jus civile penes Regem, ut neuter ab altero in ſuo munere dependeret. Cum vero neceſſaria non ſit ejusmodi ſeparatio imperii, ſed utrumque ſimul eodem ſubjecto ineſſe poſſit, manifeſta eſt utriusque imperii limitatio vel reſtrictio, diviſione ejus admiſſa; licet ſtricto ſenſu temperatum unum per alterum dici

nequeat, quatenus jus ſacrorum pariter eſt penes unicum hominem, ac jus ſummum civile (§. 3.). Conf. *Arnold. Montani* Geſandſchaften an die Kaiſer von Japan. *Amſtel.* 1670. & *Jo. Alb. de Mandetslo* Morgenländiſche Reiſebeſchreibung durch Ad. Olearius 1654.

§. 136.

Temperatio Regni Angliæ.

Angliæ ſive Magnæ Britanniæ Regnum hæreditarium omni modo ita temperatur, ut ipſe quidem rex majeſtate regia gaudeat, quatenus eſt innocua; attamen coronandus jurat, ſecundum regni leges & privilegia ſe eſſe regnaturum; neque ſine conſenſu ſenatus ſuperioris & inferioris vel novas leges condere, vel abrogare antiquas, vel nova onera & his ſimilia imponere valet. Quod ut diſtinctius pateat, conſulendæ ſunt leges cardinales, uti data a Joanne A. 1215. regni ordinibus magna charta libertatum, acta ſucceſſionis A. 1702. & 1705. & unio cum Scotia 1706. Præterea tenendum eſt, regem Angliæ 1) ſumma gaudere imperii Majeſtate & in civilibus, & in ſacris reformatis, velut ſummum Epiſcopum aut pontificem maximum, a quo Epiſcopi omnes creantur & judicantur, 2) committi crimen læſæ majeſtatis vel ſolo conſilio regicidii, conſpirationisque contra ipſum, intimos ejus adminiſtros, violatione regii ſigilli, & privata monetæ fabricatione aut depravatione. 3) Vitam regis vita & bonis cujusque ſubditi eſſe tuendam. 4) Suo nomine repreſſalias adhibendi, bellum indicere & gerere, pacem & inducias ſancire, fœdera pangere, legatosque mittere & recipere. 5) Milites conſcribere & conducere, omniaque ad bellum terra marique inferendum apparare. 6) De commeatu, arcibus, munimentis, portubus & ſubſidiis ærereque publico ſtatuere. Ipſius eſſe 7) jus metalli fodinarum, monetæ cudendæ, peregrinæ recipiendæ aut proſcribendæ, ipſiusque pretium ſtatuendi. 8) Jus pondera & menſuras præſcri-

bendi. 9) Jus ordines regni, ſeu utrumque ſenatum convocandi, prorogandi & dimittendi. 10) Jus leges novas confirmandi, aut confirmationem in re dubia denegandi. 11) Jus numerum membrorum in ſenatu utroque augendi. 12) Jus magiſtratus civiles & militares præfectos legendi. 13) Jus honores feuda & gradus nobilitatis majores æque ac minores conferendi. 14) Jus condendi academias, civitates, comitatus, tribunalia, collegia, ſocietates, hoſpitalia &c. 15) Jus concedendi privilegia & immunitates fidem publicam, moratoria, protectionem; 16) jus pretia rerum & annonæ definiendi. 17) Jus protimiſeos rerum quarumque, quibus indiget etiam in conducendis æquo pretio navibus curribusque, & prærogativæ ratione debitorum brevi manu conſequendorum. 18) Jus ſummæ regni cuſtodiæ & vindicandi regia bona etiamſi in foro publico aut ſub haſta vendita; vel quomodocunque poſſeſſa aut uſucapta. 19) Jus abolendi ſententiam & rem judicatam, quæ violat jus regis. 20) Jus ſupremæ hæreditatis & bonorum hæredibus deſtitutorum vel utcunque caducorum; 21) jus theſaurorum ſibi vindicandorum, quorum domini ignorantur, 22) jus concilia eccleſiaſtica convocandi, dirigendi, & canones formandi de dogmatibus & rebus ſacris. 23) Jus novos erigendi epiſcopatus, & antiquorum beneficia, minuendi, dividendi, augendi &c. 24) Jus pœnas eccleſiaſticas ſanciendi infligendi, mitigandi, remittendi, leges & ritus emendandi &c. 25) Jus diſpenſandi ſecundum æquitatem in regem afficientibus rebus, pœnis rigoroſioribus, & legibus mere poſitivis etiam eccleſiaſticis v. c. ut Epiſcopatus vacet cujusdam gratia, vel beneficium ſacrum per vicarium poſſideatur. 26) Jus decidendi controverſias, nullis ſtatutis vel legibus regni definitas, item definitas pro diverſa rerum indole æquius interpretandi. 27) Jus validum efficiendi contractum ipſo præſente,

vel

vel in conclavi, ubi ſedere in throno ſolet, initum, qui alias non valeret, v. c. contractum minorennium, feminarum etiam nuptarum, quibus alias ita contrahere non permiſſum: dum creditur, ibi omnia ſine fraude & dolo agi. 28) Jus præſentiæ vel quaſi in ſolio, unde vel abſente rege nudato adſunt capite, & reverentia ſubmiſſo profundius corpore ſolio exhibetur. 29) Jus veniam ætatis concedendi, & natales reſtituendi, ſeu illegitime natis concedendi jus legitimæ nativitatis 30) jus conſervandi integra jura regia ſibi ſucceſſoribusque, averten dique omnem eorum infractionem diminutionemque.

Quod vero attinet ad ſenatum regni ſeu ordinum (*parliament* dictum), in ſuperiori continentur proceres ſeu optimates ſacri & ſæculares circiter 210. diciturque *the houſe of Lords*, inferior autem ſenatus *the houſe of Commons*, popularis eſt, continens & nobiles & cives urbium, oppidorum & vicorum, jure in comitiis ſuffragandi gaudentium circiter 550. Temperatur itaque regnum & adjuncta Ariſtocratia, & Democratia, ſe invicem ita reſtringentium, ut commoda ſingularum obtineantur, evitentur autem incommoda, inde a millennio fere, neque ratum cenſetur, niſi quod & utrique placuit ſenatui & Regi. Rex ſcilicet denegare conſenſum poteſt iis, quæ in comitiis placuiſſe quidem ordinibus, ſed nocitura eſſe regno regiisque juribus animadvertit. Procerum, qui *Lords* appellantur, curia tuetur & regia & ſua jura, denegando his conſenſum, quæ a curia inferiori contra ea fabricantur. Inferior denique curia popularis cavet, ne quid populi libertati, & privilegiis adverſum irrepat, ideoque talibus & conſenſum denegat, & violatores legum publicarum accuſat, etiamſi proceres forent, vel intimi regis adminiſtri, id ſingulare in utroque ſenatu habetur, quod uti quilibet procerum ſuo nomine ſuam ſententiam dicit ex fide jurata regno adſtricta: ita quoque quili-

quilibet nobilis & civis eadem religione & pro ditionis, urbis & patriæ ſuæ & pro regni ſalute libere ſuffragatur ſine peculiari perſcripto mandato, quod antea uſitatum erat, & ſine neceſſitate exſpectandi conſenſum eorum, a quibus eſt miſſus ad comitia. Duo præcipue comitiis regni collata ſunt jura, ſcilicet leges publicas ferendi vel abrogandi pro re nata, & nova ſciſcendi onera ac tributa, quorum illæ libertati, hæc dominio populi derogare videntur, ideoque ipſius conſenſum requirunt. Includunt vero hæc duo alia plura, ita quidem ut rex conſenſu comitiorum demum omnia agere poſſit; inde & comitiorum autoritas ad omnia ea pertineat, quæ olim potuit ſenatus populusque romanus. Sic de bello & pace procul dubio, ſed ſub ſilentii fide, & ut concilio intimo, cui ejusmodi membra ſenatus utriusque inſunt, qui iſta melius tractare poſſint, quam comitiorum univerſitas ſecretiora committantur cum rege expedienda, in comitiis ſtatui videtur. Pariter fœdera, ſubſidia aliis concedenda, commercia, indigenatis, peregrinis, Judæisve concedendus, ſumma jurisdictio, ſeditioſorum, perduelliumque condemnatio, reſtitutio famæ, & natalium purgatio, jurium & privilegiorum diſcuſſio & promerita ademtio, indemnitas & venia publica, ponderum & menſurarum, ſimiliumque communium rerum conſtitutio, a comitiis pendere haud abs re dicentur. Conf. (§. 124).

Sequi in his viſum eſt præter *Schmauſii Corpus Jur. Gent. Acad. Tom. I. p. 8. & Tom. II. p. 1157. 1160. 1174. & 1193.* & autorem des geiſt. und weltlichen Staats von Großbritannien *P. I. c. 25. & 36*, *notitiam Angliæ*, ſive *the preſent ſtate of England, by* Edw. *Chamberlayne Edit. 18. 8vo. Londin. 1694.* Vnde confirmationis gratia pauca ſubjicere juvabit. *P. II. cap. 1.* hæc habentur: *England is ſuch a* MONARCHIE, *as that, by the neceſſary ſubordinate concurrence of the Lords and Commons in the making and repeating all Statutes or acts of parliament, it hath the*

main advantages of an ARISTOCRACY *and of a* DEMOCRACY, *and yet free from the disadvantages and evils of either. It is such a Monarchy, as by most admirable temperament affords very much to the industry, liberty and happiness of the subjects, and reserveth enough for the Majesty and prerogative of any King, that will own his people as subjects, not as sclaves.* Postea Cap. 2. dicitur: *The King only and the King alone, by his royal prerogative hath power, without act of parliament, to declare war, make peace, send and receive Ambassadors, make leagues and treaties with ani foreign states, give commissions for levying Men and Arms by sea and Land, or for pressing men, if need require, disposing of all magazines, ammunition, castles, fortresses, ports, Havens, ships of war, and publick mon eys. . . He may convoke, adjourn, prorogue, remove and dissolve parliaments; may to any bill passed by both houses, refuse to give his royal assent, &c.* Post multa additur: *Yet there are some things that the King of England cannot dö.* Rex Angliæ nihil injuste potest, *and the King cannot divest himself, or his successors of any part of the royal power prerogative an authority inherent and annext to the crown. . . By an oath of his coronation he hold himself bound, to protect and defend his people, to do justice, and to shew mercy, to preserve peace and quietness amongst them, to allow them their just Rights and liberties, to consent to the repealing of bad laws, and to the enacting of good laws. Especially hi cannot without the consent of both houses of parliament make new laws, and raise new taxes, there being some odium in both of them: the one seeming to diminish the subjects liberty, and the other to infringe, his property. Therefore that all occasion of disaffection towards the King might be avoided, id was wisely contrived by our ancestors, that for both these should petitions and supplications be first made by the subject.* Capite 13. de concilio regis secreto hæc leguntur: *The ordinary way of government in England was by the King and his privy Council. . . The Lords and Commons have oft times transmitted matter of high moment to the King and his privy*

rivy Council, as by long experience better able to judge of, and by secrecy and expedition better able to transact some state affairs, than all the Lords and Commons together. At present it only consult for the publik good, honour, defence, safety and benefit of the realm. Hujus concilii consilio rex convocat ad comitia, promulgat edicta & leges, examinat expeditque summa regni negotia. Legit illud rex ex prudentissimis regni proceribus & inferiori ordine, quemadmodum 34. superioris, & 11. inferioris ordinis membra ejusdem l. c. recensentur. Vt liberiora sint suffragia a postremis fit suffragandi initium, & rex ultimo concludit. *Capite* 14. de comitiis asseritur: *When the King of England is with his parliament in time of peace, he is then said to be in the Heighth of his royal dignity, as well as when he is at the head of his army in time of war. There is than scarce any thing, that the King cannot do, his power cannot be confined for causes or persons within any bounds. He can with the concurrence of his Lords and Commons abrogate old laws, make new, change right and possession of private men, raise taxes, give indemnity or pardon in general, restore condamned persons and families in blood and name, legitimate one, that is born illegitimate, bastardize one, that is born by common law legitimate, that is to say, one begotten in adultery, the husband being then within the four seas. He kan make an infant of full age, make an foreigner an english-man, can attaint a man of treason, when he is dead. In a word, a parliaments authority is most absolute, and can do all, that senatus populusque romanus could do. . .* Quæ verba licet non satis, ubique perspicua se mutuo sic limitant, ut concludendum fuerit, jus belli & pacis non minus pertinere ad comitia, quam sciscenda tributa, quorum maxima moles in bello requiritur. De fœderibus, auxiliis & subsidiis erogandis pari modo statuendum fuisse, & eadem docet ratio, & rationum curiæ offerendarum consuetudo. Sic quoque plura colligi potuissent ex §. 124. si hæc fusius enarranda & recentioris historiæ monumentis corroboranda fuissent. E quibus id non prætereundum videtur A. 1751. pla-

 cuisse,

cuiſſe, ut hæres regni in ſuam veniat tutelam & regni guberna-
cula adeat ineunte anno ætatis 18. matre antea cum addito
concilio gubernante. Sufficere enim adducta poſſunt ad tempe-
rationem regni magnæ Britanniæ ſic ſatis perſpiciendam, & ad
confirmandum id, quod de adjuncta imperio romano Germani-
co democratia (§. 131.) attulimus, confeſſione libri in Anglia
toties recuſi approbatique, de democratia in inferiori Angliæ
ſenatu obvia, ubi inferior nobilitas & cives atque oppidani (*Ci-
tizens and Burgeſſes*) occurrunt. Neque apud Romanos equi-
tes in primo ordine populi erant, ſed in medio. Vnde ubi tres
non ſunt ordines, quia removentur a primo equites erunt in
ſecundo, in quo & cives ingenui occurrunt, æque ac urbibus
& oppidis nobiles inſunt cives ut barones prope modum (*baro-
nets,*) equites geniti (Knights) & armigeri (Eſquires), qui ad
comitia mittuntur, & perſæpe ſunt poſt primum geniti filii du-
cum, Marchionum, Comitum, Vicecomitum, Baronum & equi-
tum. Soli enim primogeniti & poſſeſſores bonorum illuſtrium,
optimates cenſentur.

§. 137.

De Regno Bohemiæ. Bohemiæ Regnum olim temperatum fuit adjectis tribus
ordinibus, Procerum vel baronum liberorum, nobilium &
civitatum, quibus acceſſit quartus cleri, primus cæterorum
factus. Rex quoque adſtrictus erat legibus cardinalibus, in
cæteris locus erat comitiis, ubi & electio regum interdum
facta. Quam electionem cum ſibi ordines extra ordinem vin-
dicare vellent, & Ferdinandum II. nollent ſibi præeſſe, ſed
Fridericum, Electorem Palatinum Rheni ſibi regem eligerent,
A. 1620. prælio victi privilegiis religionis aliisque multati ſunt.
Ipſum enim jus eligendi aurea bulla ipſis tantum extinctis legi-
timis hæredibus tribuere deprehenditur, & *pace Oſnabrugenſi
Art. 4. n. 55.* Bohemia hæreditariis imperatoris provinciis ac-
cenſetur. Confirmavit tamen Ferdinandus II. placatus ipſis
Ao. 1626. antiqua privilegia bene parta, in his quoque jus
eli-

eligendi sibi regem penitus extincta sua gente, jus comitiorum sed non nisi a se convocandorum & dirigendorum, sanciendi in comitiis contributiones æquitate nitentes, suffragiorum libertatem & ordinem pristinum, eorumque collectionem ad formanda inde decreta, & quæ sunt plura circa leges & damnationem maleficorum cognita causa approbandam. Cæterum Regem Bohemiæ esse electorem imperii inter sæculares primum & archipincernam & nexu feudali eidem adstrictum, vel ex formula homagii ipsius constat. Gaudet tamen quibusdam immunitatibus & prærogativis præ cæteris Electoribus, a Friderico II. olim Premislao ob merita concessis, scilicet, ut in regno suo nulla tributi externi exactione gravaretur, nec comitiis a Cæsare indictis adesse obligetur, nisi Bambergæ, Noribergæ, Ratisbonæ aliisve locis Bohemiæ vicinis celebrentur. Sed ex Anno 1708. permissum est quod ipsi gratum fore intelligebatur, Cæsari, tanquam regi Bohemiæ, ut in Comitiis omnibus suffragio gauderet, & instar cæterorum Electorum omnium & jurium & onerum eorundem particeps esset, salvis privilegiis juribusque regni.

Quæ de Friderico II. & Premislao diximus, ea leguntur in *Dubravii Hist. Bohem. Lib. XV.* ad annum 1218. Idem imperator etiam concessit ipsis jus eligendi regem, deficientibus legitimis hæredibus regni, quod confirmavit Carolus IV. habeturque in Domini *du Mont Corpore diplomatico Tom. I. P. II. p. 246.* Posterioris verba sunt hæc: Nos itaque præfatorum Prælatorum, Ducum, principum, baronum & nobilium supplicationibus inclinati, præfatas literas approbamus, & confirmamus electionem regis Bohemiæ in casu duntaxat & eventu quibus de genealogia, progenie aut prosapia regali Bohemiæ masculus vel femella superstes nullus fuerit oriundus vel per quemcunque alium modum vacare contigerit dictum regnum. In sequentibus verbis, præter prælatos dictos mentio quoque fit *communitatis regni præfati & pertinentiarum ejusdem*, ad quam dicta

electio transfertur. Hinc in *aurea bulla capite 7.* ubi ſtatuitur de principatibus, quos vacare contigerit, tandem additur: ſalvis privilegiis juribus & conſuetudinibus regni noſtri Bohemiæ ſuper electione Regis in caſu vacationis per regnicolas, qui jus habent eligendi regem Bohemiæ facienda juxta continentiam eorundem privilegiorum & obſervatam conſuetudinem diuturnam, a divis Romanorum imperatoribus ſeu regibus obtentorum, quibus ex hujusmodi ſanctione imperiali in nullo præjudicari volumus, immo ipſa decernimus nunc & perpetuis futuris temporibus in omni ſuo tenore & forma indubiam tenere roboris firmitatem. Huc etiam pertinet jus tutelæ futuri regis gerendæ. Ferdinandi II. declaratio poſt ordinum deprecationem & homagium ſequuta legitur in *Ejusdem Corporis diplomatici Tom. V. P. II. p. 580. ſeqq.* in den Satzungen und Grundgeſetzen des Königreichs Böheim. In quibus dicitur **der geiſtliche Stand der erſte**, cujus caput eſt Primas Regni Archiepiſcopus Pragenſis; **der Herren-Stand** der andere, darin ſitzen zuerſt die Hertzoge nach ihrem Alter, dann die Fürſten, Grafen, geheimen Räthe; **der Ritterſtand** der dritte, darin iſt der Oberſte der Pragiſche Burggraf, dann der oberſte Land-Cämmerer, der oberſte Land-Richter ꝛc. **der Städte-Stand** der vierte ꝛc. Rex Matthias An. 1611. inveſtitus Regno Bohemiæ hac uſus eſt formula: Dagegen bin ich erbietig gewöhnliche Gelübde und Eid zu præſtiren, Euro Kaiſerl. Majeſtät und dem heiligen Römiſchen Reiche und ſolche Verleihung getreu, gewärtig und gehorſam zu ſeyn; Eure Kaiſerl. Majeſtät für meinen rechten Lehn-Herrn zu halten, und alles zu thun, was einen Ertz-Schencken und Churfürſten des heiligen Römiſchen Reichs von Rechts- und alter Gewohnheit wegen gebühret. De readmiſſione Bohemiæ ad paria in comitiis jura videtur *Fabri* Staats-Cantzeley *Tom. XIII.*

§. 138.

De priſtina Daniæ temperatione.

Daniæ & Norwegiæ Regnum temperatum fuit, limitatumque ſubinde magis magisque ope pactorum, quæ capitulationes vulgo dicuntur. Hujusmodi pacta cum Chriſtophoro

ro II. Waldemaro IV. Olao aliisque inita in Hiſtoria commemorantur. Comitia vero a Waldemaro II. celebrata leguntur, quæ vel ordinaria erunt & quotannis ſemel habebantur, vel extraordinaria, in quibus de maximi momenti negotiis publicis ordines regni deliberabant. Veluti de Electione & coronatione regis, de bello & pace, de legibus, & publicis tributis, de Religione, de moneta, de abuſibus abrogandis &c. Convocabantur ad comitia Danorum non nobiles tantum & clerici, ſed cives quoque & ruſtici. Nobilitate vero plus juſto ſibi arrogante, inprimis immunitatem ſibi vindicante a tributis & in alios ſæviente ac majora minante, A. 1660. in ipſis comitiis menſe Octobri, ordo Sacerdotum, & civium jugum illud excuſſit, oblata regi Friderico III. abſoluta Poteſtate, equeſtri Ordine tandem ex parte non tam libenter quam reverenter conſentiente. Ita ex eo tempore Daniæ regnum non amplius temperatum, ſed ſolutum eſt, quam diu regiæ ſtirpis proles legitima utriusque ſexus ſupererit. Lex publica, ab eodem Rege edita, & religionem Auguſtanæ confeſſionis, & ſucceſſionem, tutelam, & individuam regni integritatem, &c. ſancit.

Antiquior Regni Danici facies recenſetur ab *Huitfeldo;* recentior ab *Hojero*, *Pantoppidano* & *Holbergio* in cujus *Hiſt. regni Danici cap. III.* lex illa regia Friderici III. continetur, quæ & ſeorſum edita, proſtat. E qua hic notamus, quæ haud procul ab initio habentur, videlicet ordines regni nobiles & ignobiles, clericos & ſæculares ſua ſponte renuntiaſſe juri ſuo regem eligendi, reddidiſſe & aboleviſſe juratam ſubſcriptamque regiam conventionem, in gratiam & regis & omnis ipſius legitimæ ſobolis utriusque ſexus ſuperſtitis, abſolutum omnino imperium ipſi tradentes. Simul jurata fide profeſſi ſunt, ſe ſucceſſoresque ſuos legem regiminis a Rege promulgandam ſancte eſſe obſervaturos ſummoque opere defenſuros, ut nunquam violetur a quoquam. Succeſſio ſtabilitur linealis, ut tamen mares majo-

majores natu cæteris, & feminis ejusdem gradus ſemper præfe-rantur. Rex ineunte anno ætatis 14 exit e tutorum poteſtate. Num qua conventione jurium & privilegiorum, præter priſti-num imperii conſortium, conſervationem ordines ſtipulati ſint, una cum reſervatione priſtinorum imperii & electionis jurium extincta familia Regis Friderici III. id ſuſpicari vel ex eo licet, quod in dicta lege regia nihil habetur de imperio in aliam fa-miliam hac extincta conferendo ſeu teſtamento ſeu alio quocun-que modo, quod Epiſcopi & cives tantam oppreſſionem a no-bilitate imminentem effugere ſtuduerunt, & quod Codanoniæ, Falſtriæ, Lalæ & Moenæ ruſtici e ſtatu mancipiorum in liberta-tem denuo adſerti ſunt. Præterea quia nobilis quidam templi deſtructi lateribus ſuam domum ædificaverat, & ſacerdotem hoc reprehendentem trucidaverat, Nobilium non niſi bene me-riti vitæ ac mortis poteſtatem in ſuos retinuere, & egregii inter illos baronum comitum & ducum gradu donati ſunt & coho-neſtati, ſublata priori æqualitate dignitatis, ut ſublimiori dignita-te gaudentes regi eo eſſent addictiores. Conf. *Thuldenus ad An. 1660. Diar. Europ. Contin. IV. p. 385. ſeq.* & *Becmannus Hiſt. or-bis Terrar. P. II. c. 5. §. 6. & ult.* Certius id patet ex oblato regi abſoluto imperio ab ordine eccleſiaſt. civium & ruſticorum *in Corpore diplomatico du Mont T. VI. P. II. p. 3.* his verbis **mit unterthänigſtem Begehren, einem jeden Stand bey ſeinem ge-bührenden Privilegien zu erhalten, und deſſen mit einem ſchriftli-chen Revers die Stände zu verſichern.**

§. 139.

De Regno Galliæ & Navarræ.

Galliæ vel Franciæ & NavarræRegnum nationi germa-nicæ Francorum ſuam debet originem, indeque libertatis fuit ſtudioſum. Pipinus populi gratiam aucupaturus ſenatum vel conventum regni *ſi non primus* inſtituit, certe confirmavit *Parle-ment* dictum, ex præcipuis ordinis clerici & ſæcularis magna-tibus compoſitum. Invaluerat ordinum potentia, quam infre-git Ludovicus XI., illorum conſociationem pro bono publico ini-

initam vanis ſolvens promiſſis, abſolutamque poteſtatem ſenſim occupans. Erant ordines regni tres, Cleri, Nobilitatis ſuperioris & inferioris, atque civium ſeu populi, qui a Philippo pulchro adjectus, tertius ordo (le tiers Etat) dici conſuevit. His conſtabant comitia generalia, quibus communi trium ordinum conſenſu reges, quando opus erat eligebantur, eorumque tutores, leges condebantur, a rege præſide confirmandæ; deliberationes inſtituebantur de ſummis rebus; lites magnatum componebantur; tributa ſciſcebantur &c. Convocabantur comitia hæc a rege poſthæc inſtituta parlamento perpetuo ſubinde rarius, quando v. c. tributa extra ordinem requirebantur, ut ſenſim plane ceſſarent, abſolutaque imperandi poteſtas invaleſceret. Sub coronationem jam non niſi hæc jurato rex recipit, tutelam Eccleſiæ catholicæ, ejectionem hæreticorum, conſervationem privilegiorum Eccleſiaſticorum, & æquabilem juſtitiæ adminiſtrationem. Ludovici XV. jurijurando adjungitur conſervatio ordinum equeſtrium S. Spiritus & S. Ludovici, atque obſervatio edicti duellorum. Ne parlamenti quidem mere nunc ſæcularis, & in dirimendis cauſis privatis occupati, alia ſupereſt autoritas circa mandata regia, quam ut ſupplicare regi & exponere poſſint, ſi quid regno nociturum eſſe exiſtimant. Quando non exaudiuntur, nihil ipſis reſtat, niſi aut obſequii gloria, aut exilium. De tutela regia & rectore regni ſtatuendi quædam autoritas relicta eſt Parlamento, quando rex de his nihil decrevit.

Succenſet *Bodinus de Rep. Lib. II. cap.* 1. adeo illis, qui Francorum Monarchiam, qua nulla magis regia fingi poſſit, e triplici genere confuſam ſcripſerant, Senatui Pariſiorum Ariſtocratiam, comitiis popularem ſtatum tribuentes, ut opinionem illam non tantum abſurdam verum quoque capitalem ideo dicat, quia capitale ſit, regi ſubditos dominatu ac potentia æquare, aut imperii ſocios adjungere. Quibus & plurimis verbis ſe-

quentibus ſui ſæculi ſtatum ſpectare potius deprehenditur ſtabilitæ jam monarchiæ abſolutæ, quam antiquiorem. Revera enim leguntur ordines regni elegiſſe regem Pipinum, teſte *Fredegarii Continuatore*, his utente verbis: Pipinus electione totius Franciæ in ſedem regni cum conſecratione epiſcoporum & ſubjectione principum, ut antiquitus ordo depoſcit, ſublimatur in regno. *n. 117.* Vid. Dni *Piganid de la Force l' Etat de la France cap. 2. ſect. 10.* Simili modo electus dicitur Hugo Capetus, *Libro eodem cap. 16. ſect. 2.* Vbi poſtea notatur, Philippum pulcrum ab ordinibus Eduardo prælatum adſciviſſe in comitia & populum, ut eo lubentius onera & tributa reciperet. Auctis vero controverſiis privatis, tribunal perpetuum, vel parlamentum pariſinum, ab eodem eſt inſtitutum, ne crebrioribus opus eſſet comitiis, ubi factiones & moræ rebus gerendis multum nocere deprehendebantur. Inde Ludovicus XI. jam comitiorum pertæſus fuit, ſed ſucceſſores difficultate temporum adacti utebantur eorum ſubſidio, donec Ludovicus XIII. ab Anno 1614. ea non amplius convocaret. Eodem capite forma & modus comitia celebrandi legi poſſunt. Anno 1327 poſt Caroli pulchri mortem ordines regni rectorem regni denominabant Philippum, Ducem Valeſiæ, & poſt fata regis Ludovici Hutini fratrem defuncti Regis Philippum. Carolo VI. in dementiam prolapſo ordinum conſenſu Dux Burgundiæ regno præfuit. Oborta poſt Franciſci II. obitum controverſia de regni adminiſtratione, in comitiis & regina & rex Navarræ tutelæ regiæ & regimini præficiebantur. Vid. *ej. capitis ſect. 1.* Cognitionem de edictis regiis coævam parlamento adhuc tulit Ludovicus XI. repulſam inferendi actis edicti paſſus, qui tamen abſoluti imperii tam avidus fuit, ut pleno jure regnaſſe & autoritatem regum extra ephebos poſuiſſe dicatur (qu'il a mis la ſouverainité hors de page). Ira enim propter repulſam ſedata, appellavit ſenatores patres patriæ, gratias ipſis egit, rogavitque enixius, ut perſtarent poſthac iidem in remp. fide & animo; malle ſe regem eſſe virorum tam ſtrenuorum, quam paraſitorum, quorum adulatio exitioſa ſit populo pariter ac Regi. Franciſcus vero I. & Carolus IX.

jam jusserunt, edicta regis non in dubium vocari sed publicari. Vid. *Bodinus de rep. L. III, c. 1.* Anno igitur 1620 Ludovici XIII procancellarius senatoribus procrastinantibus edicta pecuniæ populo exitiosa actis inserere, rege præsente dixit: præpostere obluctatum esse jussis; primam aut alteram admonitionem permissam esse, si rex perstet propositi tenax, superesse cœcam obedientiam. Instituta apud Gallos esse parlamenta molliendæ non adimendæ regibus potestati - - - Vt de edictis censeant, male ab ipsis in officii necessitatem verti. Posse pro regis arbitrio adimi quæ gratis possidentur. Edictorum & de rep. cognitionem parlamentis indebitam penitus, nisi quatenus Regi placuerit - - - Pertinaci edictorum refutatione instrui perniciose populum, ut regum jussis contradici possit, ut alieno arbitrio regnent non aliter valituris ipsorum legibus, quam si senatus consulto firmentur - - - Qui contra amplius faxit, exciturum in se Regis iras, proximoque perduellioni crimine, & daturum impotentiæ specimen & pœnas luiturum. Vid. *Grammondus Hist. Gall. L. V. p. 272. seq.* Vbi in sequentibus Princeps & Præses senatus plura profert de Juribus Parlamenti vetustis & vigentibus adhuc, quorum partem antea indicavi. Sic prævaluit Regis autoritas, & Anno 1661 pars parlamenti inhærens acrius suæ potestati in exilium missa est; nostris vero superioribus annis integrum parlamentum simile sensit fatum, sero post deprecationem revocatum restitutumque. Henrico IV. Anno 1610 a sicario peremto, Parlamentum matrem relicti principis rectricem regni constituit. Cum Ludovicus XIII. reginæ vices regis reliquisset, adjuncto ipsi Senatus Collegio, parlamentum A. 1643. approbavit quidem reginæ vices, sed concilium illud abrogavit, reginæ omnem tradens administrationem. Ludovico XIV. defuncto hujus sæculi Anno 15. in Parlamento Dux Aurelianensis unanimi consensu Rector Galliæ creabatur, qui tamen & generale concilium regiminis, & sex inferiora concilia adscivit. Vid. *Piganid de la Force l. c. cap. 1-6. Sect. 1.* Habetur istud Parlamenti decretum *in cit. Corp. diplomat. T. VIII. p. 456.* unde hæc inserimus: *La Cour, toutes les chambres assemblées,*

ou etoient les Princes du Sang, & les Pairs --- a declaré & déclare Mr. le Duc d'Orleans Regent en France, pour avoir l'administration des affaires du Royaume pendant la minorité du Roi. Notandum, Ludovicum XIV. in suo Testamento de his nihil statuisse, tacita velut approbatione Juris Parlamenti; item Ducem regentem nomine Ludovici XV. confirmasse Parlamento libertatem remonstrandi Regi circa edicta promulganda & in acta redigenda, quod e rep. fore existimat, eodem anno 1715. *ibid. p. 457.*

§. 140.

De temperatione regni Hispaniæ.

Hispaniæ Regnum plura quidem complectitur diversa regna, de quibus generatim dici potest, unum ipsis præesse Regem, cujus imperium olim magis, ac nunc, circumscriptum erat. Post Ferdinandum catholicum enim Philippus II. cum successoribus, liberius castellanum imperium, magnatum spiritibus depressis, juribusque accisis, & in cæteris sensim exercuit, ita tamen ut pristini temperamenti reliquiæ supersint. Sunt enim ordines regni tres: 1) clericus, cujus caput est primas regni, Archiepiscopus Toletanus classes autem hujus ordinis sunt tres; suprema, media & infima, quarum prima continet Archiepiscopos & episcopos; media abbates, Priores & Commendatores; ultima monachos & similes. 2) Nobilis, cujus caput est Navarchus Castiliæ; classes vero sistunt Duces, Marchiones, comites, barones, equites. 3) Et ignobilis, continens cives in comitiis suffragio gaudentes. Adsunt leges & privilegia regni varia, quæ A. 1677. rex in genua procumbens, digitis libro Evangeliorum impositis, interrogabatur, num servaturum se esse juraret, respondit: utique hoc juro. In sacris tantum 8 Archiepiscopatus & 16 episcopatus conferre potest; qui regales ideo appellantur. Præterea in comitiis rex quidem præsidio gaudet, attamen munera regni præcipua conferre non debet nisi hispano, nec prætorianos milites alere nisi

asturi-

afturienfes, nec arragonenfibus & Catalaunis militum hofpitia hiberna & fimilia imponere, nec nova tributa exigere poteft. Quantum horum hodieque reftet, fatis exploratum non habeo, certe id parum fore, præter ecclefiaftica ex recentioribus bellis, conjecto. Comitia enim non leguntur convocari nifi ad homagium præftandum aliasque feftivitates. Publica vero negotia curantur in concilio regis fanctiori (confejo de Eftado). Navarræ fupereffe dicuntur propria jura & judicia cum privilegio de non appellando, quæ Arragonibus Catalaunisque funt ademta.

Regna Hifpaniæ ex initio tituli cognofcuntur, qui fic habet: *Rey de Caftilla de Leon, de Arragon, delas dos Sicilias, de Jerufalem, de Portugal, de Navarra, de Grenada, de Valentia, de Gallicia, de Mallorca, de Sevilia, Sardinia, Cordova, Corçega, Murcia, de los Algarves, de Algexira, indias orientales y occidentales*, &c. &c. Ordines regni in comitiis, quæ *cortes generales* dicuntur, appellat ipfos A. 1320. *los infantes & los Prelados, & los Ricos hombres, & los confejos, & los ordines, & la chancilleria del regno de Caftilla & de Leon & de Galizia &c.* Inter primi ordinis nobiles eminent *grandes* creati, qui jure coram Rege caput tegendi aliisque privilegiis fimilibus gaudent. Recens creati nobiles vocantur *hidalgos*, & fi feuda poffident, *cavalleros*. Vi legis publicæ ibi viget fucceffio cognatica, a Caftellana ad cæteras regni partes extenfa teftamento Philippi II. A. 1598. item individui regni fanctio. Vid. *Corp. diplom. fupplem. T. I. P. I. p. 101. feq.*

§. 141.

Hungariæ rex, ab Henrico Aucupe imperatore creatus eft, qui dux adhuc fuerat, Stephanus A. 996. Poftea imperio tributarium hoc regnum factum eft, faltem ejus feudum, & iterum hoc nexu liberatum. Magnates illius elegerunt fibi reges A. 1440. 1455. 1490. 1526. quod jure an injuria factum *De temperatione regni Hungariæ.*

 fit,

ſit, diſputatum diu armis fuit. Nunc hæreditarium illud eſſe patet, ex quo ordines Regni 1687. & 1715. ſucceſſionem marium domus Auſtriacæ, & 1723 etiam feminarum ſalvis cæteris privilegiis admiſerunt & pacti ſunt, reſervantes ſibi tantum electionem regis deficiente ſexu utroque. Ordines regni hungarici dividuntur in prælatos, Magnates, nobiles & communitatem vel cives. Prælatorum regni primas eſt Archiepiſcopus Strigonienſis, isque ſimul legatus natus Papæ; Totius regni vero Prorex eſt Palatinus regni, quem ordines eligunt ex candidatis a Rege propoſitis, cujus tanta eſt autoritas, ut coram ipſo Rex ab ordinibus conveniatur, tanquam judice ſuo, ſi exceſſiſſe videtur. Ao. 1723. a Carolo VI. nominantur Domini prælati, barones, magnates & nobiles cæterique ſtatus & ordines regni Hungariæ & partium eidem annexarum. Confirmantur ibi tertio articulo univerſorum ſtatuum & ordinum regni partiumque annexarum tam diplomatica quam alia jura, libertates & privilegia, immunitates, prærogativæ, leges & conſuetudines, in ſenſu articulorum 1. 2. & 3. Anni 1715. formulæque juramenti ibidem contentæ intelligendorum. Quia nobilitas obligatur militare pro regni defenſione, conſervatur ipſis immunitas a tributis quibusque *artic.* 6. & *artic.* 7. generalium comitiorum celebratio, quæ ſecundum articulum I. Anni 1609 ſalutare remedium eſt gravaminum, inſtituenda recipitur juxta articulum 14. Anni 1715, quovis nempe triennio, ita tamen, ne ultra bimeſtre ſpatium præter neceſſitatem extendatur. Omittimus reliqua de criminibus, judiciis, militia, indigenatu cæterisque.

Plura quisquis ſitit, reſtinguere ſuam ſitim poterit ex *articulis de ætatibus* Anni 1722 & 23, quorum ſunt 129, & *Tom. VIII. Corporis diplomatici Sect.* 2. complent paginas 24 a 51 incipiendo. Pauca tantum ad confirmationem hujus ſi inde excerpimus.

mus. *Articulo 1.* gratias agunt ordines quam maximas pro ſponte oblata ſibi confirmatione jurium ſuorum, privilegiorum & legum jam conditarum & condendarum in poſterum, & pro accepta clementer oblatione libera ſucceſſionis ſexus quoque fæminei. Quam fuſius declarant *articulo 2.*, unde ambagibus omiſſis hæc afferenda videntur: ordines regni quosvis motus internos & mala interregni ſolicite præcavere cupientes, majorum ſuorum exemplis incitati, & gratos ſe erga Cæſaream majeſtatem exhibituri, in defectu ſexus maſculini jus hæreditarium ſuccedendi in Hungariæ regnum & coronam ad eandemque pertinentes patres, regna & provincias, etiam in ſexum auguſtæ domus auſtriacæ fœmineum, primo loco a modo regnante ſacratiſſima Cæſarea & regia majeſtate, deinde in hujus defectu a divo olim *Joſepho*, his quoque deficientibus ex lumbis divi olim *Leopoldi*, imperatorum & regum Hungariæ deſcendentes, eorundemque legitimos romano - catholicos ſucceſſores utriusque ſexus Auſtriæ arctiduces, juxta ſtabilitum per Sacr. Cæſar. ac regiam regnantem majeſtatem in aliis quoque ſuis regnis & provinciis hæreditariis, in & extra Germaniam ſitis, primogenituræ ordinem, jure & ordine præmiſſo indiviſibiliter ac inſeparabiliter, una cum regno Hungariæ & partibus regnis ac provinciis eidem annexis, hæreditarie poſſidendis, regendam & gubernandam transferunt, & memoratam ſucceſſionem acceptant, taliterque eandem ſucceſſionem fœmineam, in auguſta domo auſtriaca introductam & agnitam, (extenſis ad eam nunc pro tunc articulis 2 & 3 Anni 1687 & pariter 2 & 3 Anni 1715) juxta ordinem ſupra dictum ſtabiliunt, per fœmineum ſexum ejusdem domus prævio modo declaratos hæredes & ſucceſſores utriusque ſexus archiduces Auſtriæ acceptandam, ratihabendam & una cum præmiſſis ordinum regni &c. libertatibus & prærogativis futuris ſemper temporibus obſervandam determinant, & non niſi poſt omnimodam prædicti ſexus defectum, avitam, approbatam & receptam conſuetudinem prærogativamque ſtatuum & ordinum in electione & coronatione regum locum habituram, reſervant intelligendam. „Quæ regna hic intelligantur,

tur, id declarat articulus 7, ſcilicet Regna Croatiæ, Dalmatiæ Sclavoniæque; provinciæ autem ſunt Transſylvania, Servia, Boſpia, & pars Walachiæ. Plures ex Ferdinandi Titulo noſcuntur, nempe olim Gallicia ſ. Wallachia, Lodomeria (Wladimiria), Cumania & Bulgaria, quæ Moldavia, & quondam jam fere in aliorum poteſtate ſunt æque ac Transſylvania, libero principe fiduciario & tributario Magni Sultani gaviſa. Rationes cur Transſylvania protectioni Ottomannorum ſe ſubmiſerit, habentur in manifeſto principis Mich. Apaffi I. edito 166. im Europ. Herold S. 849. *ſeq.* qui tamen A. 1688 rediit in clientelam imperatoris, tanquam Regis Hungariæ, ſucceſſionem ſuæ ſoboli ſtipulatus. Pace tandem 1699 relicta eſt Transſylvania Regi Hungariæ, & poſt filii ad Chriſtianos reverſi Apafi improlis mortem, inter provincias habetur hungaricas. Jura Hungariæ Juſſu Vladislai collegit ex decretis & articulis regni *Steph. Werbeuczius* (Verbecius) *in Jure ſeu Corpore tripertito.* Cui poſtea adjungere oportet pacta pacis Carolovicenſis, Paſſarovicenſisque cum prorogatione, privilegia recentiora articulos diætarum ſeu comitiorum hisque ſimilia diplomata. Inter quæ olim erat decretum Andreæ II. abrogatum 1687. Conf. *Matth. Belii notitia Hungariæ* novæ.

§. 142.

De regni Portugalliæ temperatione.

Luſitaniæ vel a Portu Gallitiæ dictæ Portugalliæ, & Algarbiæ regnum ab anno 1181 gaudet *legibus Lamecenſibus*, ſub primo Rege Alphonſo Henrique II. conditis. Deinde A. 1640 Hiſpanorum jugo ſe liberavit priſtinamque recuperavit faciem, electo ſibi Rege Johanne, Duce Brugantino, cujus avia armis potius quam Jure ab Hiſpanis victa dicebatur in jure ſuccedendi. Poſt diuturnum bellum 1668 pace inita a Rege Hiſpaniæ Rex Portugalliæ agnitus fuit ejus filius tum regnans Alphonſus VI. Qui cum plerisque diſplicuiſſet, eodem anno regno abdicatus & in inſulam Terceram relegatus fuit. Pariter antea remotus fuerat Sanctius II. & Philippus IV. Vnde jam liquet

liquet quanta ordinibus regni in Regem poteſtas fuerit, inde ab electione Joannis. Quam denuo electio fratris Alphonſi, videlicet Petri, confirmavit. Electis his regibus eorumque ſucceſſoribus normam regiminis eſſe præſcriptam, ut ſua cuique jura & privilegia ſalva manerent, apertum eſt ex actis, item declaratione trium ejus ordinum, Eccleſiaſtici, nobilis & popularis, Anno 1641. d. 28. Januar. edita, in *cit. Corpore diplom. Vol. VI. p. 202. ſeqq.* Qua ipſum ſolemniter ſuum acceptant regem in ſolio ipſius aviæ & patri debito, autoritate & jure Regni antiquo, Anno 1142. & ſeq. jam uſitato. Aſſerunt ordinibus Regni jus indubium ſtatuendi de ſucceſſione in Regno, & pro ſua ſententia adducunt Teſtamentum Joannis I. & decretum ordinum regni, ne ad peregrinos transferatur, quo Ferdinandi I. filia, Regis Caſtiliæ conjux, excluſa, electus ſit Joannes I. filius Petri quanquam illegitimus, &c. Ordinis ſacri primas eſt Archiepiſcopus Ulyſiponenſis; Nobilitatis ibi occurrit Marchio Ferreiræ & tertii ordinis primi nominantur Procuratores urbis Lisbonenſis. Conferri tamen meretur jusjurandum a Rege Petro ordinibus & ab his Regi præſtitum *Tom. II. Supplem. Corp. diplom. ſ. l. p. 381. ſeq.* Vnde apparet jam tum ordines promiſiſſe regi obſequium abſolutum. Excipienda tamen eſt cum ordinibus definienda tributorum novorum impoſitio & ſucceſſio in regnum defecturis hæredibus, autore *Souſa Luſitan. liberat. p. 476.*

E pace cum Hiſpania inita A. 1668. quæ habetur *Vol. VII. Corp. diplom. p. 70. ſeqq.* notamus, articulo 1. ſtatui inter Regem Hiſpaniæ & Portugalliæ pacem firmam & inviolabilem terra marique ab omnibus ſubditis colendam; & redditionem omnium fere locorum occupatorum alterutri regno debitorum, item captivorum; commercium ſecurum, auxiliumque contra piratas; reparationem promtam damnorum datorum & dandorum; remiſſionem omnis culpæ admiſſæ & amneſtiam; & præcautio-

nem ne vel directe vel indirecte contra hæc pacta veniatur impune, &c. Rex Hiſpaniæ ratihabet pacem pro ſe & hæredibus ſucceſſoribus, item pro ſubditis quibusque, ſequeſtro & conciliatore Rege Angliæ. Jurat vero Rex ſub coronationem ſuam, ſe jura & libertatem populi non violaturum, juſtitiam rite curaturum, pacemque & florem commerciorum conſervaturum. Epiſcopalium redituum partem tertiam conferre poteſt, quibus vult, confirmationem Romæ petituris. Vid. der Europäiſche Herold *p. 669. ſeqq.* Schmauſens Staat von Portugall *P. II. c. 5.* aliique.

§. 143.

De regni Poloniæ temperatione.

Poloniæ præeſt rex in comitiis electus, ſed poteſtatem ſuam tum ad leges regni, tum ad comitiorum decreta exercens. Quæ temperatio regiæ poteſtatis electis Ludovico Hungaro & Vladislao Jagellone adolevit, conſummata ſenſim poſthac, ut jam reges potiora imperii jura non niſi ordinum conſenſu exerceant. Ordines duo ſunt, ſenatorius, & equeſtris, vel ſi hoc mavis ſuperior & inferior, cui cives jure comitiorum gaudentes annectuntur. Jura, quæ Rex ſolus exercet, verſantur potiſſimum circa conferendas dignitates & bona regia. Dignitates vel ſacræ ſunt, ut Archiepiſcoporum, epiſcoporum eorumque coadjutorum ſubſtitutorum, & 12. abbatum, vel ſæculares eæque ſeu togatæ ſeu militares, uti ſenatorum, nobilitatis, indigenatus. Bona regia ſunt *capitaneatus* ſeu Comitatus, vel Præfecturæ prætoriæ in arcibus, oppidis, vicis ſine jurisdictione, *tenutæ* ſeu præfecturæ, & *advocatiæ*, villas, vicos, molas, popinas et ſcultetorum agros exemtos continentes. Præterea regis eſt præcipua reip. cura; convocatio ordinum ad comitia ordinaria quovis biennio, & extraordinaria; deliberandorum, cum Senatoribus conſtitutorum, communicatio in ipſa convocatione, eorumque uberior coram congregatis ordinibus explanatio & commendatio; legum confirmatio, promulga-

mulgatio & cuſtodia; privilegiorum veterum confirmatio & novorum largitio legibus limitata; judiciorum comitialium & relationum præſidium, cæterorum autoritas a Rege; jus recipiendi ignobiles in regium patrocinium adverſus magiſtratus inferiores; jus nobilitatem aliosque aulæ titulos conferendi ſine indigenatu, præſertim exteris; jus extra comitia conſilio ſenatorum regem comitantium miniſtrorumque ſtatuendi de negotiis reip. quorum rationem in comitiis reddant, jus legatos mittendi in negotiis minoris momenti, & miſſos ad Regem audiendi; imperium in bello ſupremum; vocatio nobilitatis ad arma; jus reſtrictum proficiſcendi extra regnum; jus inſtituendi academias; jus penſiones bene meritis aſſignandi ex dictis bonis regiis pinguioribus &c. Senatores Regni vel prælati ſunt, ſeu Epiſcopi vel barones h. e. vel ſacri vel ſæculares. Illorum caput eſt Archiepiſcopus Greſnenſis, idemque Primas regni; horum olim Palatinus Cracovienſis, & poſt illius perduellionem Caſtellanus Cracovienſis. Referuntur ad hunc ordinem cum Palatini, tum Caſtellani, & miniſteriis aulæ gravioribus præfecti 15.

Jura ſummi imperii in quorum communionem ordines Regni in comitiis veniunt, & quæ Rex non niſi ordinum conſenſu exercet, hæc habentur. Ex ſententia ordinum unanimi fere Rex bellum indicit, propulſatque, militem ſcribit, fœdera ſancit, pacem componit, legatos in rebus gravioris momenti ad exteros mittit, tributa & vectigalia imperat, rem monetalem ordinat, leges fert abrogatque, judicia inſtituit, ac ex religionis diverſitate controverſias dirimit, indigenas creat, &c. Peculiaris eſt Poloniæ in pactis cum rege conventis clauſula commiſſoria, de qua dictum ad §. 129.; prorogatio eorundem comitiorum & continuatio alio tempore, ſive jam definito, ſive Regis arbitratu definiendo; & ſub Joanne Caſimiro tentata

poteſtas unius tantum nuntii terreſtris ſiſtendi conſiliorum progreſſum, immo quando ab interceſſione vel privatæ cauſæ ergo non recedit, abrumpendi comitia, ut plane irrita ſint. Quæ audacia tum diris devota, impunis tamen manſit, & toties iterata in conſuetudinem abiit. Idem fit, ſi litibus ex lite motis tempus comitiis deſtinatum fruſtra abſumtum eſt, ut nihil conſtitui potuerit.

De his pluribusque aliis ad ambitum & reſtrictionem jurium regiorum & ordinum etiam in interregno pertinentibus ſolide exponit illuſtris Syndicus Gedanenſis *Gottfrid. Lengnichius* in *Juris publ. Regni Poloni T. I. & II.* præſertim *Lib. II. cap. 3. 11. & 12.* nec non *Libro III. & IV.* Cujus induſtriam ut in aliis regnis imitarentur rerum patrii ſui regni, vel patriæ reip. æque conſulti, vehementer eſſet optandum commendandumque. Cæterum difficultas latinis verbis reddendi quæ uſus hodiernus alia habet, ac olim romanus habebat, etiam hic apparet, uti in multis aliis, ita quoque in palatinis, capitaneis, tenutariis &c. Palatinus enim polonis eſt *Woiewoda*, hoc eſt belli Dux, ſed non quilibet, verum nobilium ſui palatinatus (*Woiewodztwo*) dicti, & ſimul regni Senator non vero hæreditarius. Qui ideo non confundendus eſt cum Palatino Regni Hungariæ, qui ibi eſt ſecundus a rege & interrex, uti primas Regni in Polonia. Capitaneus Polonis *Staroſta* nomen habet a *Stary*, quod eſt ſenex & vetus, verbotenus ergo ſeniorem judicio caſtri (arcis) præfectum notat, hinc Germanorum titulo a ſenectute cana derivatum *Grau* vel Graf reſpondet. Quare quia comites imperatorum ſimul judices fuere, capitanei hi etiam comites appellari, & *Staroſtwa* etiam comitatus dici amant. Advocatia, aut ſculteria polonis woytoſtwo, prætura reddi ſolet a prætore ruſtico, (*Woyt*) qui ſcultetus (Schuldheiß) audit, tanquam primo in hoc bonorum ordine. Si ad omnia proferendum eſſet nomen, *prædia eximia* ſeu libera kleine Freygüter dici poſſent, qualia & urbana dantur & ruſtica. Regia vero ideo dici merentur, quia ejusmodi immunitas, qualis his prædiis tributa eſt, ab oneribus vulgatiſſimis,

mis, a rege, ſaltem rectore civitatis, impetrata eſt, nec niſi paucis datur.

§. 144.

Vnum, quod præcedentibus addere viſum eſt, Regnum Sueciæ Gothorum & Vandalorum electione regum Audum claruit, & reges amovit ſaluti publicæ infeſtos. Ao. 1394 prodierunt leges ſacratæ, quibus cavebatur inter alia, ne munera publica ſenatorum, ſatraparum &c. niſi indigenis conferrentur, ne tributa imponerentur & adminiſtratio ſummi imperii peragereretur, ſine conſenſu Senatorum populique. Propter merita Guſtavi circa regnum & religionem A. 1544. ſucceſſio ipſius ſoboli promiſſa eſt, donec ſuperfutura ſit, ut non niſi ea deficiente novus rex ſit eligendus; procul dubio ſub conditione, ſi veſtigiis regis inſiſteret. Hinc cum Ericus mente caperetur, captivo illius fratri Joanni regnum obtulere. Qui cum in gratiam uxoris, poloniæ regis filiæ Sigismundum filium pontificia religione imbui pateretur, isque promiſſis non ſtaret de religione evangelica illibate conſervanda, abdicatus eſt ſuffectusque ipſi Carolus A. 1607. promiſſa & ipſi ſobolis maſculæ ſucceſſione. Quæ promiſſio A. 1627. ob defectum ſobolis virilis in filiam ipſius unicam Chriſtinam, fuit translata. Ordines interea manebant ſummi imperii ejusque exercitii participes, adjunctis regi 44 Senatoribus Regni, ſine quorum conſenſu graviora imperii negotia, inprimis pacis, belli, tributorum & vectigalium decerni perficique non poterant. Reſervata tamen Regi erat conſtitutio ſenatorum Regni & Magiſtratuum, ſalvis ordinum juribus denominandi eos, unde eligeretur ſucceſſor, ſtapulæ, monetæ, molarum regiarum, fiſci rata in mulctis & caducis, fabricatio armorum & exportatio, mineralium perceptio. Tandem meritis propriis & paternis ob factiones procerum ſenatorumque A. 1682. in comitiis tradita

De Temperatione Regni Sueciæ.

dita est Regi liberior laudabilis imperii & soluta potestas, ut suo arbitrio imperaret, quem bene regnaturum & salutem publicam pro suprema lege habiturum esse cognoverant. Quam fiduciam conservare successorum admodum interfuisset.

Carolo XII. anno 1718. in obsidione urbis norwegicæ extincto, relicta soror Ulrica Eleonora paterno quidem testamento debebat succedere; enim vero dicebatur a Carolo XII. suasu Gorzii destinatus esse successioni filius sororis natu majoris defunctæ, nectebanturque aliæ difficultates. Quas remotura Ulrica, non ignara, quantum regno nocuisset absoluta regis potestas, & quantum populus ejus esset pertæsus, sponte sua fertur ordinibus in comitia convocatis promisisse tanti juris renuntiationem, & privilegiorum pristinorum restitutionem. Quam ordines ambabus gratissime amplexi petebant, ut in illius confirmatione publica Regina se electam vocaret reginam, quo in posterum Reges ab ordinibus eligerentur. Simul ordines tam tristia fata experti absolutum imperium penitus abrogarunt, statueruntque pacto, ut is esset exsors throni regii & regni hostis, quisquis sibi clam aut palam dominatum esset arrogaturus. Neque minus & ipsi jurarunt, se nullo modo per se aliosve consilio aut ope dominatum esse restituturos adjuturosve, sed potius summa vitæ viriumque ope & contentione impedituros, & extemplo indicaturos, si perniciosa ejusmodi consilia a quoquam agitari senserint. Annuenti his Reginæ summa promissa est fides & obedientia in cunctis, his ordinum juribus & saluti regni non contrariis, modo Regina religionem, jura & privilegia tueretur. Inde & regina abjurato potentatu se saluti Regni operam esse daturam juravit; & ordines ipsi homagio suo pariter atque Fridericus reginæ maritus, uti Generalissimus, summam fidem & operam dicto modo jurarunt.

Deinde

Deinde edita regiminis forma Ulricæ Eleonoræ Reginæ ſic orditur: Poſtquam Dei gratia & ultronea ordinum regni conſenſione electa declarata & accepta ſum regina Sueciæ &c. neque regiam poteſtatem ad alia porrigi volo, quam ad regni ſubditorumque ſecuritatem & ſalutem, nihil magis optavi, quam ut ordo concordia & vires regni conſtanter conſerventur nec ullo modo diſjungerentur, ſed in eo ſtatu ſemper perſeverarent, quo ſuæ ſaluti & defenſioni ſufficerent, clementer conceſſi, ut ordines regni eam inirent regiminis formam, præſentique patriæ faciei & tempori accommodarent, quæ perpetua eſſe obſervarique ſemper poſſet, quam & me ratihabituram, confirmaturam & ſequuturam eſſe promiſi ſancteque recepi. Quare hanc unanimi conſenſu initam formam ut legem perpetuam omnino & per omnia approbo & confirmo, uti verbotenus hic perſcripta affertur. Nos ſubſcripti regni Sueciæ ſenatores & ordines, Comites, barones, epiſcopi, equites, nobiles, clerus, præfecti militiæ, cives & (ruſtici) communes, hic congregati, pro nobis noſtrisque omnibus, notum facimus, quod ſummi numinis beneficio inter tot regni calamitates & pericula hoc nobis ſolatium conceſſum fuerit, ut ultronea propenſione, & unanimi omnium conſenſu vacans ſolium ornari potuerit clementiſſima regina Ulrica Eleonora &c.

Tum Articulo 1. recipitur religio evangelica, uti illa A. 1686. ordinatione eccleſiaſtica continetur.

2) Regiæ Majeſtati legum juris & veritatis cuſtodia reſervatur, & injuriæ, iniquitatisque prohibitio amolitioque; irrogatio ſuppliciorum & bonorum confiſcatio aut ereptio, ſed non niſi legitime convictorum damnatorumque; defenſio protectio & vindicatio omnium recte ſe gerentium, ſceleratorum vero cohibitio, territio & punitio; veritatis exploratio; con-

conceſſio ulterioris paludum & terrarum incultarum culturæ, & moratoriorum; interpretatio legum priſtinarum genuina, & novarum latio prævio Senatorum conſenſu; reſtitutio natalium & honoris promeriti; reviſio & medela gravaminum oblatorum erga ſententias magiſtratuum ſuperiorum, ut juſtitia ubique vigeat, nusquam vis & injuria prævaleat.

3) Succeſſio ſobolis regiæ 21 annos natæ antequam regnare occipiat, aſſumitur ex decreto comitiorum 1650. qua deſutura ordines placiturum regiæ majeſtati ſucceſſorem conſtituent, ejusque regiæ educationi in religione lutherana puriori idoneos præficient et ad rationes vocabunt Educatores.

4) Legum novarum latio, et veterum mutatio vel abrogatio ſine conſenſu ordinum fieri nequit; ſi quid inter comitia cum Senatoribus ordinandum, id in proximis comitiis ordinum judicio ſubmittendum

5) Si qua belli neceſſitas oriatur, ſine ordinum conſenſu auxilia, tributa, commeatus, vectigalia, aliaque onera imperari, nec diutius poſſunt, quam ordines pacem conſtantem omni opum vi promoturi id conſultum ducunt.

6) Quemquam bello aggredi nefas, niſi ex ordinum decreto; ſed aggreſſorem hoſtem illico vi repellere, conſultis ſenatoribus tantum licet.

7) Pariter fœderum, induciarum, & pacis conditionum ſine mora in eundarum momenta cum Senatus regni conſilio expenduntur & pro ſalute regni quam optime fieri poteſt adhibentur, ut in comitiis proximis ad ordines referantur.

8) Omnia regia jura, legibus perſcripta, ab ordinibus ſalva ſint & illæſa.

9) Monetæ aureæ & argenteæ valor genuinus conſenſu ordinum decernendus, nec ſine illo mutandus.

10) Reges ſine ordinum conſenſu regno ne excedant.

11) Regi

11) Regi propter amplitudinem curæ reip. opus eſt conſiliariis præfectisque.

12) Horum præcipui ſunt Senatores regni, ſeligendi ex nominatis ab ordinibus dignis Suecis, pro quovis loco vacante tribus. Senatores regni pro tempore ſtatuuntur 24. quibus non niſi duo proximi conſanguinei vel affines intereſſe poſſunt.

13) Regis eſt imperare ad leges ſecundum non adverſus ſenatorum conſilium.

14) Senatorum eſt, ut eadem fide & regi & regno conſulant quam optime valent, regem & inconſulti jurium & ſalutis regni commonefaciant, nec ipſius majeſtati, nec juribus ordinum Regni detrahant, & hos quoque fidei & obſequii admoneant, ubi opus eſt, omni ſepoſito affectu; tacenda ſilentio premant, & ſecundum receſſum regni 1602. formatum ex officii lege conſulant non imperent; inprimis excubent & impediant, ne qua potentatui obtrudendo conſilia in ordinum ipſiusque ſalutis publicæ fraudem exoriantur, quorum autoribus vitæ honoris & bonorum jactura certo ſit irroganda; denique conſiliorum ſuorum rationes in comitiis reddant, neque tamen ipſis imputetur infelix eorum exitus, aliorum culpæ non ſuæ tribuendus.

15) Nemo ſenatorum præſentium a conſiliis magni momenti publicis abſit; ſi plures haberi nequeant, ſaltem decem confluant, ne publica negotia turpiter differenda ſint aut negligenda, ſed potius mature & tempeſtive curentur. Paribus ſuffragiis, ea pars vincit, cui rex accedit; vincit & illa, quæ duobus tantum ſuffragiis ſuperatur, ſi ejus ſententia tutior meliorque regiæ majeſtati videtur. Alias major ſuffragiorum numerus prævalet, ut tamen Senatores in comitiis rationes reddere oporteat, ſi perniciosa conſuluerint.

16) Rege vel abſente, vel ita ægrotante, ne intereſſe conſiliis poſſit, in rebus moram non patientibus interim ſenatores majori ſuffragiorum numero ſtatuent, quid ſit agendum, vel ſi paria ſint ſuffragia, ſenior ſenatorum decidet: mortuo vero rege improle, Senatus interim regno præeſt, dum ordines regni illico congregentur, quibus de Electione regis ſtatuere licet.

17) Diligentioris melioriſque publicorum negotiorum expeditionis cauſa collegia habentur varia ſuperiora, quibus nonnulli præſunt ſenatores, ea dirigentes, monentes & ad reddendas rationes vocantes, ut ad regem ſua & illorum geſta referre poſſint.

18) In quovis ſummo tribunali (Hofgericht) unus præſidet Senator, eruditione & experientia par rebus diſceptandis definiendiſque, gaudens propræſide & aſſeſſoribus uſitatis. Horum tribunalium eſt adminiſtratio juſtitiæ ſecundum veram legum Suecicarum mentem, ut & regi & ſenatoribus & quando opus in comitiis rationes reddere obligentur; atque attentio ad judicia inferiora ſolicita, ne & illa ſecus agant, neque exſecutiones vel retardentur vel mutentur ullius culpa vel dolo. Contra leges agentes judices non tantum ad damnum reparandum, ſed & pro re nata ad infamiam, mulctam, confiſcationem bonorum, & ſupplicium damnantur. Graviter tamen puniendi ſunt judicum & exſecutorum calumniatores, & quotquot eorum criminationes evincere nequeunt. Neque regiis fiſcalibus quidquam liceat in innocentes.

19) Senatus bellici partes in copiis terreſtribus, armis, tormentis, apparatu rerum cœterarum, quas illorum uſus requirit, munimentorum & propugnaculorum firmitate & præſidiis rite curandis præſcribuntur.

20) Copiæ militares terreſtres æque ac marinæ non regi

regi tantum vel reginæ, ſed ſimul ordinibus ſacramento ſe obſtringunt ſecundum formulam præſcriptam, a quibus & earum expeditio & ſtipendium præſtatur.

21) Chiliarchis cæterisque militum præfectis non licet ſine venia regis in ſenatu data ad expeditionem copias convocare niſi quis hoſtis regnum ex improviſo adoriatur, quod regi quantocyus nuntiandum; cæteroquin temeritatis aut pravitatis pœna graviſſima luetur.

22) Senatus claſſiarius (Admiralitæt) præſide gaudens præter Senatorem regni ſummo claſſium præfecto cum cæteris prætoribus navalibus, & naves omnes bellicas earumque ſtructuram, nautas, & claſſes, claſſiarios, inſtructionesque rebus quibusque neceſſariis rite curat ſecundum inſtitutionem A. 1692. factam, equorum ſenatorum numero ſaltem unus militiæ & rei navalis peritus regiæ majeſtati præſto eſt.

23) Senatus codicillorum regni (Reichs-Canzeley) præſide gaudet eximio ſenatore cum tribus aliis regni ſenatoribus adjunctis, Cancellario regio & tribus Secretariis, omnesque leges, ſtatuta & receſſus regni totius, acta comitiorum, fœdera, tractatus cum hoſte, legationum inſtructiones nec non privilegia informat & expedit, pariter ac mandata (Volmachten) literas publicas, & ſenatorum cum rege deliberatorum protocolla. Neque minus rei curſoriæ cum ſummo ejus magiſtro proſpicit, unique a ſecretis tantum res externas, alteri res bellicas, tertio cæteras accurrate & ſine cunctatione expediendas committit.

24) Vt liberi ſolide erudiantur & ſcholæ leges emendabuntur, & ſubſidia & præmia augebuntur. Prout 4 nobiles cæteris in ſtudiis provectiores, & peregrinatione habiliores, tabularum publicarum percontatores penſione annua gaudebunt,

bunt, ut ex tabulis antiquis & recentioribus discant & colligant, quæ futuris consultationibus deductionibusque inservire possint, & legationibus muneribusque aliis se dignos reddant.

25) Aerario publico (im Cammer-Collegio und Staats-Contoir) præsidet senator, cum alio ex senatoribus regni adjuncto, cæterisque consiliariis (Cammer-Rähte). Huic tribunali subsunt ac rationes reddunt, quotquot reditibus regiis & regni seu recipiendis seu erogandis præficiuntur, ne regalia fisci pereant, vel minuantur, vel male erogentur, sed augeantur potius emendata œconomia rurali &c. Pertinent ad illud quoque vectigalia marina, majora & minora, cum accisis vulgo dictis, secundum regni decreta, ut tamen Regiæ majestati instituto Caroli XI. certa pecuniæ summa relinquatur pro regio arbitratu adhibenda.

26) Tribunali montano (Berg-Raht) præest senator regni cum duobus consiliariis redituum metallicorum, & 4. assessoribus; quorum est cura metalli mineraliumque fodinarum indagandarum, conservandarum & in ampliores usus convertendarum, & judicium supremum rerum huc pertinentium.

27) Commerciorum tribunali itidem præest regni senator, cum duobus consiliariis commerciorum & 4 assessoribus, duobusque mercatorum delegatis (Commissarien), cui cura florentis augendique commercii, opificiorum, fabricarum rerumque cæterarum eodem facientium incumbit.

28) Rationariorum regni examini causisque (die Cammer-Revision) itidem præest Senator regni cum assessoribus suis, & fisci regii collegio, operam dans, ut libri rationum publici diligenter, & qua fieri potest brevitate, instruantur exhibeanturque quotannis examinandi; ut defectibus aberrationibus medela promte adhiberi possit. Huic collegio 4 adjunguntur Auscultantes, scrutinio & peritia harum rerum sibi gradum ad hono-

honores editis peritiæ diligentiæque ſpeciminibus luculentis munituri.

29) Eſt & ſummus Marſchallus ſeu aulæ Præfectus, regni ſenator, qui regiæ aulæ, arci, menſæ, aulicis & ſtabulo regis præeſt.

30) Supremus itidem Gubernator Holmienſis, qui & ædibus regiis in metropoli, & univerſæ civitati, ut caput præeſt, in regimine, re ædili, commerciis, privilegiis, exercitio armorum, & exſecutione quavis.

31) Horum Senatuum eſt, ſibi invicem ſubvenire & opitulari, ubicunque unus indiget altero in regis & regni commoda & in commitiis acta præcipua commemorare. Præſides dum in regis & regni negotiis ſuisve abſunt, nil præcipere valent, ſed ipſorum partibus tum fungitur ſecundus ab illo (der älteſte Beyſitzer); quod & mortuo præſide obtinet.

32) Præfecturæ regni conſtituuntur 24, quorum inſtructiones.

33) Temperationi præſenti conformes edentur, ac interim generalia officia injunguntur earum præfectis (den Landes-Hauptleuten).

34) Potioribus aulæ miniſteriis quinam præficiendi ſunt, ſenatorum quidem conſilia requiruntur, qui perſonarum maxime ſunt periti, quæ videntur illis adhiberi poſſe; libera tamen electio regiæ eſt majeſtati relicta, modo eligatur idoneus in regno Sueciæ natus. Superiores copiarum præfecti eligentur uti 1716 menſe Septembri a rege defuncto eſt injunctum. Inferiorum electio manet apud eos, quorum fuit anno 1680. In conferendis muneribus quibuscunque non attendentur natales, ſed peritia experientia & virtus. Epiſcoporum cæterorumque ſacerdotum electio peragetur ſecundum ordinationem

ecclesiasticam A. 1686. editam, ut jura patronatus salva maneant iis, quorum fuerunt.

35) Comites, barones & nobiles non creabuntur nisi pauci iisque de patria insigniter meriti, uti rogarunt ordines A. 1660.

36) Tertio quoque anno ordines ad comitia sunt convocandi, nisi salus regni intermedia flagitet. In his exponenda sunt, quæ a proximis comitiis in regno gesta sunt, quæ sit patriæ & rerum publicarum facies, quæ fuerint potiora senatorum de rep. consilia, & cum rege decreta? Quæ postulet futura salus providenda & ordinum consensu concludenda? Rege vel absente, vel ægro aut mortuo a senatoribus cunctis reliqui ordines convocantur. Extincta autem regia progenie mascula confluunt ordines sine convocatione ulla tricesimo a morte regis die ad electionem novi regis, a nemine impune impediendam. Mortem vero hujusmodi Archiepiscopus Upsaliensis & præconsul Stokholmiensis quaquaversum in regno sine mora nuntiare obligatur.

37) Nobilitas in singulis comitiis sibi eliget Marschallium, & oratores omnium ordinum ordini rustico Secretarium eligent idoneum.

38) Nobilium Esthoniæ Livoniæque privilegia regia Majestas confirmabit, & ut salva maneant curabit.

39) Neque minus confirmabit Teutonicarum provinciarum privilegia, quæ recuperari poterunt.

40) Pariter & civitatum suecicarum privilegia bene parta, & jura statutaria temporum rerumque præsenti indoli conformanda confirmabuntur, ut tamen rationes administrationis suæ debito loco reddant.

Cum A. 1743. Adolphus Fridericus, ab Episcopatu Lubecensi declararetur a Regni ordinibus Regis successor, iis dem

dem legibus se esse obtemperaturum recepit, idque 1751. adiens regni gubernacula, cum conjuge jurata fide repetiit. Eisdem legibus regia potestas transibit ad ipsius legitimos hæredes, 21. annis completis. Comitia vero aguntur Stockholmiæ in 4. diversis conclavibus palatii comitialis, & durare fere per annum consueverunt. Conf. die Versicherungs-Acte *Regis Adolphi Friderici.*

Non fore plerisque politicis ingratum existimavi, si hanc recentiorem regni Suetici temperationem plenius attamen in compendio exhiberem, ob rerum multarum in temperatione attendendarum distinctiorem, quam continet, explanationem. Quæ reperitur in *vita & gestis Friderici Regis Sueciæ p. 493-537.* Confirmat hæc omnia, quæ Reginæ instinctu A. 1720. in Comitiis, ad quæ etiam belli duces aliique præfecti admissi fuere, sequuta est, electio Regis Friderici sub conditionibus sponte seu oblatis seu acceptis. Transit nempe Rex ad religionem Lutheranam; nec quenquam ministeriis Suecicis adhibebit, nisi Lutheranæ religioni addictum; nec alii religioni cœtum permittet, nisi exterorum regum legatis. Masculis ejus hæredibus æque ac fœmineis non dabitur nisi certa pecuniæ summa. Rex normam regiminis sancte observabit, nec magni negotii momenta, nisi in comitiis & collegiis, quorum curæ illa demandata sunt, pertractabit. Præfectos militiæ solus constituit usque ad chiliarcham, hunc vero superioresque cæteros cum senatu. Nemo munere suo abdicabitur nisi prævio legitimo processu. Germanicas provincias rex dum vivit nemini cedet nisi suismet liberis. Successionem rex non desiderabit nisi pro regina ejusque legitima sobole, electione postea ordinibus reservata. Si quis contra hanc conventionem quidquam in medium afferret, eum instar proditoris esse puniendum. Quæ fusius narrantur in *excitata regis vita a. p. 584-592.* Notandum est, omissam esse legem commissoriam, quam obtulisse rex fertur *l. c. p. 589.* Se adeo abhorrere a dominatu, ut vellet subditos ab obsequio solutos, simulac illum unquam affectaret. Sufficere putarunt jusjurandum

dum potentatui plane contrarium, quod rex præſtitit coram ordinibus *p. 600. l. c.* & pœnam regum conſultorum adjutorumque antea ſtatutam. Triſte executionis hujusmodi suppliciorum exemplum ſuppeditavit annus præterlapſus, forte ideo rigoroſe ad leges conformatum, ut alii eo magis a ſimilibus auſis abſterrerentur. Alioqui vicina nec præter rem a rigore legum recedens Ruſſia, pluribus tamen contra regiminis formam auſis, Siberiam tamen mitiori pœnarum genere maluit pœnæ loco eſſe, quam ipſummet ſupplicium. Quod haud abs re convenientius judicat & incertæ rerum humanarum ſorti, & colendæ ſubinde per exules terræ vitæque incultæ. Neque Sueciæ deſunt loca, ubi exilium in religionis chriſtianæ & politiæ culturam adhiberi poſſet, rebus rite in hunc finem inſtitutis.

§. 145.

Hypomnemata quædam.

Privatæ induſtriæ relinquo his adjicienda regna, indicum magni Mogoris, Perſicum, Corſicum, Sardinicum, Siculum, Pruſſicum, & quæ præter hæc placuerint ex antiquis vel hodiernis principatibus. Autumavi, in adductis, tanquam totidem ſpeculis rationes varias temperandi monarchiam ſat clare conſpici poſſe, ut adducendis, principatibus, ducatibus, &c. &c. ſuperſedere potuerim, de quibus non deſunt conſulendi. Niſi enim totus fallor, multa ex illis elucent facilique negotio deduci poſſunt, quæ pauciſſimis obiter tantum indicabo, ut in ſyſtemate, ſumma rerum capita perſequente, fieri par eſt. Longus enim temperationis uſus in imperio romano germanico docuit, quænam brevius minorique ſumtu abſolvi poſſint, ac in plerisque aliis fieri conſuevit. Facta ipſa comprobant veras rationes, monarchiam abſolutam opportune commutandi in temperatam, modumque id efficiendi convenientiſſimum publicæ ſaluti. Oſtendunt vero etiam, quæ cauſæ temperamentum evertere ſoleant, ut propter arrogantiam ordinis unius, nobilitatis v. c. reliqui ordines malint uni ſoluto regi ſubeſſe

esse quam tot aliorum injuriis exponi. Ostendunt, quam subtilibus artibus absolutum imperium sensim suffici possit in locum temperati, hujus juribus tacite abrogatis, & quod illius abusus januam aperiat anhelandi libertatem dataque opportunitate illud vicissim abolendi, & in ordinem moderatum redigendi. Ostendunt, quanta opus sit cura & cautione, ne temperatio ipsa degeneret. Quam ardua inde patescunt problemata politica conservandi feliciter ac firmandi mutandique sapienter regni una cum analysi usu jam comprobata? Quid non prævideri & prædici inde de futuris potest? Sed manum de tabula! Sapienti sat.

SECTIONIS I.

CAPUT III.

DE

Republica temperata.

§. 146.

In rep. temperata limitatur quædam polycratia.

V*ti in omni republica vulgo dicta imperium non est penes unum sed penes plures: ita in Rep. temperata imperium plurium limitatur admixta alia civitatis forma.* Etenim resp. in genere quidem omnem notat ordinem formamque civitatis (§. 235. *seq. P. I. Polit.*): vulgo autem Monarchiæ opponitur tamquam πολυκρατία (§. 71.). Quia temperata resp. infert limitationem formæ ipsius per aliam heterogeneam (§. 3.), & ubi respp. simplices specie diversæ consociantur, ibi mixta est resp. (§. 310. *P. I. Polit.*): dispalescit, temperatam remp. plurium imperium limitare admixta alia simplici civitatis forma.

Strictiori & vulgatiori sensu respp. audiunt, quibus plures conjunctim præsunt, ut popularis & paucorum. *Aristot. L. IV. Polit.*

Polit. c. 3. Nempe ubi plures imperant ſive ſummæ rerum præſunt, ibi vel penes omnes eſt ſummum imperium vel penes paucos. Prior eſt democratia; poſterior Oligarchia, latius dicta, prout Ariſtocratiam comprehendit. Hinc in republ. temperata ſemper quædam prævalet imperantium multitudo, non vero rex aut alius monarcha. Ita *Stagirita* præter Monarchiam, Ariſtocratiam, oligarchiam & democratiam affert eam, quæ communi omnium nomine vocatur resp. ubi inquit non tantum ob divitias (πλουτινδην), ſed & ob virtutes præſtantiſſimas (ἀριστινδην) eliguntur imperantes. Quam remp. naturam optimatis ſapere ob curam virtutis publicam ſtatuit. Vbi ergo resp. reſpicit & ad divitias, & ad virtutem, & ad populum, ut apud Carthaginienſes, ea naturam optimarum induit (ἀριστοκρατικη ἐστι), & ubi ad duo ſolum, ut lacedæmoniorum, ad virtutem & ad populum, ibi miſtura eſt democratiæ & virtutis (ariſtocratiæ). Quas poſt Ariſtocratiam ſimplices duas ejus mixtas ſpecies vocat. *L. IV. Polit. cap. 7.* Hinc remp. hanc *cap. 8. ibid.* dicit miſturam paucorum gubernationis & popularis (μιξιν ὀλιγαρχιας και δημοκρατιας).

§. 147.

Quid in rep. temperata prævaleat?

In republica temperata non prævalet imperium unius, ſed plurium ſemper. Si enim prævalet imperium unius, regnum erit temperatum (§. 75.). Sed reſpublica temperata differt a regno temperato neque eſt regnum temperatum (§. 146.). Si igitur in regno temperato primaria forma eſt regia (§. 75.): in republica temperata ſemper primaria forma non erit regia, ſed polycratica, cujus imperium ſummum ſit penes plures. Non præpollet igitur in democratia temperata imperium unius, ſed plurium ſemper, aut optimatum ſcilicet, aut populare (§. 45.).

Si exiſtimas æquipollere potius in republica mixta debere formas in ipſa conſociatas, ut ipſo æquilibrio eo ſint firmiores ſtabilioresque: confundis mixtionem phyſicam & moralem. In phyſica mixtione ſi ſola quantitas attenditur, poſſunt æqualia invi-

invicem misceri, ut æqualis mensura aquæ & vini, item pollinis nitrosi, sulphurei & carbonum. Et tamen an præstet æqualitas miscibilium eorundem inæqualitati, res est indaginis altioris, huc non pertinentis. In politicis autem æqualitatem, quæ in eodem jure imperii æqualem inferret potestatem, locum habere non posse, constat ex (§. 44.). Aequilibrium, quo opus est, ne una forma aliam suo jure privet, aliis obtineri potest modis, nec indiget æqualitate jurium summi imperii eorundem in formis sese invicem temperantibus, quemadmodum luculenter perspici potest ex iis, quæ de temperatione Monarchiæ capite præcedenti sunt dilucidata, & facile luculentius doceri potest.

§. 148.

Si quæque forma reip. temperatæ contenta est summis juribus sibi ex pacto debitis, nec patitur illa ab alia admixta forma usurpari, diminui sibique sensim eripi; salva erit nec degenerabit resp. mixta. In mixta enim rep. summum imperium certa lege debet esse divisum inter formas simplices, e quibus coaluit (§. 311. *P. I. Polit.*). Quarum jura licet a se invicem non dependeant; eorum tamen exercitium pacto ad consensum in salutem publicam ita est redactum, ut partim legibus humanis, partim consensu alterius formæ sit limitatum (§. 311. *ibid.*). Prout igitur pacta sapienter inita sunt servanda (§. 789. *P. III. Jur. nat.*), & dum servantur salva manent: ita & temperatio reipublicæ pacto nititur (§. 3. & 4.) & sancte servanda est. Dum servatur, quæque forma reip. temperatæ contenta est summis juribus, quæ sibi ex pacto debentur. *Quomodo æquilibrium formæ mixtæ servetur.*

Enimvero si una forma pateretur, sua jura ab altera usurpari, altera forma alterius jura imperii summi invaderet, vi aut dolo illa occupatura (§. 1073. *P. VIII. Jur. nat.*), eaque non resistente illa jus sibi non competens exerceret possideretque jus alienum, ex indole usurpationis (§. 984. *Jur. Gent. in not.*).

not.). Quare uſurpans partem jurium alterius formæ, illius jura ſenſim diminueret; omnia vero alterius jura uſurpans, illa ipſi penitus eriperet. Vtroque caſu non poſſe ſalvam manere remp. temperatam, per ſe liquet; ſed potius propter neglectum officii & violationem pacti degenerare. Relinquitur inde, ſi resp. temperata ſalva eſſe nec degenerare debeat, oportere ut nulla forma ſimplex patiatur alteram in ſua jura involare, ut ſenſim vel minuantur vel ipſi adimantur prorſus.

Rationes, quibus hic utimur, tam ſunt generales, ut non ſolum in ſtrictius dicta rep. temperata, ſed & in latius dicta rep. temperata ſeu mixta eodem gaudeant robore. Quod & indicavi verbis hujus decreti poſtremis, quibus loco temperatæ mixtam dixi rempublicam. Vnde & ad regnum temperatum hæc, & inde deducenda ſtatim, erunt referenda. Obligatio ſervandi pactum temperationis reip. eo eſt evidentior, quod hoc pactum eſt publicum & ſalutis omnium cauſa initum, unde non privatum tantum unius vel alterius cauſa, ſed omnium intereſt civitatis conſortium, ut ſancte ſervetur. Præterea quoque hoc pactum non continet unius tantum formæ promiſſionem & alterius nudam acceptationem, ſed mutuas promiſſiones, acceptationes obligationesque (§. 788. *P. III. Jur. nat.*) & (§. 4.). Cujus ea eſt indoles, ut ſi una forma a pacto recedat, alteri quoque ab eo recedendi jus ſit, nec altera ipſi ex eodem amplius obligetur (§. 827. & 835. *P. III. Jur. nat.*). Vt ergo ſalva maneat temperatio, quælibet forma ſuis contenta eſſe debet juribus, nec ullo modo involare in jura alterius cujuscunque.

§. 149.

Remedia invaſioni opponenda. *Si qua forma ſimplex reip. temperatæ a pacto recedere conetur & per leges is conatus debet eſſe irritus, pœnæque perfidiæ & perjurii obnoxius, niſi ab eo deſiſtatur, ſed etiam reſiſtentia eorum, quorum intereſt, repellendus, ſi melius fieri nequit, jure belli infinito.* Debet enim quælibet forma temperatæ reip. contenta eſſe ſummis juribus, ſibi ex pacto debitis, nec pati, ut alia admixta forma illa

illa vel diminuat vel sibi adimat prorsus (§. 148). Quod dum patiendum non est, initiis contraveniendi confestim est occurrendum. Primordia vero se exserunt in conatu contraveniendi & tentamine seu periculo quodam facto, experientia magistra. Eapropter si qua forma simplex reip. temperatæ a pacto recedere conetur, & per leges istiusmodi conatus jam debet esse irritus, & eidem se exserenti illico est resistendum, si quid involvat, quod fraudi foret, & rescindi vix aut ne vix quidem posset, ne id perpetrare queat. Si sprera resistentia a pravo conatu non desistatur, & invasor pœnæ subjici possit, utique perfidiæ & ob jura tum pactum perjurii pœnas incurret, quatenus eas meretur.

Si conatus eversionem temperationis sibi propositam habere intelligatur, propulsandus is erit quovis licito modo ab iis, quorum interest, ne temperatio rite facta evertatur (§. 148.). Hinc quia naturaliter homini est jus belli adversus eum, qui studio pacta non servat (§. 848. *P. III. Jur. nat.*), & violatio pactorum justa est belli causa (§. 849. *ead. P. III. Jur. nat.*): clarum est, invasionem usurpationemque jurium alterius formæ in rep. temperata jure belli, quod infinitum est (§. 1107. *P. I. Jur. nat.*), si melius fieri nequit, repellendam esse.

Si usquam hic valet antiquorum regula: *principiis obsta, sero medicina paratur, cum mala per longas invaluere moras*, quam *Ovidius Lib. I. de remed. amor. v. 91.* hausisse videtur ex illo *Theognidis v. 1129.* ζητῶμεν δὲ λχει φάρμακα φυομένῳ, quod sic reddi solet, pharmaca nascenti sunt adhibenda malo. Quare & *Cicero Philipp. V. c. 11.* omne, ait, malum nascens facile opprimitur, inveteratum fit plerumque robustius. „Sæpius quoque docuit antiquior recentiorque observatio commutationum civilium a quam parvis initiis, quam inopinato subitoque, & quanta sæpe proficiscantur? Ipsa sæpe salus a pertenui pendet seu filo, seu hilo tantum, facillime ni caveas, rumpendo. Insignes

hic sunt prudentiæ partes, ne vel intempestive ex parva & nullius momenti scintilla per se extinguenda, magnum excitetur incendium; vel parvi pendatur indicium fatalis ictus opinione citius erupturi, nec pœnitentiæ nisi nimis seræ & inutili locum relicturi.

§. 150.

Præcipua jura in rep. temperata sunt communia.

In republica temperata summi imperii præcipua jura sunt in plurium communione. Neque enim in illa summum imperium potest esse unius, sed semper est prævaletque plurium (§. 147.). Vbi plurium prævalet imperium, ibi quædam polycratia est forma primaria, & præest aliis vel alii admixtæ (§. 45.). Cum igitur penes primariam formam sit summa rerum (*ibid.*): in temperata rep. necesse est, ut præcipua summi imperii jura sint in plurium communione (§. 295. & 510. *P. I. Polit.*). Inde præcipua imperii jura in republica esse communia patescit.

Et in democratia populus, & in Aristocratia optimates summum imperium non habent singulatim sed conjunctim; ideoque & conjunctis viribus illud exercent, & nemo suo arbitrio regere potest, sed communi opus est seu omnium, seu in dissensu oborto plurium consensu (§. 291. & 295. *P. I. Polit.*). Quare par est ratio, ac si in domo communi consensu geratur imperium & exerceatur dominium a pluribus hæredibus ejusdem patrimonii sibi relicti. His imperantibus in communione, conjunctim idem jus est, quod alias esset tantum uni & antea fuit illius, cujus sunt hæredes. Inde commune ipsis est imperii & dominii jus, pro sua cujusque rata (§. 128. *P. II. Jur. nat.*). Si ratæ sint æquales, dominium commune & imperium, ejusque administratio pariter gaudebit æqualitate, ut suffragium uniuscujusque æquipolleat suffragio alterius. Inde & ob communionem juris ratione summi imperii plures illi, quorum id est, eodem in ipso gaudent jure (§. 3. *loc. cit.*). Quare cum res communes sint, ad quas pluribus idem jus est (§. 4. *ibid.*): summum imperium pluribus est commune, itaque & præcipua illi-

illius jura pluribus ſunt communia, five illi plures totus ſint populus, five ſoli optimates.

§. 151.

Jura majeſtatis in republica temperata nequeunt eſſe penes unum. Majeſtas enim eſt dignitas ejus, penes quem ſummum imperium eſt indiviſum (§. 206. *P. VIII. Jur. nat.*), & jus majeſtatis eſt omne jus, quod pertinet ad ſummum imperium illiusque exercitium (§. 207. *ibid.*). Sed præcipua ſummi imperii jura ſunt in republica temperata penes plures (§. 150.). Fieri ergo nequit, ut ſimul non ſint plurium ſed unius tantum (§. 27. *ſeq. Ontol.*). Nequeunt ergo in rep. temperata jura majeſtatis eſſe penes unicum.

Jura majeſtatis in rep. temperata nequeunt eſſe unius.

Idem & ſic oſtendatur: In republica temperata non prævalet imperium unius, ſed plurium ſemper (§. 147.) Sed in quacunque rep. prævalere nequit imperium unius, in ea nec majeſtatis jura penes unum eſſe poſſunt (§. 78.). Eſt igitur in propatulo, jura majeſtatis, nequidem præcipua in rep. temperata, penes unum dari poſſe.

§. 152.

Quia jura majeſtatis in republica temperata penes unum eſſe nequeunt (§. 151.), ſed vel præcipua illorum in plurium communione dantur (§. 150.): *ipſa majeſtas realis in republica temperata conjunctim datur* penes plures, nec tamen penes ſolos optimates, nec penes ſolum populum, ſed *penes formas ſimplices, in ea unitas vel conſociatas.* (§. 146.)

Cujus ſit in rep. temperata majeſtas?

Scilicet in ſola Democratia eſt majeſtas populi univerſi (§. 208. *P. VIII. Jur. nat.*); & in Ariſtocratia ſola illa eſt omnium optimatum conjunctim ſumtorum, ſive cœtus optimatum (§. 246. *ibid.*). Qua de re in rep. temperata illa nequit eſſe vel hujus, vel illius, ſed ſi duas illas coaluiſſe ponamus, conjunctim illa erit utriusque; ſi aliæ formæ ſimplices in ipſa coaluere, il-

larum

larum conjunctim majestas erit, quæ mixtam constituunt, aut si hoc lucidius videtur, e quibus mixta constat.

§. 153.

Titulus vero ejus est nullius.

Eo, quod certum est, in republica temperata majestatem non tantum conjunctim pluribus hominibus, sed & pluribus formis civitatum simplicibus competere (§. 152); cogitur *majestatis titulum* nec in Aristocratia, nec in Democratia, inde *nec in republica temperata*, utpote in qua vel Aristocratia præpollet vel Democratia, *cuiquam convenire & merito tribui posse* (§ 10.). Hunc enim soli Monarchæ, seu absoluto seu limitato tribuendum esse, ratio docet & usus, (§. 76 & 78.) obstans adeo, ut ne sibi quidem a suis subditis istum tribui titulum jubeant, multo minus eum inter alias respp. impetrare studeant.

Vti tituli omnes non sunt nisi verba, quibus præcellentia cujuspiam supra alios ob merita denotatur (§. 763. *P. VIII. Jur. nat.*): ita usu genuino non sunt tribuendi, nisi eos merentibus vel ea gaudentibus præcellentia, quam designant. Sed majestas notat dignitatem summam civilem, quæ in hominem cadere potest, imperium scilicet publicum idque integerrimum (§. 206. *P. VIII. Jur. nat.*). Tale vero & tantum in neminem unum cadere sinunt respp. temperatæ (§. 151.). Satis igitur habent, si resp. dicatur serenissima, uti Veneta præpotens, uti Belgica, libera, vel absoluta, uti Helvetica &c. Cum sui juris sint & Aristocratiæ & Democratiæ, mirum non est, temperatam quoque remp. ab aliorum imperio esse solutam, plenaque libertate naturali & civili præditam, haud secus ac monarchiæ & regna. Vnde absoluta summaque potestas (Souverainité) & majestas realis ipsis denegari nequit (§. 152.); *personalis* vero titulus (§. 10.) ob rationes allatas nemini vindicari potest.

§. 154.

Vnde constet, quæ forma

Vt constet, quænam forma in rep. temperata prævaleat, illa majoribus majestatis juribus gaudere & quodammodo cæteris formis præ-

præesse debet. Necesse enim est ut in formis civitatum mixtis una sit primaria seu prævaleat, ita ut penes ipsam sit summa rerum, ipsaque cæteris quadamtenus præsit (§. 45.). Cum resp. temperata sit mixta civitatis forma (§. 71.): patescit, in illa quoque unam formam, in qua imperium summum penes plures est, prævalere dicto modo debere. Quare cum vel Aristocratia præpollere in illa possit, vel Democratia (§. 71), criteriis opus est, unde hæc diversitas agnoscatur, & duæ illæ formæ a se invicem internoscantur. Ejusmodi sunt potiora seu majora majestatis realis jura (§. 77.), quibus prædominans monarchia agnoscebatur (§ 78.). Quapropter præcipua majestatis realis jura in republica temperata penes illam formam polycraticam esse debent, cujus in ipsa primæ sunt partes. Idcirco ut constet, quænam forma in rep. temperata prævaleat seu primaria sit, illa majoribus majestatis juribus gaudere cæterisque quodammodo præesse debet. Scilicet saltem eatenus, ut licet formæ secundariæ suo nomine jura sua exerceant, tamen propter eorum abusum in jus primariæ civitatis vocari ad reddendas rationes luendasque pœnas promeritas (§. 45.). Quod cum facile in sensus incurrat, ex eo judicari de primaria forma potest. *ma in rep. temperata prævaleat?*

Solent multa relinqui in confusione, e qua deinceps lites nascuntur inutiles, cujusmodi olim & in politicis agitatæ fuerunt, aliis alia pro confusa notione sumentibus statuentibusque. Cujusmodi controversiis melior obex poni non potest, quam singula distinctius explicando discernendoque. Etsi enim liberum manet cuique, velitne confuse tantum res spectare, & in generali nomine adquiescere; id tamen cum in vulgari cognitione eodem modo se habeat, obesse nemini debet, accuratiorem rerum penitioremque cognitionem quærenti, quo minus discernat a se invicem, quæ in re ipsa differre intelliguntur, ut par esse possit dubiis solide refutandis, quæ ex confusione nasci consue-

verunt. Cæterum hæc non tantum ad internoſcendam, verum quoque ad conſtituendam rite formam primariam valent.

§. 155.

Vnde hoc diſtinctius intelligatur.

Quoniam majora ſeu præcipua majeſtatis jura ſunt ea, quæ ſummæ potentiæ poteſtatisque uſum legitimum indubie oſtendunt (§. 77.): ſi ſcire velis, quænam forma ſit primaria in rep. temperata, *diſpiciendum erit, cujus formæ ſint jura fœderum, belli & pacis, tributorum, ſacrorum, monetæ, legatorum mittendorum & recipiendorum, imperium atque dominium eminens; cujus autoritate ſumma negotia publica expediantur, cujus ſit munera reip. ſumma tribuere & adimere, leges ferre & abrogare, cujus denique ſit ſuprema jurisdictio & ſuppliciorum graviſſimorum ſeu confirmatio ſeu mitigatio & remiſſio? (ibid.)* Ex his enim perſpicietur, illius formæ potiora eſſe majeſtatis realis jura exercitiumque, itaque illam prævalere. (§. 154.).

Ponamus exempli loco bellum, erga hoſtem declarandum auſpicandumque. Si illud declaretur, geratur, finiatur juſſu, decreto & autoritate ſolorum optimatum, ibi prævalere Ariſtocratiam conſtabit. Si vero idem non fiat nomine optimatum, ſed populi univerſi, tum Democratiam eſſe primariam formam, innoteſcit (§. 80.). Neque qualiscunque conſenſus ad hæc jura exercenda requiſitus, criterium primariæ formæ eſſe poteſt, ſed cujus proprio nomine & autoritate iſta exerceantur diſpiciendum eſt. Poteſt quoque unius vel alterius juris exercendi mandatum ſeu privilegium ſecundariæ formæ tribui, cujus tamen nomine decreta non fiunt nec expediuntur reipublicæ cauſa peragenda.

§. 156.

Continuatio ejusdem diſquiſitionis.

Præterea in dijudicanda ſtatuendaque forma primaria reſpiciendum eſt ad rationes publicæ rei cauſa geſtorum reddendas, cui formæ jus illas exigendi, dijudicandi, puniendique reos criminum publicorum alterius vel omnis formæ ſit peculiare? Etenim ut conſtare poſſit, quænam

nam forma in Republica prævaleat, illa cæteris quodammodo præesse debet (§. 154.). Enim vero qui præest aliis, ei ab altero rationes sunt reddendæ rerum a se ipsius jussu & nomine gestarum, item rerum suo jure & nomine gestarum quatenus & illis præest. Ideoque judicium de rebus gestis penes ipsum est, ut pro re nata præclaris gestoribus præmia, prævaricatoribus autem & violatoribus legum cardinalium pœnas & supplicia legitime dictare & irrogare possit. Quare & illa forma in rep. temperata alteri suberit, quæ ad rationes alteri reddendas, & ad adquiescendum in illius sententia saltem ejus exsecutione obligatur; licet & altera forma audienda sit, vel in illa saltem nonnulli extra partium studia positi una aut præcipue cognoscere causam & suffragia ferre ad sententiam dicendam possint, ne sine suo consensu quisquam damnetur. Primaria igitur in republica temperata illa erit forma, cui rationes sunt reddendæ & pœnæ dandæ.

Illustrabimus hoc exemplo tutorum. Procul omni dubio tutor superior cæteris in tutela gerenda præest simul, quatenus eos vocare valet ad rationes gestæ tutelæ ipsi exhibendas, quatenus gaudet jure reprehendendi & damnandi tutorem, qui minus recte administrasse tutelam deprehenditur; quatenus denique ipsum removere a tutela valet. Etsi cæteroquin tutores ipsi non subsint nisi ratione tutelæ, nihilominus ipsis eatenus præesse intelligetur. Similiter fieri in rep. temperata potest, ut diversæ illæ formæ civitatis, quæ in ea consociatæ sunt, ratione jurium ipsis in summo imperio relictorum, sint sui juris, suoque nomine & arbitrio illa exerceant. Quia tamen in salutem publicam conspirare debent, oportet, ut emergente abusu & leges sint, & earum custodes, qui violatores illarum in jus vocare & damnare pro meritis possint. Quatenus in eadem forma supersunt, innocentes, qui ab illa legum violatione abhorrent, eatenus hi recte judices constituuntur, ne quid gravius meritis in sui similes statuatur. Quia tamen reliquæ formæ aut

ſimul læſæ eſſe poſſunt, aut communi conſenſu ſtatuenda ſunt, quæ ſalus publica poſtulat; eatenus primaria præſertim in hoc quoque rationum reddendarum, repetundarum, & vitæ necisque judicio, eo magis primas meretur partes, quo minus ipſa aberrare a recto imperii uſu intelligitur. Multo magis id necesſarium eſt quoque propterea, ne quod dici ſolet, corvi dimittat corvos, vexet cenſura columbas; aut quando omnes ejusdam formæ conſortes complices ſunt. Exceptio unica datur, ſi ipſius formæ primariæ ſit crimen: quo in caſu, quod legibus proviſum eſt, & prudentia ſuadet, vel juſtitia exigit, erit ſequendum.

§. 157.

Summa curandorum in rep. temperata.

Siquidem reſp. eodem modo temperanda eſt, ac monarchia (§. 47.), ſed hæc in genere ita erat temperanda, ut commoda illius fierent certiora, ſtabiliora & ampliora; incommoda vero quam optime removeantur (§. 22.): *in republica temperanda itidem erit curandum, ut quæcunque in illa haberi poſſunt commoda, ea obtineantur, incommoda autem ex ea proſcribantur, quam tutiſſime & aptiſſime fieri poteſt.* Quare cum inter commoda reipublicæ; cujus imperium eſt penes plures, habentur libertas naturalis & civilis, quanta ſalva ſalute publica dari poteſt (§. 33. & 51.), & plurium civium incitatio per ſpem imperandi ad culturam virtutum theoreticarum & practicarum (§. 24. & 38.), nec non ſtudium pacis & tranquillitatis (23. & 34. ſeq.): *Opera danda eſt in republica temperata, ut libertas, cultura virtutum quarumque, pax & tranquillitas in ea vigeat floreatque quam maxime.* Ex adverſo quia inter incommoda illius habetur degeneratio libertatis in licentiam & affectuum libidinem, hinc in vitia, virtutibus inimica, in lites factionesque: *adhibenda quoque ſunt optima, quæ dari poſſunt præſidia & remedia contra licentiam, vitia, diſſidia, factiones, & bella.*

De

De rebus publicis potiſſimum valet, quod Poëta olim cecinit: *nulla ſalus bello, pacem te poſcimus omnes.* Etſi enim regna quoque calamitates ſentiunt, quas ſibi mutuo inferunt, ſi ponamus finito bello res redire in priſtinum ſtatum; non tamen id æque ſentiunt reges quam ſubditi, de quorum corio luditur, illis tamen exceptis, qui ſubditorum ſincero amore flagrant, eorumque ſanguinem, vitam, & ſalutem ſuammet ſtatuunt. Si qui enim ambitioni litant, atque animadvertunt, ſæpius bello vincentem lucrari id, quod victus amittit: hi facile ſpe victoriæ bella movent inferuntque vicinis debilioribus, quorum ditiones ſenſim ſuas facere nituntur, idque favente fortuna, vel quamdiu Deo viſum eſt, ipſis uti vindictæ ſuæ inſtrumentis, continuant, donec mereantur & ipſi tardiorem quidem, ſed & eo graviorem ultionem. Sed in rep. omnibus ferendi ſunt ſumtus, omnes ægre ſentiunt calamitates & pericula, ideoque ab illis eo vehementius abhorrent, eoque magis ſunt pacifici, ac de ſuis potius conſervandis, quam de alienis adquirendis ſoliciti. Quamquam diffiteri nolumus, in magna rerum publicarum frequentia, qualis olim fuit in Græcia, etiam extitiſſe bellicoſas, ambitioſasque, de principatu inter ſe contendentes, contra quas plurium conſociationes fuere excogitatæ & ſtabilitæ, donec omnibus longa ſervitus fuit ſubeunda. Vitia enim in magna fortuna facile adoleſcunt & ad carceres ſuos decurrunt, ocyus alia, alia lentiori gradu.

§. 158.

Occurrendum eſt in omni republica temperata vel temperanda incommodis a multitudine imperantium oriundis, cujusmodi ſunt, præter diſſidia, communium rerum neglectus tarditasque. Etenim in rep. temperanda incommoda illius ſunt quam optime removenda, optimaque remedia diſſidiis & factionibus opponenda (§. 157.). Sed in omni rep. temperanda & temperata plurium prævalet imperium (§. 147.). Inter incommoda vero polycratiæ habetur tardior congregatio hominum, deliberatioque & definitio ac neglectus negotiorum publicorum (§. 31. & 42.). Quare

Occurrendum neglectui & tarditati curandarum rerum communium.

 his

his diligenter medendum eſſe malis, a multitudine imperantium oriundis, evidentiſſimum eſt.

Segnius expediunt commiſſa negotia plures, & naturale velut vitium eſt, ea, quæ communia ſunt, devolvendi ad alios, & turpiter negligendi. Quod multorum commune eſt, in eo minimam adhiberi diligentiam, ſuo tempore *Ariſtoteles* obſervavit (*Lib. II. Polit. c. 13*). Propria enim dum quisque curat, communia minus, quam ſingulis incumbebat, ad ſe pertinere ſtatuit: quemadmodum in ſervilibus miniſteriis multi plerumque deterius res heriles curant, quam pauci. Ea experientia domeſtica etiam nunc confirmat. Par vero ratio eſt reip. ut ſi multi illi præſint, juxta *Iſocratem* magiſtratus alii alios intuentes multa negligant, & privatorum ſint ſtudioſiores, quam publicorum. Inde *Tacitus Lib. I. Hiſt. c. 89.* communium curarum, inquit, expers eſt vulgus & populus & *c. 90.* privata cuique ſtimulatio eſt, & vile jam decus publicum, ut in familiis ex ſervitii libidine. Nociture igitur moræ negligentiæque quemadmodum medela ſit afferenda, in genere quidem ſic doceri poteſt, ſi uti revera ſunt, communia non ſpectentur niſi ut privata & ſibi peramanda ob illa, quæ inde proficiſcuntur bona. Duo inquit, *Stagirita Lib. II. Polit. c. 4.* ſunt quæ faciunt homines curare & amare maxime: proprium ſcilicet & perdilectum ſ. carum admodum. Neque enim tantum ſua cuique formæ jura ſunt propria, licet adminiſtratio eorum pluribus ſit communis; ſed verendum quoque eſt, niſi diligenter quælibet illa curet, aliam formam neglecta ſibi ſenſim eſſe vindicaturam, ut ſeras det ſuæ negligentiæ pœnas, nec ad amiſſa recuperanda admittatur. Cavendum igitur, uti (§. 68. *ſeq.*) dictum eſt, ne facile corrumpatur temperatio recte inſtituta. Quorſum & ea faciunt, quæ jam ſubjungemus.

§. 159.

Quænam legibus quæ comitiis ſint temperanda?

Opus eſt in republica temperata legibus communi formarum diverſarum conſenſu ſtabilitis, quibus ordinaria negotia publica & ſubita curentur; extraordinaria in comitiis ſunt deliberanda decernendaque, ſi moram

moram patiantur. Generatim enim temperatio in negotiis eodem modo expediendis fit legibus non violandis, in reliquis, quæ non nisi ex præsenti rerum facie cum consensu formæ unius vel alterius admixtæ definiri possunt, opus est obtinendo consensu (§. 63.). Sed priora sunt *ordinaria*, posteriora vero *extraordinaria*, usu verborum recepto. Quam ob rem ordinaria negotia publica circumscribenda sunt legibus sacratis, secundum quas administrentur ab iis, quibus illa sunt demandata; extraordinaria vero conventui publico in comitiis erunt reservanda, ut ibi communibus consiliis excutiantur decernanturque, modo istam patiantur moram.

Quodsi autem occurrant negotia gerenda, quæ subito expedienda sunt, nec differri in comitia possunt, hæc uni vel paucis, qui eis rebus gerendis præfecti satisque periti & fideles sunt committenda erunt, ut illa quam optime valent expediant, obnoxii vero sint rationibus reddendis, si illæ postea poscantur (§. 74. *P. VIII. Jur. nat.*). Alias resp. in hujusmodi casibus multum caperet detrimenti, quod averti posset, ideoque avertendum est, ut propterea dudum unica in his casibus lex injuncta sit: *ne quid resp. detrimenti capiat.*

Nostra nunc non refert, sitne ejusmodi rector civitatis temporarius quadamtenus absolutus tempore suæ potestatis, vel si id mavis, suæ dictaturæ, & postea demum re male gesta obnoxius inquisitioni, num qua & quanta sua culpa id contigerit; an & precarium tantum habeat imperium, vel & in ipso eo statu limitatus aliorum consilio & consensu obtinendo antequam statuat quidquam. Suffecit, eum vel & eos non posse absoluto gaudere imperio in rep. temperata, utpote quo omnis tolleretur temperatio, & vel Aristocratia induceretur, vel monarchia absoluta. Conf. notata (ad 731. *P. I. Polit.*)

§. 160.

§. 160.

Differt resp. temperata & genere & gradibus.

Differre poteſt reſp. temperata tum genere tum gradibus. Toto enim genere differet Ariſtocratia temperata a Democratia temperata, ſub quibus & biformes & triformes ſpecies dari poſſunt (§. 32. & 43.); item temporaria & perpetua (§. 48). Præterea unaquæque harum modo plura, modo pauciora jura ſummi imperii habere aut non habere poteſt in hac vel illa forma ſimplici, e quibus eſt compoſita (§. 53.). Neque minus conſenſus formarum conſtituentium vel major eſſe poteſt, vel minor (§. 54); ideoque gradibus gaudebit aliis aliisque, ſeu materialibus ratione numeri & ponderis jurium; ſeu formalibus, ratione perfectioris aut minus perfecti conſenſus earum. Perſpicuum ergo eſt, & generum & graduum diſcrimen dari poſſe in rep. temperata.

Nondum hic agimus de quæſtione, an actu dentur tam diverſa genera, diverſæque ſpecies, & diverſi quoque gradus rerumpublicarum temperatarum. Sufficit hic oſtendiſſe, dari illa poſſe, pro arbitrio eorum qui civitatem temperare malunt, quam ſimplici ejus forma uti. Temperata enim, quia mixta eſt, & e pluribus diverſæ naturæ ſimplicibus conſtat, tanquam compoſita conſiderari ab eaque diſtingui meretur. Genera enim forma primaria; ſpecies forma ſecundaria; gradus denique diverſitate jurium & conſenſus luculenter determinantur.

§. 161.

Oritur temperatio reip. vel a poſteriori vel a priori.

Temperatio reipublicæ cujuscunque æque ac monarchiæ, ortum ducit vel ex ſenſu abuſus imperii plurium intolerando, vel ex ſtudio prævisa illa mala avertendi. Prima enim & frequentiſſima regni temperandi ratio haberi ſolet in ſenſu nimii oneris ex abuſu regiæ poteſtatis profecti; rarior autem in prævisione ejusdem ſolicita de illius averſione in prima regni conſtitutione (§. 90.). Sed prouti temperatio Ariſtocratiæ eodem modo eſt inſtituenda ac

da ac monarchiæ (§. 47.): ita quoque temperatio, tanquam optimus miſcendi reſpublicas modus (§. 5), iisdem niti debet rationibus & fundamentis. Quare & illa frequentius ortum ſuum ducet a poſteriori ex ſenſu & dolore intolerando abuſus imperii plurium multi jugis, vel a priori ex ſtudio præviſa hæc juga avertendi a ſuis poſterorumque cervicibus.

Nonnihil de his habet *Ariſtoteles Lib. IV. Polit. c. 5.* ſcribens: Nec latere nos debet, quod multis locis accidit, remp. quæ ſecundum leges non ſit popularis, more tamen & geſtione populariter gubernari. Similiter apud alios contingit, remp. ſecundum leges eſſe popularem, moribus tamen & geſtione ad oligarchiam magis referri. Quod in his non de modo gubernandi apparente agat, hæc docent, quæ illico ſequuntur: Contingit autem hoc maxime poſt mutationem rerumpublicarum, non enim ſtatim mutantur, ſed contenti ſunt ab initio homines parva acceſſione potentiæ. Itaque lege quidem manent, ut prius erant, prævalent (κρατοῦσι) tamen qui remp. mutaverunt. Ita cum Athenis primorum tumeſceret ambitio, & avaritia atque iniquitate locupletum premeretur inops plebs, creſceret ultra modum æs alienum, atque hinc diſcordia & factiones exiſterent, periculoſique motus libertati exitiales viderentur imminere, omnium vero maxime divites ab ira plebis ſibi metuerent: tandem ad extremum civitatis caſum declinandum oculi omnium in Solonem ſunt converſi, quem ſolum repudiata, quam ipſi obtulerant, tyrannide, mederi his malis & ſaluti civitatis quam optime conſulere poſſe univerſi putabant. Is promulgata σεισάχθεια æs alienum & fœnus levavit, plebique judiciorum ſortito conſtituendorum, & eligendorum magiſtratuum, rationumque ab ipſis repoſcendarum poteſtatem conceſſit. Quod Jus nonnullis nimium eſt viſum, teſte *Ariſtotele Lib. II. Polit. c. 10.* Ipſe vero illud magnum quidem, ſed neceſſarium fuiſſe judicat conſervando plebis ſtatui, ne inimico in remp. animo eſſet. Hoc inſigni temperamento multitudinis jus optimatum juri quaſi

æquavit, ſimulque pernitioſas factiones, ex Cylonia ſeditione ortas, extinxit.

§. 162.

Per cauſas vel internas vel externas temperationem varie ordinando.

Poteſt & hæc temperatio cauſas habere internas aut externas; item vel priſtina forma manere primaria vel fieri ſecundaria. Prior pars hujus ſciti eodem oſtenditur modo, quo illud dicimus de regno (§. 91. 92.). Quod eo majori jure huc transfertur, quia & ex regno fieri poteſt reſp. temperata. Eſt enim in arbitrio populi rempublicam temperaturi, ſive in ordienda rep. nova, ſive in reformanda corrupta (§. 6. & 49.), quomodo illam temperare (§. 21. 32. & 43.) & cui formæ potiora & plura, cui pauciora & minora imperii jura tribuere (§. 53. *ſeq.*), ideoque quam formam ſtatuere velit primariam, quam ſecundariam (§. 45.). Quapropter etiam a cauſarum internarum externarumque libera voluntate pendet, debeatne in reformanda civitate corrupta priſtina ejus forma manere etiam nunc primaria, an tantum ſecundaria fieri mereatur, prout prudentia vel hoc vel illud præferendum eſſe dictat.

Vſitatum id eſſe, multa docent exempla, ut ſola illa ſufficere illuſtrationi poſſint, quæ de Græcarum civitatum converſionibus modo in regna & tyrannidem, modo in Ariſtocratiam, modo in democratiam, modo in varie mixtam formam relata leguntur in Ariſtotele aliisque autoribus fide dignis. Athenis v. c. a Cecrope conditore reges fuere. Theſeus rex decimus, prima jecit libertatis fundamenta, præcipuas regni vires, per oppida & vicos diſtractas, in ſedem regiam contrahens, majorem & libertatem & ſecuritatem omnibus pollicitus, civibus in tres claſſes diſtinctis, quorum prima eſſet patritiorum, ſecunda agricolarum, tertia opificum; & nomen modo regis, cuſtodiam legum & imperium militare ſibi reſervans. Codro regum ultimo pro ſalute patriæ in bello glorioſe mortuo, filio Medonti, ſublato regis nomine, prætoris (ἄρχοντος) tantum poteſtas red-

reddendis rationibus subjectu est tributa. Cujusmodi Archontes perpetui ibi fuere 14 per annos 315. Quorum ultimus Alcinæon fato functus cum nondum biennium in principatu fuisset, occasionem novandi status civitatis dedit. Quoniam enim perpetuo principatu freti principes liberius agere occeperant, eum in decennalem mutarunt. Quorum sexto abutente imperio, novem archontes iique annui simul creati sunt, quorum diversas functiones *Emmius in republ. Atheniens.* enarrat *p. 9. seqq.* Post hos secuta est illa Solonis reformatio, de qua diximus ad §. 161.

§. 163.

De prudentia respp. temperandi, tuendique.

Facile erit, ad respp. temperandas ea applicare, quæ de prudentia temperationem non nisi bona civium voluntate & salva omnium & singulorum salute instituendi, nisi extrema necessitas obstet, postulans vim adhibendam (§. 94. *seq.*); item de modis temperationi nullam dandi ansam (§. 96. *seq.*), & temperationem bene institutam tuendi, ne degeneret (§. 70. 98. *seqq.* & 148.) dilucidata fuere. Vnde his immorari superfluum duco, quæ cujusvis privata industria pro lubitu suo supplere potest & amplificare, formas quoque corruptas reip. temperatæ dirigendo in suas classes.

§. 164.

Primas tenet Aristocratia ducalis.

Aristocratiæ ducali primas dari partes inter Aristocratias temperatas licebit. Potest enim Aristocratia trifariam temperari, scilicet ut biformis alia sit, alia triformis. Biformis autem vel limitatur adjuncta monocratia vel democratia; & triformis utramque admiscet (§. 32.). Sed si temperatio involvit monocratiam, ducalis dicitur Aristocratia (§. *eod.*). Jam constat, si non nisi ordinis ratio habetur, in formis mixtæ reip. primariam esse monarchiam (§. 46.) licet reapse in Aristocratia temperata præpolleant optimates (§. 45. *seqq.* & 160). Quapropter & dux in Aristocratia merito primas occupabit partes, &

inter cæteras Ariſtocratias temperatas, ducales ordine ſaltem potiores erunt duce deſtitutis. Poterunt vero & re ipſa antecellere cæteras, ſi ponamus cætera eſſe paria, vel & quam optime inſtituta gubernataque (§. 308. *P. I. Polit.*).

Conſentit cum his *Hertius Polit. P. II. Sect. 7. §. 16.* Vbi his utitur verbis: Dubitari nequit ſpeciem regiæ gubernationis optimum Ariſtocratiæ inſtitutum eſſe. Subnectit *Cantareni* locum *L. II. de rep. Veneta:* A noſtra civitate ſapientiſſime inſtitutum fuit, ut in hac rep. conſtitueretur quædam ſpecies regiæ gubernationis, adeo legibus temperata, ut quovis incommodo ac periculo, quæ reip. imminere poſſent amotis, utilitate vero & commodo, quod regia gubernatio habere ſolet, accito, nihil relictum eſſe videretur, quod ſit deſiderandum, ac ſimul remp. liberrimam, & regem (ducem innuit) præſidem habemus. Hæc ille. Quibus addo in illis potiſſimum caſibus perſpicuum fieri, quid incidente bello, & rebus moræ impatientibus, in opportunitate feliciter capeſſenda, hæc valeat temperatio, ſi non demum creari debeat, ſed præſto jam ſit optime præfuturus.

§. 165.

Ariſtocratia ducalis vel biformis eſt vel triformis.

Duobus autem modis dari poteſt Ariſtocratia ducalis, altera biformis, altera triformis. Ducalis enim appellatur Ariſtocratia, cui adjungitur Monarchia ſeu imperium unius, ita tamen ut præpolleat Ariſtocratia (§ 32). Sed per ſe liquet, hoc fieri poſſe tum, quando Ariſtocratia temperatur adjecto ſolo principatu, ſive perpetuo, ſine minus; tum quando ſimul principatu & democratia admixta limitatur. Quia Ariſtocratiæ temperatæ priori caſu tantum inſunt duæ formæ ſimplices, merito biformis; poſteriori autem caſu triformis dicetur (§. 32.).

Cum Athenienſi Reip. non rex amplius, ſed (ἄρχων) princeps, vel prætor tantum, præeſſet, obnoxius rationibus reddendis, ſive populo, ſive areopagi & ephetarum collegio, ſive magis

magis adhuc ſolorum nobilium & ditiorum quam univerſi populi judicio: principis autoritas non re ipſa, ſed ordine tantum primaria fuit, re vera autem prævaluit ſeu optimatum ſeu populi ſimul potentia. Itaque fuit Ariſtocratia ducalis ſeu biformis ſeu triformis. Si (ἀρχων) princeps reddatur, fuit illa Ariſtocratia principalis, tum quando principes perpetui fuere, ad dies vitæ, tum quando ſolum decennales fuere. Vnde alia prodit diverſitas temperatæ hujus reip. ducalis, vel quod idem ſonat, principalis, ſcilicet, ut alia agnoſcatur eſſe ducalis perpetua, alia temporalis, ad certum tempus reſtricta, ideoque non perpetua. Ducalis perpetuæ exemplum adhuc proſtat in Rep. Veneta; temporariæ autem in Rep. Genuenſi de qua poſthæc dicetur. Alii vocant Ariſtocratiam ducalem *regie temperatam*, cum *Hertio Lib. cit. P. II. Sect. 7. n. 16.* a qua diſcernunt ariſtocratice temperatam §. 19. *ibid.* quam dicunt, in qua datur ſenatus optimatum rebus ſummis & arcanis imperii tractandis deſtinatus. Sed ut hanc reſtrictionem vocare præſtat ita non opus eſt, ut illam ad Ariſtocratias temperatas revocemus. Si in triformi rep. primaria forma ſit regia, refertur illa ad regnum; ſi Ariſtocratia, refertur ad Ariſtocratiam temperatam; ſi primaria ſit democratia, referenda erit ad democratiam temperatam. Vt tamen diſcernatur ducalis biformis a triformi, vel his nominibus utendum erit, vel illa dicetur ſtrictius *ducalis*, hæc *triformis* ſimpliciter, quia alia triformis Ariſtocratia non datur.

§. 166.

Subita ſunt in Ariſtocratia duci committenda &c.

In utraque ducali Ariſtocratia illa duci erunt committenda ſummi imperii jura, quæ moram nullam patiuntur, & arbitrio unius ſatis periti ac felicis optime geruntur, modo ad rationes reddendas obligetur, re non bene geſta. Etenim in temperanda republica adhibendus eſt modus eas miſcendi quam optimus (§ 5.), hoc eſt ut commoda formæ ducalis ſeu principatus quam optime ſed ita obtineantur, ne ipſe contra hypotheſin prævaleat (§. 157.) incommoda vero vitentur (§. 158.). Duci autem optime committi

possunt, quæ solus sua, quam ipsi inesse debere præstruimus, peritia, præsentia animi celeritate consilium ex arena capiendi, & virtute melius præstare valet, quam plures, quod per se planum est. Hujusmodi vero sunt ex illo genere, quæ nullam patiuntur moram, vel in quibus opportunitas rei gerendæ subito capessenda est, frustra posthac exspectanda (§. 159.); & in quibus gerendis ipse aliis felicior esse consuevit.

Quoniam vero primariæ formæ est jus poscendarum judicandarumque rationum, & puniendi criminum publicorum reos (§. 156): Aristocratiæ ducalis est, re non bene cœpta aut gesta ducem in jus vocare ad reddendas rationes. Quemadmodum usu venit in rep. atheniensi Archonte perpetuo, vel prætore belli utente aliisque (§. 165.). Cum ducis eadem sit ratio in utraque Aristocratia ducali, eadem utrobique ejus jura esse possunt, aut si hæc quadamtenus vi pacti differunt, saltem rationes re male gesta reddendæ erunt in biformi solis optimatibus, in triformi simul & populo ad comitia congresso vel delegato.

Re bene gesta non opus est, ut dux Aristocratiæ vel & populo in comitiis rationes reddat, cum jam ex eventu constet ipsum rem bene gessisse. Nisi posteros suo exemplo prudentiam docturus exponere velit, quam caute solerterque ista peregerit. Neque audiendi sunt iniqui ejus accusatores, non nisi possibilia & suspiciones inanes per invidiam prolaturi, quos forte urit, se non fuisse aut esse ducis loco. Satis enim felix eventus docet, ipsum recte rem gessisse. Quanquam in fortuitis solus eventus non evincit prudentiam consilii; excusationem tamen promtam habet, eo quod divina providentia & erratis humanis bonum exitum largiri solet, quando id convenit sapientiæ summæ, vel & fiduciæ in Deo collocatæ. Si quid enim erratum deprehenderetur, id per se futuræ cautioni inservit. Inde quia nec infelix eventus per se culpam autoris probat, vocatur is ad

rationes reddendas, ut perſpici ex illis poſſit; ſitne eventus potius fortunæ vel fato divino tribuendus quam culpæ ducis. Quod ſi ita ſe habeat, ne infauſtus quidem exitus duci poterit imputari.

§. 167.

Præterea *utrobique duci tribui poteſt jus innocuum moderandi omnes functiones publicas ut in ſalutem publicam collineent, & magiſtratus in officio contineantur & quidcunque formæ primariæ non obeſt ſed prodeſt.* Fieri enim poteſt, ut non tantum defectu ſed & exceſſu in functionibus publicis peccetur, & communi bono noceatur dum quisque egregie munus ſuum obire ſtudet. Ne qua ergo nimia ſedulitate, aut negligentia ſupina communi ſaluti officiatur, ſed potius omnes functiones ad ultimum hunc finem exacte referantur & conſpirent, boni communis cura, præcipua omniumque functionum ad illam directio in republica temperata ob ipſam functionum multitudinem facilemque colliſionem eſt neceſſaria & conſulta (§. 157.). In ducali vero Ariſtocratia hoc munus, harmoniam functionum in commune bonum procurandi, & avertendi contraria, nemini melius injungi poteſt, quam ipſimet duci, hiſce ſi rite lectus ſit, qualis eſſe debet, curis pari (§. 166.). Modo ſimul caveatur, ne id nocuum fieri poſſit, ideoque quoad ejus fieri poteſt, omnis abutendi hoc jure facultas ipſi adimatur, ut penitus innocuum ſit, quidquid ab eo fieri debet ad magiſtratus quoque in officio ſuo continendos.

Item innocuum omnium functionum moderamen.

Quia quæcunque commoda in temperanda rep. haberi poſſunt, ſectanda, incommoda vero, quæ evitari poſſunt, arcenda ſunt (§. 157.): patet in Ariſtocratia ducali quæcunque formæ primariæ non obſunt ſed proſunt, ea cuncta duci lubenter eſſe conferenda & largienda. Id quod generatim quoque de omni rep. temperata valet (§. 58.).

Contarenus de Rep. Veneta Lib. II. ostendit, uno quopiam digno præside unionem civilem civitatis rectius conservari, quam functionibus ipsis in varias partes distractis. Per has enim ex singularum sedulitate circa munus suum fieri posse, ut cum sibi invicem tum communi bono repugnent. Si v. c. rei frumentariæ præfecti diligenter curent, ut opera sua undique magna frumenti copia pretio viliori invehatur, sed eo ipso vectigalibus publicis derogetur. Navalis rei curatores posse plurimas ædificare, omnibusque bellicis nauticisque instrumentis egregie exornare naves, pecunias undique coactas in hunc usum ita expendendo, ut ex reditibus publicis non restet; quod reficiendis arcium, oppidorumque munimentis, propugnaculis, stipendiis militum, & custodibus regionum satis esse possit. Pluribus id muneris non æque tuto committi, ne pariter negligant, quod pariter pluribus esset curandum; ne ignoretur, in quem culpa admissa sit conferenda, & ne simultates ac invidia bono communi injustæ sint novercæ. Admonet vero hunc principatum ita legibus esse temperandum, ut quovis incommodo & periculo amotis, commodo autem adscito, nihil, quod desiderandum esset, relictum videatur. Principis munus esse, ut tanquam in quadam reip. specula positus conspicetur, quid publica auctoritate ornati agant, de cujusque crimine ad collegium referat, sed nihil solus statuere possit, uno tantum suffragio gaudens.

§. 168.

Reliquæ Ducis Partes.

Quatenus innocua esse potest, Ducis est receptio literarum & legatorum ad Rempublicam responsio, expeditioque, decretorum & legum promulgatio, justitiæ æqua administratio, monetæ justæ signatio effigieque. Nihil enim nocere Aristocratiæ temperatæ potest, si duci inscribendæ sint & aperiendæ quælibet literæ, ad Remp. datæ, ut earum argumentum ad eos referatur, quorum legitima est de his rebus consultatio & suffragatio, & si respondeat ad eas non nisi ea, quæ a collegio sunt decreta, suo nomine subscripto. Item si legati & oratores admittantur, solenniter audi-

audiantur, &, deliberatione tractationeque debite a collegio vel comitiis peracta, responsum reip. a duce accipiant & honorifice dimittantur. Nihil nocere potest reip. si decreta & leges, publico, quo debent, consensu latæ, a duce promulgentur, & administratio justitiæ secundum illas urgeatur procureturque. Nihil denique nocere potest Aristocratiæ nostræ, si moneta aurea & argentea cura ducis ita cudatur, ut ipsius effigies & nomen doceat autorem, cujus sit de ejus puritate & pondere legibus satisfacere & respondere. Quæ uti per se patent, sic ita quoque fieri potest, ut in duce regis speciem intueri possis, potestatem nequaquam. Prout igitur in regno temperato jura innocua majestatis regi recte permittuntur (§. 124.): ita in Aristocratia ducali pariter innocua summi imperii exercitia duci merito attribuuntur (§. 167.), ne nomen plane sit inane.

Hæc jura Duci Veneto etiam nunc esse, in vulgus notum est ibidem, & exteris proditum est per Venetos autores. Cæterum ne cui scrupulus inde nascatur, quod *Contarenus l. cit.* ait: publicæ literæ omnes sub ipsius nomine prodeunt obsignanturque - - - promulgationesque legum &c. nomine principis fiunt. Nummi omnes tam aurei quam argentei cum nomine atque imagine ipsius excuduntur, quasi hæc regiam formam loquerentur, cum talia in regno temperato regis nomine fiant: notandum est aliter ista in regno temperato fieri regis nomine, aliter in aristocratia ducali ducis nomine. Etenim ibi regis nomine id fieri perhibebatur, quod jure regis proprio & perfecto fiebat (§. 80.). Hic autem nomine quidem principis ista fiunt, sed ita ut honoris tantum causa publicentur ejus sed non unius nomine ab optimatibus vel & populo decreta, & ut in his quoque, quæ suo nomine agere valet, legibus sit adstrictus sibi præscriptis, & ad dandas rationes obligatus (§. 166.). Inde enim intelligitur, ducalem formam in illa rep. temperata non esse primariam (§. 154.). Patet tamen plus inferre ducis nomen in hujusmodi negotiis, quam si nudus mandatarius aut procurator, vel syn-

dicus, Oratorve Regis aut Reip. nomen ſuum ſubſcribit, prorſus tantum vicaria poteſtate agens, cum dux propria quidem præſidisque ſed non ſufficiente per ſe poteſtate agat. Hoc ſequenti confirmo *diplomatis principio & fine A. 1547. editi*, Marinus Grimano D. G. Dux Venetiarum univerſis - - - - ſignificamus, hodie in conſilio noſtro rogatorum captam fuiſſe partem tenoris infra ſcripti - - - - - - - Quare *autoritate ſupra dicti concilii* mandamus vobis, ut ſupra ſcriptam pactionem obſervetis, & ab omnibus inviolabiliter obſervari faciatis. Ita Reges non ſcribere nemo neſcit.

§. 169.

Emolumenta ducalia & honeſtamenta.

Poteſtatis vero diſpendium rependitur duci dignitate prope regia, honoribus nulli alii tribuendis, & tot etiam publicis reditibus, quibus indemnis illi ſit ducalis ſplendor & magnificentia. In temperatione reip. in genere (§. 58.), & Ariſtocratiæ quoque omnia, quæ haberi poſſunt, ſimplicium formarum commoda ſectanda, incommoda vero fugienda ſunt (§. 157.) itaque quæcunque formæ primariæ non obſunt ſed potius proſunt, ea formæ ſecundariæ tribuenda ſunt (§. 167.). Jam in Ariſtocratia ducali forma primaria eſt ariſtocratica, ſecundaria autem forma ducalis (§. 165); itaque ſalva Ariſtocratia duci tribui poteſt tantum redituum publicorum, quantum indemnem illum præſtare poteſt, in magnificentia ducali reip. cauſa cum illius condecoratione ſuſtentanda (§. 645. *P. I. Polit.*). Tribui ipſi quoque poteſt reſpondens duci (per (§. 676. *ibid.*) ſummus honorum externorum gradus, qui a regia majeſtate proximus ſit, quique ideo nulli alii præter ipſum in hac rep. tribui debeat. Inde dignitate propemodum regia, ſeu ſecundo gradu ſummi honoris publici ducem colendum eſſe patet.

Ipſam Majeſtatem perſonalem regibus tantum & imperatoribus tribui conſueviſſe, non vero ducibus, principibusve extra controverſiæ aleam poſitum eſt. Vnde ſufficit, illis proximum Regi-

Regibus honoris gradum tribui, ut *ſereniſſimi, illuſtriſſimique* dicantur, & cætera quoque honoris ſigna regiis parum ſint inferiora. Ita omnes cives detecto capite & ſtantes illum alloquuntur ſedentem in ſede pæne regia, ipſe vero nulli aſſurgit. Aequum vero eſſe, ut qui recte ſancteque magiſtratum ſummum gerunt, honoribus alios omnes antecellant, *Stagirita* jam in *Ethicis* ſtatuit. Cum vero nemini officium vel privato tantum præſtitum debeat eſſe damnoſum : multo magis officii publici hoc eſt omnium cauſa ſuſcepti peractique, indemnitas ſumma commendatur æquitate. Hinc *Contarenus Lib. II. de rep. Venetorum* quid ibi hujus indemnitatis cauſa ſtatutum ſit, ſic recenſet. Hac ſpecie regia principi affixa, quoniam plerumque contigerat, ut privatæ opes ſatis non eſſent, ad tuendam eam dignitatem, atque ad eum locum honeſtandum, ex publico ærario conſtituta ſunt in ſingulos annos duci *tria millia & quingenti aureorum.* Ne vero fortaſſis quisquam paulo avarior eam pecuniæ ſummam in rem familiarem neglecta dignitate utilitateque publica convertat, injuncta ſunt illi munera quædam, quæ ſuis impenſis obeat, ſuæque ipſius dignitati & uſui reip. conſulat. Quæ ſi negligat, ut pecuniis parcat, hæredibus tam ingens mulcta eſt impoſita, ut dum rei augendæ & hæredibus prodeſſe ſtudere velit, magnam ejus jacturam faciat, ſi ob avaritiam dignitati ſuæ deſit; hæreditariam ſimul ignominiam & dedecus poſteris relicturus. A quo non poteſt non, quisquis ſapit, abhorrere.

§. 170.

In triformi Ariſtocratia, æque ac in triformi regno, optimatum eſt providere, ne vel dux populi, vel populus ducis jura invadat, minuat, evertatve. Gaudent enim noſtro caſu optimates juribus imperii præcipuis potioribusque (§. 164. *ſeq.*). Quatenus tantum ordinis formarum ſimplicium ratio habetur, ducalis forma gaudet præcipuo honore (§. 169.). Ne ergo dux populi jura ſenſim invadat, eum ſibi ſubjecturus, vel aucupio auræ

Optimatum officium in triformi Ariſtocratia.

popularis gratiæque vel alio clandeſtino aut violento modo, optimates facile prævidere poſſunt populi favorem captatum jurium adquiſitorum abuſum & ſibi fieri poſſe pernicioſum. Ideoque mature his obſtare, populique jura tuendo eum ſibi amiciorem reddere, itaque ducem in officio ſuo continere debent. Enimvero par periculum oriri poteſt, ſi populus ducis jura invadat, eaque ſenſim ſua faciat, ducem deteſtatus. Quapropter ne id fiat & populus præponderare in imperio occipiat, ducis jura ſtrenue tuendo cum ipſo ſuas vires conjungent, ut populum intra ſuos cancellos manere obligent, itaque utriusque formæ adjunctæ gratia & ſtudio mutuo temperationem triformis Ariſtocratiæ eo efficiant ſtabiliorem validioremque. Simili fere ratione in regno triformi quoque conſervationi jurium formæ cujusvis erat opera navanda, ſive conjunctim, ſive ſeparatim jura ſecundaria exercebantur (§. 123.).

Prouti Duci quædam eſt cura & cuſtodia legum, innoxia nempe (§. 167.): ita Ariſtocratia tanquam primariæ formæ in noſtra præcipuam curam cuſtodiamque legum obſervandarum, & compeſcendarum transgreſſionum ac violationis jurium ſibi merittiſſimo vindicat (§. 156.) Vrgentur vero ad hæc optimates non ſolum nobili officio primariæ formæ peculiari, ſed & officiis communibus privatisque erga ſe ipſos, & alias formas ſecum ſociatas, ut ſua cuique jura relinquantur ſalva.

§. 171.

Sitne Ariſtocratia triformis optima reſpublica temperata?

Simpliciter dici nequit, Ariſtocratiam triformem omnium temperatarum rerumpp. eſſe optimam. Videtur quidem Ariſtocratia, quæ hic eſt forma primaria, quando revera optimatum imperium infert, eo ipſo jam reliquis formis ſimplicibus eſſe præferenda, ideoque & compoſitis, quando optimo gaudet duce, per quem in articulis rerum ſubitis omnis tollitur mora, omnis arcani diſſenſionisque impedimentum; & præterea populo du-

ci & optimatibus ex aſſe reſpondente, nec vitæ nec lacertis, quoties opus eſt, parcente. Sed poſitis iisdem conditionibus de regno triformi idem ſtatui poſſet; nec non de triformi democratia. Præterea non liquet, utrum vel ad breve tempus tantum ejusmodi conditiones junctim dari poſſint in hocce depravato naturæ humanæ ſtatu? Quapropter cum omnis resp. ſalva eſſe poſſit, quatenus & imperantes & parentes officiis ſuis non deſunt (§. 150. *ſeqq. P. VIII. Jur. nat.*); cum & graduum temperationis ratio ſit habenda (§. 53.-55.); & regionum ſeu fertilitatis ſeu ſterilitatis rerum naturalium & artium, commerciorum, potentiæ, & ſitus inter alias respp. ſeu amicas ſeu inimicas: generatim ſtatui nequit, Ariſtocratiam triformem omnia & ſingula formarum commoda optime complecti; neque de alia temperata rep. ſimpliciter dicere licebit, illam in ſe hac vel meliorem eſſe vel deteriorem, ob habendam multorum aliorum rationem curatioremque determinationem, quæ modo in hac, modo in illa rep. adeſſe poſſunt, aut abeſſe. Vnde adquieſcendum in rep. eſt, modo quantum fieri poteſt ad finem ſuum conſequendum apta ſit & maneat, quolibet ſtudente, ut quantum valet ad ejus ſalutem conferat, & contrariis obſtet. Neque enim fieri poteſt, ut ubique terrarum omnia æque proveniant, neque ulla eſt regio in terris, de qua id verum eſſet, neque ſi qua talis fingatur, in ea omnes homines contineri & beatiſſimi eſſe poſſent; ſed terra ubicunque poteſt eſt habitanda, & ad hominum ſalutem ac ſummam Dei gloriam quam optime excolenda & adhibenda, moribus in utrumque rite conformatis; & contrariis pro virili omnium civium cohibitis eliminatisque.

Tam ſapienter a Deo facta ſunt omnia, ut ſalva neceſſaria varietate, quæ itidem ſummæ ſapientiæ eſt opus & documentum, ubivis terra aptum eſſe poſſit rerum naturalium promtua-

rium domiciliumque aliarum aliarumque; & ut homines ubicunque vellent conſtituere poſſint civitatem, cujuscunque vellent generis indolisque a Deo inventæ, & ab ipſis rite electæ cultæque, & in eadem felices eſſe, ſuis quisque partibus rite fungendo. Vti non omnibus omnes gradus facultatum humanarum dari potuerunt, ita nec omnibus eadem convenit vel forma reip. vel graduum felicitatis ratio. Si qua comparatio eſſet inter ſummi imperii formas inſtituenda, ea quæ Dei eſt in omni rerum univerſitate, primas mereretur. Sed ea eſt omnium ſimpliciſſima, eſt monarchia monarchiarum univerſaliſſima & ſumma. Quare ſi unicus omnium hominum ponatur eſſe perfectiſſimus ratione omnium, quæ in hominem cadere poſſunt, poſitis omnibus reliquis in omnibus cæteris, qui dari poſſunt, gradibus perfectionis inferioribus; is utique jure meritoque omnium foret Monarcha humanus, ſupremusque in omni hominum genere in æternum perennaturo. Eum vero omnis peccati expertem eſſe debere liqueret.

§. 172.

Vbi imperantes perpetui ſint vel non?

In Ariſtocratia triformi cum dux tum optimates, tum populi jura exercentes, vel poſſunt eſſe perpetui vel temporarii, prout civitas vel abundantiam vel penuriam idonearum perſonarum ſentit, & ipſi conſultius videtur. Ducem eſſe perpetuum tum expedit, cum omnis ejus poteſtas ita eſt in ordinem redacta, ut periculoſa fieri rei publicæ non poſſit; partim propter ſingularem ſcientiam & prudentiam, partim propter experientiam diuturnam, longo demum uſu perficiendam (§. 165.). Quo pauciores ſunt adeo virtute excellentes, eo rarius fieri poterit, ut plures quam unus æque digni ſint ducatu. Quo pauciora vero duci curanda ſunt, & quo pauciora in ipſo ac vulgatiora requiruntur, eo plures erunt idonei, eoque breviori tempore alii aliis poterunt ſurrogari.

Optimatum & populi jura exercentium par fere ratio erit, ſcilicet, quo major ſcientia & peritia ab ipſis requiritur in tractan-

tractan-

tractanda rep. & quo pauciores illa præstantia præditi reperiuntur; eo erit rationi convenientius, ut optimates sint judicio senioque graves & exploratæ fidei & virtutis viri, ideoque perpetui legum custodes præsidesque, iisque mortuis demum alii præsto sint, qui ipsis sufficiantur. Quo major vero illorum copia habetur, eo aptius excitandæ cohonestandæque virtuti merentium erit, ut ipsorum functio sit brevioris temporis, v. c. semestris, annua, vel duorum aut plurium annorum, nec præter necessitatem ultra statutum tempus prorogetur. Aliæ quoque functiones majoris momenti possunt in eadem rep. recte perpetuari & legibus sapienter circumscribi; aliis tantum præfixo tempore gerendis.

Supra notavimus, Athenis fuisse olim archontes perpetuos, tum decennales, denique annuos ad §. 162. Areopagitarum vero munus, Solonis instituto non conferendum nisi in maximis reip. negotiis absque vitio jam versatis, erat perpetuum, nisi quis desciscens ab integritate vitæ se eo indignum reddebat. Romæ consules legebantur quotannis, venetiis senatores itidem singulis annis ab universo civium cœtu creantur. A senatu 16. cives leguntur præconsultores, quorum magistratus semestris est. In rep. temperata libertati & æqualitati civium est litandum. Ea propter quotquot digni sunt munere quodam publico, illi eodem jure gaudent illius adipiscendi, ac alii. Quapropter brevitate functionis fieri potest, ut paribus paria sint munera & jura, quibus pariter fruantur, itaque invidia & simultates, factionesque evitentur.

§. 173.

Dux potius eligatur quam ulla lege succedat.

Cæterum ducali Aristocratiæ satius est, si duces pro meritis eligantur, quam lege quadam sibi succedant. Sunt enim duci committenda negotia maximi momenti publica, quæ sæpius moram nullam patiuntur, & quæ tamen ipse melius expedire possit, quam quisquam alius (§. 166.). Est & eidem jus dirigendi

di cæteres functiones ad salutem publicam (§. 167). Quæ cum singularem requirant scientiam, peritiam & experientiam, quæ paucissimis esse solet, nec generatione propagatur, sed partim ingenio nititur eximio, partim ejus cultura exquisita (§. 605. *P. I. Polit.*): obvium est hæc consideraturis, omnino rectius consuli Aristocratiæ ducali, si dux eligatur omnium merentissimus, adhibito quoque modo eligendi fraudes erroresque longe removente, quam si vel optima lege illius successio stabiliatur (§. 613. *ibid.*).

Laconum reges olim succedebant, sed cum aliis nominibus tum & hoc ipso Regnum illis non Aristocratia temperata tribuitur a quibusvis, etiam Philosophis ejus ævi summis. Similiter Regnum erat Atheniensibus etiam cum post Theseum perparum potestatis regiæ ipsis superesset. Postquam abolito nomine regio archontes sive principes perpetui jamque ad rationes reddendas obligati placuerant, hi quidem succedebant sibi jure successionis & generationis e regio sanguine ultra 3 sæcula. Post quæ decennales & tandem annui legebantur archontes novem viri. Et ratione & usu rerum approbarunt electionem ducis respublicæ recentiores, quibus dux arrisit & retinetur hodieque. Adduximus quoque quemdam veluti labyrinthum electionis Venetiis ideo receptum, ut excluderentur eo magis errata & affectuum temerationes ad (§. 616. *P. I. Polit.*). Aliis tamen brevior placuit electionis via, cum non ipsa multitudo actionum, sed ratio nocitura removere debeat & religio. Hinc sufficeret, si tum candidatorum tum ducis electores præter religionem jurisjurandi adstricti sint ad damna reip. refundenda, quæ dux forsitan sit reip. sua saltem culpa daturus, ipseque reparare nequeat. Eo enim cautiores habebit electores seu suffragatores eoque acriores inspectores & consiliarios, ne quid detrimenti capiat resp. Vid. notata ad (§. 615. *P. I. Polit.*). Si enim non alii ad electionem admittuntur, quam qui sint solvendo, vel suomet periculo peccare prohibebuntur nolentque.

§. 174

§. 174.

Si Aristocratia popularis arrideat, impendia in splendorem ducalem non erunt necessaria, & urgente id necessitate dictator vel belli prætor citra tantam pompam habebitur. Dicitur quippe Aristocratia popularis, in qua Aristocratia est forma primaria, cui adjuncta est Democratia tanquam secundaria forma (§. 32). Quia illa Aristocratia tantum temperatur ope Democratiæ, nulla hic datur ratio ostendendæ magnificentiæ ducalis serenitatisque paulo minoris, quam regiæ. Neque ideo opus est sumtibus in istum splendorem insumendis; sed sufficit, si optimates mediocri præcellentia, qua vel ducibus gaudentes egent, utantur. Liquet ergo, tunc impendia in ducis splendorem facienda neutiquam esse necessaria, sed potius superflua fore.

In populari Aristocratia minores sumtus publici requiruntur, & pro re nata dabitur dictator.

Si quando necessitas ingruat, utendi summo belli prætore, qui par sit rebus bellicis feliciter gerendis, & in rebus moræ impatientibus difficillimisque consilia capere possit ex arena: tum eligi ad tempus poterit ejusmodi vir, cui ista optime committi possint, qui minus recte se gerendo in jus vocatus damnari debeat, bene re gesta autem præmio sit condecorandus. Equidem si de ipsius fide, ut par est, satis constet cum ex vita & moribus, tum ex religione jurisjurandi, nulla alia cautione opus erit; nisi in casum avertendæ omnis corruptionis cæterorum militiæ præfectorum, ipsorum militum Sacramento, vel imperata a quoquam duce aut præfecto reip. manifesto adversa deprecandi. Ne quid tamen fingatur, quod non est, non id ipsis nisi suo periculo licebit, si falsa sequuti esse deprehendantur. Hunc belli prætorem nulla indigere pompa ducali, per se est manifestum.

Ejectis Romæ regibus, penes Consules & senatum erat imperium, ita tamen ut Brutus avidum novæ libertatis populum, ne postmodum flecti precibus aut donis regiis posset, jurejurando adi-

adigeret, neminem romæ passuros regnare, utque senatus au-geretur ex equitibus selectis patribus conscriptis, ut trecentorum summam expleret. Rerum divinarum, quæ regis fuerat, curam Pontifici subjecere, bona regia post detectam conjurationem plebi dedere diripienda. Cum fama ferret, Valerium affectare regnum, augeretque consulis animum, ipse vocato ad concilium populo submissis fascibus in concionem adscendit. Gratum id multitudini spectaculum fuit, summissa sibi esse imperii insignia confessionemque factam, populi quam consulis majestatem vim-que majorem esse. . . Propter quæ & alia dein Publicola dictus fuit Valerius. Deinde in maximarum rerum exspectatione sol-licita civitas dictatoris creandi consilium iniit, & ut consularis crearetur, lex jussit de dictatore creando lata: sic T. Lartius, post hunc A. Posthumius dictator factus, qui sibi magistrum equi-tum adscivere. Oborta seditione populi adversus ferociores senatores, cum hostes in armis essent, dictator creatus est M. Valerius, Volesi filius, populo non ingratus. Quæ *Livius* fu-sius enarrat *Lib. II.*

§. 175.

Modus conservandi Aristocratiam popularem.

Opus vero erit potissimum, ut optimates erga plebem sint popu-lares, & accurate tum dominatum tum Ochlocratiam affectantibus ob-stent. Cavendum enim est, ne resp. temperata facile corrum-pi possit, ope remediorum corruptionis, quæ abusum poten-tiæ & potestatis libertatisque impediunt (§. 70.). Quæ cum vitiis optimatum, utpote invidiæ, discordiæ, ambitioni & su-perbiæ erga populum debeant mederi, illorum fuga generatim summa requiritur, & virtutum contrariarum illis vitiis studium minime vulgare, quæ summa æquitate & in popularitate velut cardine suo vertuntur (§. 28. & 31.). Ne autem quisquam aut uno plures dominatum affectent, remque publicam multis involvant calamitatibus; aut ex altera parte populus sibi jura optimatum arroget, validissimis cavendum est legum sanctionum pænalium & religionis repagulis, & vigilantia optimatum dili-

diligentiſſima prudentiſſimaque (§. 67. & 127.). Certum enim eſt, ex diſſidiis violatisque aliorum juribus non poſſe non animos erga ſe invicem exacerbari, & exulceratos animos in vehementiſſima proclives eſſe odia excidiaque, ſaltem in defenſionem & victoriam ab adverſariis reportandam.

Commendandum eſt optimatibus populi patrocinium, quod favorem defenſionemque ejus in cauſis quibusque juſtis & æquitati conſentaneis infert, ne facile a quoquam ulli injuria fieri poſſit. Quale olim apud Romanos viguiſſe, notavimus ad §. præcedentem, quibus exemplis plura alia addi poſſunt a quolibet patrocinium populi inculcaturo. Vt æquitas in pœnis & mitigatio alias, ſeveritas quoque, ubi opus eſt, adhibeatur, in Ariſtocratia populari ſuffragia & optimatum & populi ſunt meritis conformanda, cavendumque in pœnis capitalibus ne quis vel optimatum, vel ex populo damnetur, niſi ſui ordinis potiſſimum ſuffragiis delegatorum judicum minime ſuſpectorum. Nihil enim efficeretur, ſi optimates illum damnent, populus abſolvat, de quo agitur. Si vero optimatem populus, vel populum optimates damnarent, facile orirentur querelæ, contentionesque inanes forte, periculoſæ tamen reip. At ſi accuſante altera forma alterius membrum, huic judicium permittitur in ſuos exercendum ſecundum acta & probata ab iis, qui ſunt & ejusdem formæ ſocii, & ab utraque forma a partium ſtudio alieni agniti, & ad juſtitiam exacte ſectandam jurato adſtricti; reſervato formæ utrique inprimis accuſanti jure mitigandi aut remittendi pœnam dictatam per dictos judices: anſa querelarum de iniquitate optime removetur, & concordiæ, ſtabilitatique temperationis, mutuæque amicitiæ firmamenta præbebuntur exquiſitiora. Plura huc faciunt ex iis, quæ *P. I. Politicæ de Ariſtocratia* oſtendimus, hic non repetenda. Conferri hic etiam poſſunt, quæ *Ariſtoteles Lib. V. Polit. c. 7.* attulit, e quibus hæc hic ſuffecerint: Diſſolvuntur maxime & respp. & Ariſtocratiæ propter transgreſſionem juſtitiæ in ipſis factam. Cujus origo eſt non bene temperatam eſſe in rep. Democratiam &

Oligarchiam, quas & respp. conantur miſcere & Ariſtocratiæ bene multæ, ideoque aliæ magis, aliæ minus ſunt ſtabiles. Bene temperatæ & juſtitiam colentes utique tutiores ſunt aliis. Facile enim adquieſcunt æquum habentes, ſuo contentæ. Qui autem divitiis abundant, ſi resp. illis excellentiam tribuat, illi contumelia afficere alios & vexare, ac plus, quam par ſit, bonorum adipiſci ſtudent. Quare & *L. II. Polit. c. 9.* monuit, opus eſſe, rempublicam, quæ conſervari debet, cunctas partes civitatis velle ſtare & permanere easdem ſ. ſalvas.

§. 176.

Cujus nomine res gerendæ in hac Ariſtocratia?

Ob præcellentiam optimatum in Ariſtocratia populari negotia ſumma gerentur vel ſolius ſenatus, vel ſenatus populique nomine & autoritate. Etenim in Ariſtocratia populari præpollent optimates (§. 164.), inde præcipua majeſtatis jura ſunt penes ipſos (§. 154. *ſeq.*). Quæ idcirco ſoli ſuo nomine exercent (§. 80.). Quæ vero ſoli exercere vi pacti temperantis nequeunt, ea ſine conſenſu populi exercere non poſſunt (§. 64.). Hæc igitur nomine optimatum & populi ſimul ſunt gerenda. Conficitur inde ob præcellentiam optimatum in Ariſtocratia populari negotia ſumma gerenda eſſe vel ſolius optimatum concilii, vel populi ſimul autoritate.

Exemplo hac in re nobis eſt resp. romana. Romulo enim e vivis ſublato, & plebe fremente, multiplicatam ſervitutem, centum dominos pro uno factos: patres offerendum ultro rati, quod amiſſuri erant, decreverunt, ut cum populus regem juſſiſſet, id ſic ratum eſſet, ſi patres autores fierent. Ergo concione convocata interrex: quod bonum, fauſtum, felixque ſit, inquit, Quirites, regem create. Ita patribus viſum eſt; patres deinde ſi dignum crearetis, autores fient. Quod adeo gratum plebi fuit, ut, ne victi beneficio viderentur, id modo ſciſcerent juberentque, ut ſenatus decerneret, qui Romæ regnaret. *Vid. Livius Hiſt. Lib. I. c. 17.* Poſt reges expulſos nihil frequentius ſucceſſu

successu temporis in promulgandis legibus, pactisque publicis auditum est, quam illud? *Senatus populusque romanus.*

§. 177.

Si democratia sit temperata vel temperanda, primaria forma in ipsa non erit nisi popularis. Si enim democratia est temperanda, statui populari adjungenda & alia quædam civitatis forma, ut vel biformis fiat vel triformis (§. 43.). Sed temperatio ejus ita fieri nequit, ut singulis simplicibus formis æqualia essent jura (§. 44). Inde primaria forma illa ipsa erit, quæ est temperanda, penes quam potiora sunt majestatis jura, & quæ cæteris quatamtenus præest (§. 45.). Adjuncta igitur vel monarchica, vel Aristocratica forma, vel utraque non erit nisi secundaria, primaria autem erit popularis (§. 45. & §. 151. *seq.*). Quemadmodum vero populus in democratia pura uni vel pluribus committens exercitium imperii sibi reservat jus in omnes actus imperantis (§. 164. *P. VIII. Jur. nat*): ita in democratia temperata secundaria quidem jura sunt penes aliam formam, ita tamen, ut rebus male gestis ratio & pœna populo sit danda (§. 148. & §. 166.).

De primaria forma in democratia temperata.

§. 178.

Quia democratia temperata vel biformis est vel triformis, & biformis vel ducalis esse potest vel Aristocratica; triformis vero itidem ducalis esse potest (§. 43.): innotescit cunctis, uti in Aristocratia, ita & *in democratia temperata aliam dari ducalem, aliam aristocraticam utrobique autem præpollere Democratiam* (§. 45. & 147). Indidem perspicitur quoque, *ducalem vel esse biformem tantum, vel triformem* (§. 165.). Ducalem inter illas primo loco esse ponendam, patet per (§. 164.).

Democratia temperata quotuplex sit?

De hac temperatione *Hertius in Elem. Prud. civil. P. II. Sect. I.* §. 1. scribit: Quemadmodum temperamenta in Aristocratiis, ita & in politiis insignem usum habent. Hinc Politia etiam regie temperata laudari meretur, quoniam obstaculo est, ne popula-

 ritatis

ritatis ſtudium & libertatis abuſus in factiones & licentiam abeat. Quam ipſe regie temperatam dicit, eam nomine aptiori ducalem diximus, quia reges populo ſubeſſe non conſueverunt. Alias regia brevius dici potuiſſet. Diſertius de illa exponit in *Anacephal.* §. 249 - 51. Politia vel pura eſt, vel temperata. Temperata vel eſt regie, ubi unus aliquis autoritate eminet, ſed ſuadendi magis, quam jubendi poteſtate; vel ariſtocratice, ubi univerſæ multitudini ſenatus quidam isque perpetuus, velut anchora concionis popularis præſidet, nec ſenatores mutantur niſi morte aut turpi facto, quod remotionem mereatur.

§. 179.

Vnde agnoſcatur democratia præeminere?

Præponderante in democratia temperata imperio populari (§. 176.) neceſſe eſt, ut præcipua imperii jura ſint penes populum (§. 150), & majeſtatis titulus in ipſum non cadat (§. 153.); populus tamen cæteris præſit (§. 154.) & Jure fœderum, pacis & belli, legum ferendarum & abrogandarum imperio & dominio eminente & ſuprema jurisdictione gaudeat, ejusque nomine omnia gerantur (§. 155.).

Ordinis ratio quidem efficere poteſt, ut dux vel optimates prius nominentur honoris cauſa, re autem vera populus primarias imperii partes ſibi reſervaret. Hinc Servius jactari voces audiens, *ſe injuſſu populi regnare*, conciliata prius plebis voluntate, agro capto ex hoſtibus viritim diviſo, auſus eſt ferre ad populum, *vellent juberentne ſe regnare?* Quo facto is tanto conſenſu, quanto haud quisquam alius ante, rex eſt declaratus. *Livius L. I. c. 46.* Immo Tullus rex belli indicendi hanc formulam feciali præſcripſit: ego ſum publicus nuntius populi romani, juſte pieque legatus venio, verbisque meis fides ſit - - - - Quod populi latinorum adverſus populum romanum Quiritium fecerunt, deliquerunt, quod populus romanus Quiritium bellum cum priſcis latinis juſſit eſſe, ſenatusque populi romani cenſuit, conſenſit, conſcivit, ut bellum cum latinis fieret: ob eam rem ego populusque romanus populis priſcorum lati-

latinorum hominibusque priſcis latinis bellum indico facioque. Vid. *Livius Lib. I. c. 32.* Quibus verbis regis ne quidem mentio fit, qui tamen de bello inferendo patres conſulebat, eorumque majore parte bellum conſciſcente jubebat illud indici; & fecialis ſe nominat ante ipſum populum romanum. Vti inde inferri nequit, bellum non eſſe indictum geſtumque regis auſpiciis, ſed fecialis populique romani: ita quoque ſi populus in rebus publicis propalandis gerendisque præmitteret nomen ducis ſuo nomini, vel & ſuum nomen omitteret, ducis tantum & optimatum facta mentione, non poſſet inde concludi, populi imperium non eſſe primarium (§. 164.), re ipſa id ſatis loquente.

§. 180.

Quænam duci ſint committenda in ducali democratia?

Democratiæ temperatæ duci eadem committi rite poſſunt, quæ duci in ariſtocratia ducali recte attribui poſſe oſtendimus. Vti in Ariſtocratia præcipua imperii ſummi jura ſunt penes optimates, & ſecundaria innocua penes ducem (§. 164. *ſeqq.*): ita in democratia temperata ſumma rerum eſt penes populum (§. 177.), inde primaria forma in ea eſt democratica, ſecundaria ducalis. Quamobrem quæcunque ſalva ariſtocratiæ prærogativa committi poterant duci ejusdem, eadem quoque in democratia ducali committi poterunt duci, ſalvis populi privilegiis ſibique reſervatis juribus (§. 146. *ſeqq.*). Oſtenſum vero eſt, quænam duci in Ariſtocratia ducali recte concedantur (§. 166-168.). Vnde cogitur, eadem quoque jura duci democratiæ ducalis committenda eſſe ſaltem committi arbitrio populi poſſe, quatenus ipſi conſultum videtur: quia & hic graduum varietas locum habere poteſt (§. 53. *ſeqq.*). Item quemadmodum duci rependi poteſt in Ariſtocratia ducali diſpendium potentiæ (§. 169.): ita idem fieri poſſe in democratia ducali facile eſt judicatu.

Compendio hujus §i multa comprehendo, quæ ſeorſum enumerare & repetere ſupervacuum exiſtimavi. Evolventi enim

cita-

citatos §os, iſta cuique per ſe patent. Non intelligimus vero per duces demagogos, qui in democratia abſoluta reperiuntur, nec ſunt niſi vel præpotentes; vel populi adulatores aſſentatoresque, quibus fides a populo adhibetur. Vid. *Ariſtoteles L. IV. Polit. c. 4.* Ponamus democratiam georgicam, (agricolarum) quam *Ariſtoteles* optimam vocat inter democratias *Lib. VI. Polit. c. 3.* contentam poteſtate creandi magiſtratus & corrigendi delicta, unum conſtituere dictatorem aut belli prætorem. Fere uti apud priſcos Germanos reges ex nobilitate, duces ex virtute ſumebantur; neque regibus infinita aut libera erat poteſtas, & duces exemplo potius quam imperio, ſi prompti, ſi conſpicui, ſi ante aciem agant, admiratione præerant: teſte *Tacito in German. c. 7.* Exemplo eſſe poteſt eorum dux *Arminius* de quo *Tacitus Annal. L. II. c. 88.* hæc memoriæ prodidit: Cæterum Arminius abſcedentibus Romanis & pulſo Mantoduo, *regnum affectans*, libertatem popularium adverſam habuit; petitusque armis cum varia fortuna certaret, dolo propinquorum cecidit, liberator haud dubie Germaniæ, & qui non primordia populi romani, ſicut alii reges ducesque, ſed florentiſſimum imperium laceſſierit, præliis ambiguus, bello non victus. Septem & triginta annos vitæ, duodecim potentiæ explevit.

§. 181.

De triformi democratia.

Triformis democratiæ eadem eſt ratio in juribus imperii diſtribuendis, quæ in triformi Ariſtocratia, niſi quod ſibi primarias partes vindicat democratia, relinquendo cæteris, quod illis innoxie tribui poteſt. Temperatione ſapienti commoda miſcendarum formarum ſimul ſunt obtinenda, tuenda & amplianda, quantum fieri poteſt; incommoda vero arcenda (§. 7. & 8). Quam obrem cum primaria jura reſervanda ſint formæ primariæ, ſecundaria vero niſi ſecundariæ danda (§. 45.) & temperatio fieri non debeat, niſi conſequendæ melius ſalutis publicæ cauſa (§. 62.); democratiæ reſervanda ſunt in triformi democratia jura primaria, ſecundaria vero cæteris formis, ita tamen, ut cuique eo potiſſimum tribu-

tribuantur, quibus ipſa melius fungi poteſt, & tantum abuſui quam optime occurratur (§. 101. & 124). Quoniam & in Ariſtocratia & in democratia triformi eædem ſunt formæ ſimplices, & primaria imperii jura utrobique ſunt penes plures (§. 147): utrobique duci tribui debet jus innocuum circa res moræ impatientes aliasque ab uno melius expediendas, quam a pluribus (§. 166. *ſeqq.*); quænam populi jura eſſe debeant, patet ex (§. 154. *ſeqq.*), quorum abuſui cum iis modis medendum, qui in democratia ſola valent, tum juribus cæterarum formarum, in hunc finem inſtitutis. Quæ vero optimatibus concedenda ſint, patet ex (§. 124). Triformis igitur democratiæ in juribus ſummi imperii diſtribuendis par propemodum eſt ratio, ac Ariſtocratiæ triformis, niſi quod primaria jura in illa non optimatibus ſed populo ſunt reſervanda, cæteris vero conferendum, quantum abuſui democratiæ præcavendo ſufficit, iisdemque & ſalva populi prærogativa & ſic tribui poteſt, ut eo rectius fungantur, quam populus valeret.

Duæ ſunt rationes in temperatione præſertim attendendæ, ſcilicet ut cuilibet formæ tribuatur id, quo illa rectius fungi, quam alia ulla poteſt, ſalvis primariæ formæ juribus; & abuſui jurium cujusvis formæ quam optime ope adjunctæ formæ jurium obviam eatur & obices ponantur. Poſita igitur democratia in noſtro caſu ceu forma primaria, popularis imperii abuſui nævisque medendum eſt tanto jure, quantum huic ſcopo conducit, reliquis formis aſſignato; item videndum eſt, quid vel ab uno duce, vel ab optimatibus melius, quam ab univerſo populo adminiſtrari poſſit, ut hoc ipſis injungatur, cavente populo per rationes ſibi reddendas, ne quid detrimenti capiat resp. illorum adminiſtratione. Quæ in §is citatis diſtincte enucleata reperiuntur, ut plura ſubjungere nihil attineat.

§. 182.

In democratiam ariſtocraticam conveniunt fere eadem, quæ Ari- *De Demo-*

ſtocra-

cratia Ariftocratica.

ftocratiæ populari confentanea funt, transferendo tantum jura majeftatis primaria uti par eft in populum. Neque enim differunt democratia ariftocratica, & Ariftocratia democratica, id eft popularis, ratione materiæ feu civitatum fimplicium, fed tantum ratione formæ, quod permutata funt jura primaria & fecundaria (§. 174. & 178.). Jura enim primaria in democratia funt penes populum, in Ariftocratia vero penes optimates (§. 177. & 164. *feq.*). Quadrant igitur inftituta pleraque ariftocratiæ popularis in democratiam ariftocraticam, ordine jurium primariorum & fecundariorum permutato, five transferendo jura optimatum in populum, quantum fieri poteft. Jam ergo intelligitur, in democratia ariftocratica non opus effe fplendore ducali & in eadem pro re nata conftitui poffe dictatorem (§. 174); negotia vero fumma in eadem adminiftrari vel nomine populi folius, vel fimul nomine populi & optimatum (§. 176); erga optimates vero populum talem effe debere, quales vult in fe effe optimates in ariftocratia populari (§. 175.), hoc eft humaniffimum & meritorum admiratorem remuneratoremque.

Vera enim popularitas involvit ftudium falutis populi (§. 656. *P. I. Polit.*): cui refpondere populus nequit nifi pari ftudio falutis optimatum. Quare debita ipforum virtuti exiftimatione, meritorum præconio, præmioque digno in magiftratu fenatuque, quo carere democratia nequit (§. 569. *P. I. Polit.*) item in obeundis legationibus (§. 1042. *Jur. Gent.*) & (§. 155.) profequendi colendique, vel demerendi fic funt, ut invitentur ad majora fubinde commoda in remp. conferenda. Neque enim populo nifi omnis hiftoriæ rerum civilium ignaro, propriaque deftituto experientia, ignotum effe poteft, quantum ad falutem publicam momenti fitum fit in ea, quæ veros optimates gignit, eximia virtute. Neque fibi eadem prædito denegatum cuperet, quidquid illa meretur. Proinde optimatibus ita, ut fibi idem fieri vellet, fi optimatum effet loco, tribuere debet indemnitatem,

tem, honoraria, humanitatem, admirationem, remunerationemque promeritam. Opera enim danda, ut libertas æqualitasque civilis, quam ſibi præſertim curæ cordique habet ſtatus popularis (§. 508. *ſeqq. P. I. Polit.*), non ſolum non degeneret in turpem licentiam, vitiorum & accelerandi reip. exitii genitricem (§. 512. *ibid.*) ſed potius in æmulationem virtutum quarumque, ſine quibus felicitas reip. dari nequit (§. 40. *ibid.*) provehendam (§. 558. & 564. *ſeqq. ibid.*). Quo majori igitur ornamento civitati ac laudi ſunt, quo plus celebritatis adepti ſunt optimates, & quicunque virtutibus excellentes, eo magis ſuus ipſis conſtare debet honor præſtantiæque fructus, ut iisdem non gloriari ſolum, ſed perfici ſubinde amplius & eminere inter cæteras civitates genteſque poſſit, cum omnes obligentur ad doctrinæ morumque culturæ ſtudium (§. 54. *Jur. Gent.*).

§. 183.

Cujusmodi optimates democratiæ ſint adjungendi?

Præſtat quidem optimates habere indigenas, niſi peculiaris ratio alienigenas præferre jubeat; quinam vero perpetui eſſe debeant, vel annui aut temporarii, id ex arbitrio populi pendet & prudenter eſt conſtituendum. Emolumenta enim & gubernacula reip. non concedenda ſunt niſi optime de rep. meritis & in poſterum merituris (§. 571. *P. I. Polit.*). Sed cives indigenæ, eorumque majores plerumque & peritiores reip. & amantiores, & meritis inſigniores eſſe poſſunt & debent, quam advenæ peregrini. Quare ſi indigenæ tales ſint, quales eſſe debent, omnino par eſt, ut æque ac in domo extraneis, præſertim ſe parum aut nihil melioribus, præferantur (§. 852. *Oecon.*). Si qua tamen peculiaris ratio occurrat, propter quam præferri mereantur peregrini, ſalutis publicæ magis promovendæ cauſa, quin illi tum recte præferantur dubium eſſe nequit (§. 86. *P. VIII. Jur. nat.*).

Quia a populi voluntate pendet, num & quatenus imperium ſibi retinere, item qua lege & quatenus illud in alios

transferre velit (§. 37. & 64. *P. VIII. Jur. nat.*); item num imperium debeat esse perpetuum an temporarium (§. 210. *seqq. ibid.*): Etiam in arbitrio populi erit, num in temperanda forma populari eidem adjungere velit optimates perpetuos an temporarios. Quoniam vero temperatio melior præferenda est deteriori (§. 56.); sapientia & prudentia opus esse intelligitur, qua, quid præstet, discernatur, eligatur, deducaturque in actum in constituenda temperatione (§. 612. *P. I. Polit.*).

Alii fuerunt soliciti, ne optimates libertati insidias struerent, ideoque more civitatum italicarum post labascentem Cæsarum autoritatem alienigenam constituere magistratum superiorem a potestate denominatum quotannis, qui summæ rerum tam pacis quam belli tempore præest. Quod institutum prudentiæ singulari tribuit *Car. Sigonius Lib. V. de Regno italiæ*, forsitan propterea, quod peregrino non potest non difficile esse, quidquam moliri contra tot indigenarum argos præpotentes. *Bononiens. Hist. Lib. II.* scribit: ad prætorem alienigenam se contulisse videntur, ut civitatum libertate abutentium gliscentia in dies certamina sedarentur, & ut jus nec odio nec gratia cujusquam variaretur. Vid. *du Cange Glossarii potestas.* Alii vero populi indigenas maluere sed plures & temporarios, ob eandem fere rationem. Sic de Atheniensi rep. *Plutarchus in Solone* refert: concioni, in quam universus populus coibat, & cujus erat suprema in civitate potestas, tanquam grandi navi, fluctuationi & tempestatibus obnoxiæ, alia duo collegia (Areopagum innuit & senatum) velut anchoras ejus subjuncta fuisse. Etenim floruisse civitatem, quamdiu salva fuit Areopagi autoritas, ruisse autem in perniciem ea sublata, ex Isocrate & Plutarcho pluribus docet *Meursius in Areopagi c. 9.* annumerat munus 400. senatorum. E contrario aliis optimatibus perpetua erat potestas, uti in areopago, nisi quis propter crimen admissum esset ejiciendus. Peculiaris fuit *Coloniæ Agrippinæ* consuetudo, ubi consulatus manet inter viros sex, ita ut tertio quoque anno ad unumquemque redeat, ideoque semestris sit consulatus.

ex re id consequuntur, ut nec unius nimia sit potentia, nec a rerum imperitis resp. regatur. *Conzenio L. VII. Polit. XVI. §. 13.* non probatur illa imperii brevitas, quam non meliorem statuit, ac si civitas singulis annis novum medicum crearet. Vid. *Hertius P. II. Sect. IX. §. 3. seq.* Quod tamen promiscue dici nequit, neque omnino absonum est. Ponamus medicos vel semestri spatio diem supremum claudere; ineptumne erit defunctorum loco novos adhibere? Aut si medicus electus non rite fungatur officio, præstabitne illum abdicare & novum adsciscere meliorem, quam manente inepto aut negligente vitam periculo exponere? Talis vero est reip. ratio, cujus saluti & libertati timendum est periculum. Vbi vero non imminet hujusmodi periculum, ibi nec opus est annua vel semestri tantum potestate. Patet ergo, attendendum esse ad rerum publicarum statum præsentem, & quid illi vel propter præteritum vel futurum, proprium aut aliorum similem prorsus statum imminere & expedire videatur, postquam omnia justa mentis trutina fuere librata.

§. 184.

Commoda democratiæ temperatæ procuranda.

Temperatæ Democratiæ commodis accensemus, si negotia magni momenti a peritissimis secreto tractantur, leges publicæ conservantur, ne a demagogis subruantur, si subitis recte provisum factionibus & degenerationi fores sunt ritè occlusæ. Incommoda enim democratiæ sunt præcipua, difficultas subitæ congregationis & consensionis in rebus arduis, facilis licentia agendi pro lubitu contra leges, arcanorum proditio, discordiæ & factiones, seductio populi per demagogos, & degeneratio quæcunque (§. 42.). Eorum igitur remotio vera ipsi commoda non potest non præstare. Sed in temperatione reip. sapienti curandum est, ut incommoda removeantur, commoda vero, quotquot haberi possunt, obtineantur (§. 7.). Quapropter oportet, ut in temperanda sapienter democratia opera detur, quo res magni momenti per adjunctum seu ducem, seu optimatum peritissimo-

rum delegatos ſat taciturnos nihil a proditione habeant metuendum. Præterea leges publicæ ſapienter latæ contra licentiæ machinationes ſanćte ſunt tuendæ, ne earum violatio ſenſim impunis evadat, ipſæque leges ita perperam abrogentur (§. 512. & 559. *P. I. Polit.*). Ex iisdem rationibus liquet, contra ſubita mala ſubitis utendum eſſe remediis expeditionibusque, ab adjunćta civitatis forma petendis, quam optime fieri poteſt (§. 158.). Diſcordiis vero & factionibus niſi medela parata ſit ipſa temperatione democratiæ, illa ſapienter temperata dici nequit, ſed inſigni commodo erit orbata, quo fuiſſet beanda (§. 157.). Denique commodorum agmen claudit probe probeque evitata degeneratio tum democratiæ, tum formæ eidem admixtæ, tum ipſius bene inſtitutæ temperationis; quum omnis temperationis peſtem eſſe internecinam conſtet ex (§. 68. & 163. *ſeqq.*)

Ne optimates facile oligarchiam vel tyrannidem inducant, eorum electio & remotio populo ſit reſervata: ſi ſenatus ſit perpetuus, illi quotannis adjungi poſſunt aſſeſſores annui e populo quaſi tribuni plebis. Spirenſium hoc inſtitutum correxiſſe non nihil priora vitia, autor eſt *Lehmannus in Chron.* nempe 12 ſenatores e totidem tribubus lecti perpetuum conficiebant ſenatum. His totidem ſingulis annis addebantur, lecti a perpetuis illis ſenatoribus e viginti quatuor viris, quorum duos ſinguli duodecim tribus edebant.

§. 185.

De temperatis Democratiis ruſticis, urbicis & mixtis.

Democratia temperata eſſe poteſt tum ruralis ſive per vicos ſparſa, tum urbica, tum mixta, quarum poſtrema utriusque commoda conjungere debet. Dantur enim democratiæ & per vicos ſparſæ & oppidanæ & mixtæ (§. 528. *ſeq. P. I. Polit.*). Quamobrem quælibet democratia temperari poteſt (§. 547.): apertum eſt, democratiam & per vicos ſparſam, & urbicam ſeu oppidanam & ex utraque mixtam ſapienter temperari poſſe. Quia mixta

demo-

democratia præter vicos & pagos simul oppida & urbes complectitur, dari in illa poterunt & ea commoda, quæ per vicos sparsa sectantur, & ea, quæ urbicæ propria sunt. Ideoque mixtam hanc utriusque commoda sapienti temperatione conjungere fas est (§. 7.).

Tribuit *Aristoteles* primas partes Democratiæ, Georgicæ *Lib. IV. Polit. c. 6. & Lib. VI. c. 4.* proximas ab hac mixtæ *ibid.* ob rationes ad (§. 529. *P. I. Polit.*) adnotatas. Quæ si conceduntur, cæteris paribus, etiam temperatæ democratiæ rusticæ primæ, & secundæ partes mixtæ erunt tribuendæ. Cavendum tantum, quod & in simplici democratia requiritur, ne dissimilitudo dissidium animorum publicis commodis adversum pariat foveatque. Vti olim Athenis non eodem modo fuere affecti, sed populares magis, qui Pyræum habitabant, quam qui Astu: fere quemadmodum in præliis fossæ interjectæ vel exiguæ acies jam ordinatas distinent sæpe ac sistunt. Quæ verba sunt *Aristotelis Lib. V. Polit. c. 3.*

§. 186.

Quemadmodum respp. temperatæ pacis sunt studiosiores, pacisque conservationem, quam fieri potest, maxime diuturnam inter sua commoda eaque præcipua ponunt (§. 157.): ita tamen ipsis tempore pacis quoque non negligenda sunt, quibus indigent in bello fortiter repellendo & pacis causa feliciter finiendo, ubi ejus necessitas incumbit (§. 565. *P. VIII. Jur. nat.* & §. 121. *seq.* & 152. *seqq. P. I. Polit.*). Quare quia ad res bellicas feliciter gerendas opus est habitu easdem expedite tractandi æque ac ad curam corporis singulorum (§ 184. *Ethic. P. IV.*), & bellum justum gerenti auxilia præstare licet ac in officio est (§. 656. *Jur. Gent.*): *& domi exercendi atque expediti reddendi sunt in rebus bellicis milites eorumque præfecti, & stipendia recte merebuntur apud alias respublicas bellum gerentes, modo, ne contra se invicem aliaque pacta & officia militandum sit, provideatur.*

Necessaria in pace præparatio ad bellum, cauta.

Obli-

Obligantur homines ipſo jure naturæ ad mutuam defenſionem, quantam ſibi invicem præſtare poſſunt (§. 990. *ſeq. P. I. Jur. nat.*). Inita civitate firmat hanc obligationem ipſum pactum quo civitas coaleſcit (§. 2. & 28. *P. VIII. Jur. nat.*) Inde artibus quoque bellicis opus eſt, quibus bellum optime adminiſtrandum indiget. Omnes vero artes nituntur habitibus addiſcendis exercitioque & uſu frequenti conſervandis perficiendisque. Quamobrem & bellicæ artes aliter adquiri excolique nequeunt, quam exercitio frequenti. Quod quando domi umbraticum duntaxat eſt, ut in feriis occupari & obdureſcere poſſit, & veterani in artibus militaribus probe ſubacti habeantur, qui imminente bellandi neceſſitate, tirones docere regere & ſibi pares efficere poſſint: recte illi, quibus domi non indiget resp. pacata, tanquam copiæ auxiliares & ſtipendia merendo augebunt res patrias, & fortitudinem artesque bellicas excolendo majori ſibi patriæque erunt emolumento. Hunc morem Helvetiæ olim uſitari laudarique, ecquem poteſt præterire? Cum vero nefas foret, aliorum cauſa ſe ipſos interimere vel illicita agere, omnino pactis provide curandum eſt, ne unquam contra pacta officia & ſe invicem copiis auxiliaribus pugnandum ſit: prout & alia pacto caveri poſſunt copiis auxiliaribus funeſtiora & ſcopo, cujus cauſa militant, prorſus adverſa.

§. 187.

Reip. venetæ facies temperata.

a) Poſtquam ſui juris eſſe cœpit resp. veneta circa annum 697. abrogatis maritimis tribunis duce gaviſa eſt abſoluto, tanquam rege, usque ad annum 1173 auctu commerciis & provinciis, Iſtria, Dalmatia, Syria & Longobardia. Sed propter abuſum abſolutæ poteſtatis, variasque conjurationes, cædes occœcationesque ducum aliorum per alios, populus rempublicam inſtauravit antiquam, duci novo Sebaſtiano Ziano parum præter honores primos & præſidium relinquens. Inſtitutus eſt amplius ſenatus 470. civium a 12. electoribus ex omni populo creandorum, quorum arbitrio res maximi momenti gerebant-

rebantur. Quo tempore resp. democratia ducalis dici meruit §. 178. & 180.). Atque dominium maris adriatici, Candia multæque aliæ insulæ in mari mediterraneo reip. potestati fuere subjectæ. Oborto a An. 1290. gravi inter plebem & patritios dissidio ac tumultu, plebis ferocia cœpit domari, & An. 1298. magnus senatus ita reformari, ut quotquot eo anno & proximis 4. superioribus illius membra fuerant, illi certa lege cum suis descendentibus perpetui essent senatores. Quo facto summa rerum venetarum potestas transiit ad optimates, qui nobiles ibi dicuntur, & ab antiquis tribunis ac ducibus ortum ducunt. Quoniam vero sic nonnulli nobiles æque ac præstantiores ex populo cæteris postpositi erant, & quædam velut oligarchia constituta videbatur; intestinum fere bellum exarsit, atque aristocratia tandem rectius instituta est, ut ex democratia fieret prævalens Aristocratia ducalis. Missis jam rebus postea gestis & fatis reip. formam ipsius duce *Contareno Lib. I. de rep. Venet.* dicemus non immerito Aristocratiam triformem, quæ & principatum fere regium & optimatium gubernationem & civile regimen involvit, ita tamen ut summa autoritas sit penes nobilium concilium, Senatumve, nec modo in universa rep., sed & in qualibet ejus parte imperante eadem obtineat temperies. Quod cujusmodi sit, sic habendum est.

b) Princeps scilicet vel dux (il Doge) omnes honore antecellit, sed ademta omni facultate principatu abutendi, ut *Contarenus Lib. 2.* statuat, nihil minus reip. venetæ esse timendum, quam ut princeps ullum unquam libertati negotium facessat. Is quoad vixerit reip. præest, postquam scrupuloso scrutinio electus juravit, servaturum se omnia, quæ legibus dux præstare tenetur, & quæ bonum principem deceant, bonoque reip. nullius privati commodi habita ratione consulturum, inprimis justitiæ munus sancte obiturum, daturumque

operam, ut æquum jus omnibus adminiſtretur; non rei familiari, non labori ulli, non denique vitæ parſurum, ſi reip. ſuis incommodis proſpici poſſit. Is ut omnes magiſtratus in officio continere poſſit, cuivis civium collegio ſe adjungere poteſt collegam præſidi, pari cum illo jure, & unico gaudens ſuffragio, quo tamen nec gentili nec conſanguineo competitori in comitiis, more reliquorum, adeſſe poteſt. Eum tamen, qui officio ſuo defuit, accerſitum & coram univerſo collegio verbis caſtigare, & ſi res ita tulerit, de conſilii ſententia punire valet. Hinc neceſſe eſt, ut omnes ejus caſtigationem autoritatemque vereantur, & munera injuncta majori ſedulitate perficiant. Principi adjunguntur Conſiliarii 6., ſinguli ex unaquaque urbis regione vel tribu non ſecus ac ſenatores eligendi in comitiis, quorum magiſtratus eſt octimeſtris. Hi aſſident principi in concilio ducali omnia cum principe audiunt, & in rebus non magni momenti cum principe ſtatuunt, ita tamen, ut 4. ſuffragiis iisque ſcriptis opus ſit, ſi quæ literæ publicæ exire ex decreto conſilii & juſſu principis debeant. Si qua autem res majoris momenti occurrat, de ea pro re nata ad comitia eſſe referendum, vel ad ſenatum, vel ad decemviros ſuffragando cenſent ſummi hi ſeptemviri (vulgo la Signoria).

c) Decemviri optimatum loco habentur, eſtque ſummæ autoritatis eorum collegium, teſte *Contareni Libro II.* Ejus cura præcipua eſt, ne qua inter cives diſcordia, ne qua factio & conſpiratio, ne quis Catilina ſurgat in reip. perniciem. Si quid enim hujusmodi furtim obrepat, ſumma gaudent poteſtate procurandi, ne quid resp. detrimenti patiatur. Horum magiſtratus non eſt niſi annuus, & quisquis vel per diem tantum in eo fuit, is & eodem & toto futuro anno ejus muneris vacatione gaudet. Annectitur is principi & conſiliariis, ut 17. univerſum conficiant ſummum collegium. Ex decemviris ſingu-

singulis mensibus tres sorte constituuntur primores (vulgo *capi dieci* capita decemvirûm), quibus jus est cogendi collegium & ad illud referendi. Ne tamen temere is senatus consulatur, duo sint necessum est, qui de eadem re velint referre, vel quatuor consiliarii. Neque abrogare quidquam jam sancitum possunt, nisi $\frac{2}{3}$ collegii id id consenserint. Hujus collegii severitati ac censuræ postea quoque gravissima nobilium crimina & facinora enormia commissa fuere, uti adulteratio monetæ, pæderastia, hæresis, blasphemia, homicidia clandestina, magistratuum & præfectorum militiæ quorumque prævaricationes, peculatus &c. Quem in finem accersuntur tum in hoc Collegium præter sapientes primi & secundi ordinis, Advocatores quoque & Procuratores 9. S. Marci, qui maxima gaudent veneratione, & 15. Senatores, iis a comitiis adjuncti, ut tamen non suffragentur nisi decemviri, concilium ducale, & 15. adjuncti, h. e. 32. Vtuntur eam in rem *tribus inquisitoribus*, ex selectis quibus & ducem in cubiculo recubantem adeundi, ejus claustra aperiundi & literas inventariumque perscrutandi vel & eundem suffocandi aut in aquam dejiciendi potestas irrefragabilis conceditur. Licet in rebus dubiis & gravioris momenti absque senatu statuere nequeant, in rebus & criminibus manifestis tamen appellationem nullam admittunt.

d) Quantacunque autem sit hujus decemviratus autoritas, non tamen solum illud, sed simul quoque collegium præconsultorum vulgo sapientum (*il consiglio dei Savii*) ad optimates referendum erit, quod ideo decemvirali collegio præferendum censuit *de Zech* in dem Europäischen Herolde pag. 885. Jungitur id concilio ducali in gravioris momenti negotiis quo casu vulgo *collegium* vocatur, estque collectum e triumviris 40. virorum rerum capitalium (*Capidi quaranta*), & ex præconsultoribus trium ordinum. In primo ordine sunt 6. senatores

(*Savi grandi*), primarii cives, quorum præcipuum munus eſt, ut de adminiſtranda rep. de bello & pace aliisque ſummi momenti negotiis præconſultent, & conſulant Senatum. Secundo ordini inſunt quinque cives (*Savi di terra firma*), quorum eſt cura imperii continentis & militum, qui reip. ſtipendio aluntur. Tertii ordinis ibidem 5. ſunt præconſultores, (*Savi degli ordini*, ſive di Marino) quibus demandata eſt rei maritimæ cura. Hi 16. præconſultores a ſenatu eliguntur, ſemeſtri funguntur magiſtratu, gaudentque jure cogendi Senatum & ad Senatum referendi, quorum cœtus collegium appellari conſuevit. Summo mane conveniunt cum principe ac conſiliariis, alias cauſas privatorum & publicas cum ipſo decidendo, alias ad ſenatum remittendo. Quibus finitis ſecedunt in conclave ſuum de publicis negotiis conſultaturi. Vbi poſtquam conſederunt illius hebdomadis præſes rem, de qua conſilium ſit ineundum profert, rogans ſecundum tres ordines & ætatem ſingulorum ſententiam, poſtremus omnium ſuam addens. Rem diſcuſſam, ſive conſenſus adſit, ſive diſſenſus, referunt ad principis concilium, priusquam ſenatum cogant, cujus autoritate decernenda ſunt conſultata, ut fieri poſſit ſenatus conſultum ex eo quod majori parti ſenatorum eſt probatum.

e) Pari quoque ratione petitioni oratorum exterorum reſpondetur. Quæ ſenatus placita *parte* vocari, & legatis & collegii & concilii ducalis facie edi conſueverunt. Quod, *Contarenus ſub finem Libri III.* fatetur, triumviros rerum criminalium ſemper aſſidere duci, & Ariſtocratiæ eſſe, quod ſenatus nihil poſſit decernere, niſi de eo prius ad ipſum ſenatum a principe præconſultoribus & triumviris capitalibus relatum ſit. Quibus addo, patere ex narratis, ipſum principem, ſi contra remp. conſpiret, ſubeſſe judicio & pœnæ optimatum, quod luculento Marini Faletri, Ducis exemplo comprobatur, qui

qui tyrannidem moliendo decemvirûm prudentia oppreſſus pœnas dedit, perpetua inſuper ignominiæ nota affectus, ut in ea curiæ parte, in qua pictæ ſunt imagines principum cum elogiis rerum geſtarum, ejus locus ſit imagine vacuus, inſcriptis tantum verſiculis, quibus dicitur pro criminibus ſecuri percuſſus. Peculiare eſt, quod poſt fata ducis cujusque a comitiis quinque viri creantur, qui de conſilii ſententia, ſi quid ab eo contra leges ſit factum reſcindant, & ſi a quopiam munus acceperit, vel ſtatutæ pepercerit impenſæ referant ad comitia, ubi hæredibus irrogatur mulcta, quam leges jubent. Vid. *Contareni Lib. II.*

f) Senatus 120. complectitur legitimos ſenatores, quorum 60. in comitiis ſorte creantur ex nuncupatis tantum in urnam conjectis, reliqui ſexaginta eliguntur, & prioribus adjunguntur, unde nomen *la giunta.* Præter hos ſenatorum jure gaudent conſiliarii ducis; decemviri; 40. viri judices capitalium cauſarum & criminum graviorum; ſalis & annonæ frumentariæ præfecti, divi Marci Procuratores, multique præterea magiſtratus, ut ſumma ſæpe 300. exæquet. Senatus partes jure optimatibus accenſentur a *Contareno Lib. III.* his verbis: Senatus ac decemvirum conſilium in civitate veneta referunt ſtatum optimatum, velut medium, quo ſtatus popularis, magnum conſilium, & princeps invicem vinciuntur. Hic ſenatus ſtatuit de bello & pace, de fœderibus, tributis, vectigalibusque, de moneta, ærario, de præfecturis militiæ nauticæ & terreſtris, de legationibus, aliisque ſummis juribus rebusque. Idem eligit collegium Præconſultorum ſuffragiis dimidio numero pluribus, iisque tum manifeſtis; tum vero occultis, cum invito munus oneroſum eſt injungendum.

g) Comitia ſingulis fere hebdomatibus habenda ſunt, ipſo *Contareno* autore *Lib. II. & III. ſtatus Venetiarum popularis*, ubi

 ab

ab univerſo nobilium civium cœtu creantur, qui ipſius nomine rempublicam adminiſtrent, Senatores, iique nobiles. Illi conſtituunt Senatum modo dictum, eumque ſelectum ſeu expetitum, qui inde dicitur (*Conſiglio di Pregadi*). Ad comitia vero non admittitur plebs, nec cenſu potiores, ſed nobiles; dum mercenarii ſtatuuntur opifices & ſordidi, quia bonarum artium expertes nil niſi lucrum ſapiunt, & quia mercede operam ſuam locant, veluti ſervi publici. Cum ſervi non ſint liberi, nec ideo cives; majorum virtute & genere nobiles, aut ſua virtute inſignes & de rep. bene meriti, ideoque, nobilium numero adſcripti, ſolum cives ducuntur, poſtquam 25 annos nati, aut ex nobilibus 20. annos ſupergreſſis forte civitatem ſunt adepti. Vniverſus igitur civium venetorum cœtus more recepto eſt populus illius (§. 514. *P. I. Polit.*) appellaturque magnum concilium, (*grand-conſiglio*) penes quod ſummum totius reip. jus eſt, & a quo etiam Senatus magiſtratuumque omnium autoritas pendet, in hac republica vicem refert popularis ſtatus, ut verbis utar *Contareni Lib. I. de rep. Ven.* (§. 523. & 527. *ibid.*). Vniverſus hic patritiorum cœtus ultra 2500 excreſcere ſolet, qui numerus vero modo major eſt, modo minor. Amplioris hujus Concilii eſt Confirmatio legum publicarum & ſtatutorum velut plebiſcitorum; electio magiſtratuum quorum etiam extra urbem in ditionibus illius ipſiusque ducis.

h) Ne vero populus ægre ferat nobilium vel patritiorum imperium, inſtitutum eſt, ne ulli impune liceat quemquam de plebe, vel infima, injuria afficere; patricium vero plebejo contumeliam facere pro ſcelere magno habetur, qui tanto graviores dat pœnas, quanto majoris eſt dignationis. Præterea diligenter a ſenatu conſulitur tum annonæ triticeæ, tum omnium rerum copiæ quæ faciunt ad victum incolumitatem.

temque populi, cum magno ſæpe publici ærarii diſpendio. Quem in finem quoque publicæ ſalubritatis curatores excubant, & annonæ præfecti, & pauperum curatores. Diſtribuitur populus in honeſtiorem & plebejum. Plebejis reique familiaris potiſſimum ſtudioſis, opificibus, ſuæ ſunt claſſes, leges & dignitates, quibus ſuæ claſſi præſunt per vices ſub decemviris, ſuaque jura. Honeſtiores ad munera quædam decora & fructuoſa admittuntur, a quibus patricii ſunt excluſi. Sic ſcribarum vel notariorum ordo eſt honeſtius, quorum fidei & ſolertiæ codices committuntur, quibus res omnis privata & publica continetur, quorum ſtipendium rei domeſticæ amplificandæ ſatis eſt. Honeſtior eſt illorum 28, qui viris & ſenatui ſunt a ſecretis, qui reditus habent, ex ære publico 400 - 2000 aureorum annuorum, qui omnibus interſunt conſultationibus magnoque in pretio habentur, eoque in honore verſantur quoad aura vitali menteque ſana fruuntur. Princeps eorum eſt Cancellarius Venetiarum purpuratus, in commitiis creandus, cum cæteri eligantur a decemviris. Is tanto eſt in honore, ut a quovis patritio illi loco cedatur, præterquam a procuratoribus & conſiliariis, nec ullum ignorat reip. arcanum, per magnis gaudens reditibus fixis 3000. ſaliis duplo pluribus aureis, & poſt fata funebri oratione honeſtandus, ad inſtar ducis, quia veluti ducem ex populo refert. Sunt populo 5 ſocietates peculiares exornantes exſequias ſocii, qui diem clauſit extremum, quæ ſuis gaudent præfectis annuis, quorum fidei magna vis pecuniæ pauperibus erogandæ commiſſa eſt a teſtatoribus piis, ut ea in re procuratoribus d. Marci, patronis miſerorum inter patricios, minime concedant, qua in re populus nobilitatem æmulatur. Quibus tamen præſunt decemviri, caventes, ne officere reip. poſſint. Illa æquitate erga populum effectum eſt, ut libenter obtemperet, nec ullum excitet tumultum.

Acce-

Accedit, quod & nobilitas terræ firmæ ab imperio veneto excluditur, populo autem nonnulla indulgentur in luxu & voluptatibus, idem humaniter leniterque a magistratu tractatur, duæ factiones illius, Castellanorum & Nicolotarum foventur, ac subinde e civibus nobiles creantur, si 100000 aureos ærario publico inferant.

Notandum præterea est Patriarchas & clericos pariter nihil juris in imperio habere, & inquisitioni hæresium assidere tres senatores, sine quorum consensu nihil agi nec decidi potest. Dux appellatur serenissimus princeps, & Serenitas ac præses est summorum conciliorum, etiam comitiorum, ubi duobus gaudet suffragiis; confert omnia beneficia ædis d. Marci, nempe primicerii, decani & 26 canonicorum; & protector est cœnobii virginum nobilium. Olim summus erat belli & classium prætor, quod A. 1645. ita mutatum est, ut nec in ipsum nec in ullum ejus consanguineum istud imperium cadere possit. Neque ipsius filii & cognati ipso vivo ad munera insignia, ne quidem ad Episcopatum vel abbatiam admittuntur. Quia quotannis ex publico ærario 2500 aureos accipit, 4. ipsi parandi sunt singulis annis convivia lauta & opipara 60. & amplius civibus, ad conciliandam sibi civium benevolentiam. Nimirum die Stephani invitantur seniores dignioresque; die S. Marci ætate & dignitate prioribus inferioris; ascensionis festo qui virilem ætatem attigere, quibus cum bucentaurum navim conscendit, mare sibi injecto annulo aureo desponsaturus. Denique die viti & modesti epulis excipit juvenes cives. Adhibentur semper ante convivium solennes sacrorum pompæ, in conviviis autem saltatores, mimi, cantatores egregii, & ludi. Hieme præterea ne quis præteritus videatur, singulis jure suffragii in comitiis gaudentibus 5. anates marinæ veluti convivii portio mittuntur. Dux stipatores alit complures sed inermes, præsidia in sola virtute habiturus. A qua ne desciscere possit in palatio ducali splendido velut in carcere custoditur & observatur a reip. inquisitoribus speculatoribusque, neque sine venia urbe excedere potest.

Hinc

Hinc dicitur esse lex in purpura, Senator in curia, in urbe captivus. Si quid ab officio alienum committat, id illico statuæ d. Marci loquuntur & tecte denuntiant. Proximum ipsius conclavi est decemvirale tremendum tribunal non sine monito constitutum. Eligitur plerumque senex, & quando præesse amplius nequit, abdicatur invitus, uti invitus quoque eligi sæpe solet, neque enim principatum, istam nobilissimam servitutem, electo declinare neu eidem post aliquot annos valedicere fas est, cum id facturus proscriberetur publicatis bonis. Absente, ægroto, vel mortuo duce vices illius tuetur consiliariorum primas dispari tamen honoris gradu utens, nec insignia ducis usurpare audens. Idem comitia eligendi ducem illico indicit, ne interregnum 8. dies excedat.

Quia a pacto civitatis seu expresso seu tacito pendet, quinam civium loco sint habendi, ratione summi imperii nihil novi Venetiis est constitutum, quando ab eo interni cives ignobiles, item nobiles nondum viginti annos nati, exceptis illis, qui sortis beneficio post annum ætatis vigesimum recipi solent, & multo magis nobiles ditionis externæ removentur. Imitati enim sunt Sesostrim antiquissimum Aegyptiorum legislatorem, qui *teste Aristotele L. 7. Polit. c. 10.* genere distinctos esse voluit eos, qui armis regionem tuentur, quive de bono publico consultant, ab agricolis mechanicasque artes exercentibus, mercenariam operam locantibus. Inde *Lib. III. Polit. c. 5.* ad quæstionem, num opifices & mercenarii sint cives nuncupandi, respondet, non omnes dicendos esse cives, quibus civitas carere nequit. Vetustis temporibus opifices fuisse servos, aut peregrinos: optimam civitatem (Aristocratiam putat, in qua honores virtuti tribuuntur & dignitati) nunquam civem facere opificem, cum publice ministret aliis, vilis & sordidus. In quadam tamen rep. opifices & sordidos esse cives & nothos, propter civium paucitatem & defectum; aucta multitudine illos & spurios paulatim excludi, & præferri habiles ad honores capessendos. Vti apud Thebanos lex fuit, ut nemo habilis esset ad honores reip. suscipiendos, nisi decem annis a Mercatura abstinuisset.

Si quis in vulgari civium notione adquieſcat, & nobiles tantum ſupra dictos præeſſe Venetiis conſideret, is facile remp. Venetam dicet Ariſtocratiam ducalem vel ariſtocratiam ariſtocratice temperatam cum *Hertio. El. prud. civ. P. II. ſect. 7. no. 19;* vel Oligarchiam nobilem, in qua populi non niſi exigua habetur ratio, vel medio vocabulo *imperium primorum*, quod *Zecchio l. c. p. 884.* placuit, cum nobilitatis imperium multis modis variari poſſit, & reſtringi, licet cives quorundam munerum civilium & militarium ſint conſortes, quibus nuda obſequii & fidei gloria ſit relicta. Enimvero ſi populi & civium nomen non notat in politicis niſi participes imperii obſequiique publici, negari nequit, quod ipſi Veneti largiuntur, popularem ſtatum præpollenti Ariſtocratiæ, qualis haberi in hac hominum ſorte poteſt, eſſe admixtum. Ipſa enim comitia complectuntur & infimi generis cives, qui imperii ſunt participes, & paulatim ex civibus orti ac virtute meritisque de rep. nobilitati. His tamen comitiis non illa ſunt jura, quæ concioni Athenienſi, judicandi de ſenatus actis, jubendi bellum, reficiendi pacem, pangendi fœdera, hæc enim aliorum eſſe oſtendimus. Sed eligit magiſtratus & confirmat leges, quæ in formam ſecundariam cadere poſſe, conſtat ex (§. 163. *P. VIII. Jur. nat.*) ubi oſtenditur, ariſtocratiam eſſe temporariam, in qua populo quidem jus eſt quotannis conſtituendi perſonas, qui imperium ſummum habeant. Præterea Cancellarius reip. Venetæ non eſt nobilis, nec fieri poteſt, & tamen veluti dux civium purpuratus eſt, tanquam ſecundus a duce, ipſe omnium arcanorum eſt conſcius, plurimos antecedit nobiles, & ſigillo reip. munit publica ſcripta &c. Sed de nomine reip. Venetæ, aut ullius alterius, non eſt cur multum laboremus, modo de re ipſa conſtet.

§. 188.

Temperatio Reipublicæ Genuenſis.

a) A variis rerum diſcriminibus, hic non commemorandis, Reſpublica Genuenſis in eum libertatis ſtatum adſpiravit, in quo etiam nunc verſatur. Contigit illud potiſſimum, & cum Caroli V. auſpiciis a Gallorum imperio liberaretur,

A. 1518

A. 1518 Dux *Andreas Auria* (*d' Oria*) reformatione reip. nomen patris patriæ mereretur. Quoniam dissidia nobilitatis & populi tantum non imminentis reip. exitii causa fuerant, ad illa abolenda factionum nomina sustulit, & cives eorundem imperii & honorum jurium participes reddens, selectis nempe in hunc finem 23 familiis antiquæ nobilitatis, & quinque familiis plebejis. Metropoli & reip. Genuensi plura quam decem oppida Liguriæ, una cum insula Caposavia & regno Corsicæ Pisanis erepto subsunt, cives vero Genuenses circiter 80000.

b) Gaudet Resp. Duce, qui die Januarii tertio a majori senatu sic eligitur, ut primum conclavi includantur 50 nobiles globulorum aureorum sorte electi, qui 20 nuncupant candidatos e quibus 15, qui plura retulerunt suffragia, deferuntur ad minorem Senatum, suis suffragiis sex eligentem quinquagenarios senatores candidatos quorum singuli & alii his digni sunt judicati ducali Sparta. Ex his deinde major Senatus eum constituit ducem, qui plurimis gaudet globulorum suffragiis. Qui inauguratus palatio ducali ita adstringitur velut captivus, ut egressus in privati civis sortem recidat. Autoritas ejus tanta est, ut sine ipsius consensu in rep. nihil valide decernatur agaturque; ipse vero ut præses argumenta rerum deliberandarum exhibeat, legatos audiat, collegia convocet, & ejus nomine omnia expediantur negotia. Quingentis gaudet armatis corporis custodibus helveticis, non tamen nisi biennium suo muneri præest, futurus postea perpetuus procurator annua pensione 500 scutatorum (Scudi) gavisurus. Adjunguntur eidem 12 gubernatores ultra annos 40 nati, non mediocris prudentiæ famæque, ab utroque senatu simili fere ratione ac dux electi, qui Protosynedrium seu summum conficiunt concilium (la signoria) cum duce. Singulis semestribus duo novi creantur gubernatores, ut pariter biennali munere fungantur.

 c) Ho-

c) Horum Gubernatorum deliberationes expeditionesque occupantur in negotiis publicis levioribus arcanis subitisque maximique momenti. Cætera graviora, quæ moram patiuntur ad senatum majorem sunt referenda. Bini illorum duodecim virorum duci in ipso palatio per trimestre spatium semper præsto sunt, reliquis domi suæ degentibus. Hi cum duce majori intersunt senatui & finito biennio procuratorum numero aggregantur itidem in biennium, quorum procuratorum bini etiam palatium principis per tres menses incolunt. Octo hi procuratores præter perpetuos æque ac gubernatores dicti pari gaudent autoritate in senatu ut nempe sine eorum consensu nihil statui possit. Iidem Procuratores quoque ephori sunt patrimonii, censuum, vectigalium itaque ærarii & reditu um reip. nervorum, a quibus puræ sint manus servandæ; ipsius ducis censores sunt Quinqueviri (Syndiratores dicti). Ad hos deferuntur, si quæ occurrunt de duce cæterisque magistratibus querelæ. Iidem postquam finitum est ducis munus, inquirunt in illius res gestas, atque propter admissos excessus, ut *Stephanus Larcarius* in *Thuano* notatus, non admittitur ad procuratoris emolumenta locumque. Ad hos quoque syndicos appellationes variæ ab aliis magistratibus deferuntur, ut Vindicem libertatis suæ Genuates præmii loco Protosyndicum constituere consueverint. Causas civiles controversas secundum leges disceptant & decidunt 5 doctores juris in palatio principis habitantes, quorum consessus vocatur *concilio della Ruota.* Causas summarias & tutelares nomine principis semestri spatio discutiunt 5 extraordinarii cognitores; criminales vero Præses (*potesta* dictus), ICtus extraneus, cum duobus adjunctis judicibus. Præsidis vicarius (*luogo tenente*) & civiles peragit exsecutiones & criminalcs a majori senatu approbatas. Ne

Ne quid commercio nociturum a quoquam admittatur, censores cavent.

d) Senatus major 400 continet Senatores reip. quales leges jubent nobiles; minor vero tantum 100 nobiles. Familiarum nobilium Genua ultra 600 habet, quarum recentiores æque sunt munerum publicorum participes, ac antiquissimæ. Arctior Senatus cum principe ejusque gubernatoribus res summas deliberat, præconsultata vero majoris momenti ad majorem amplioremque senatum refert, & sic cum illo de bello & pace aliisque summis negotiis statuit. Munus vero Senatoris non est nisi annuum, nec eligi potest nisi 25 annos natus exceptis in majori senatu, si ita res fert & expedire videatur, 60 qui 22 ætatis annos excesserint. Majori Senatui minimum 300 & minori 80 interesse debent, si quid concludendum est.

e) Ad eligendum concilium Senatus majus lubente Decembri Senatus minor octo horarum spatio ex universo nobilium cœtu certis legibus seligit 30 cives optimos, quorum quisque ⅔ suffragiorum tulit, nec suffragantibus arcta cognatione vel affinitate conjunctus est. Hi scilicet sunt electores utriusque Senatus majoris & minoris, quam electionem illico simili ratione secundum leges aggrediuntur & quantocyus absolvunt. Electis 400 patribus concilii majoris, ex illis centum digniores, circiter 50 non minus 27, & 50 reliquos non minus 30 annorum, & qui per quinquennium antecedens artem mechanicam, nobilibus indecoram non exercuerint, eligunt in senatum minorem familiarum congruam rationem habentes. Si qua oriatur dissensio in constituendis 30 electoribus, ut electio 8 horis absolvi nequeat, ex numero gubernatorum procuratorumque sorte illis adjunguntur 14, qui si sex horis numerum nondum impleverint, sorte 11 patres tolluntur ex concilio minori ejusque adjunctis, ut tandem numerus tricenarius implea-

 tur.

tur. Pariter ſi 30 electores in eligendo majori ſenatu non reperiant 400, qui 18 ſuffragiis digni ſint judicati, ſorte removentur tres electores, ut cæteri facilius numerum deficientem ſuppleant, adhibita ſi opus eſt, ſuffragiorum iteratione. Sic & in centumviris legendis partim iterum de iisdem ſuffragia feruntur, quorum numerus pæne adfuit, partim decimatione adhibita ſorte tres removentur, ut paritas tollatur.

f) Præterea ſummo ſtudio eliguntur 120 Patres, experientiæ, prudentiæ & virtutum laude meritisque in patriam præſtantiores, tanquam ſeminarium majorum magiſtratuum. Horum nomina ſervantur in urna ducis, Procuratoris Senioris & Cancellarii clavibus diverſis demum reſeranda, ſi quis magiſtratus v. c. gubernator, procurator &c. ſorte ſint educendi coram gubernatoribus, procuratoribus, & minori ſenatu, illi inde petantur; rejectis tantum iis, qui interim vel mortui ſunt, vel abſentes, vel morbo impediuntur, vel indignos ſe poſtea reddiderint, vel lege prohibentur. Neque enim duo ex eadem gente ſimul gubernatores, aut procuratores eſſe poſſunt, neque unus ſimul ad obeundos duos magiſtratus admittitur, neque Senator aut Procurator fieri poteſt, niſi lapſis annis decem ab adepta nobilitate; neque dux, niſi 15 annos nobilitate gaviſus. Sic nemo ad magiſtratum adhibetur, niſi qui octo annis nulla uſus eſt arte nobilibus interdicta, cujusmodi ſunt manuariæ, mercenariæ, exploratoriæ mercium ad portas vel pontes, deſcriptoriæ pro mercede, fœneraticiæ, mercatoriæ minutatim vel propriis manibus exercitatæ, illicitæque omnes. Neque gubernator fieri poteſt, aut procurator qui bona decoxit, vel obæratus eſt nec ſolvendo.

g) Non tantum dux, ſed & gubernatores procuratoresque ſubſunt ſyndicatui, ut eo melius in officio contineantur. Finito præſertim munere inquiſitione ſubmittuntur quæ in magiſtratu ab

ab illis ſigillatim geſta ſunt. Quæ enim ab univerſo aut ambobus (gubernatorum & procuratorum) collegiis contra leges decreta ſunt, ea Senatui minori dijudicanda traduntur, qui quod juſtum erit, frequentioribus votis decernet. A ſententiis ſyndicorum, quando de vitæ, honorisque privatione agitur, conceditur appellatio ad ſenatum centumviralem. Neque ſecus reliquis magiſtratibus internis externisque ſeveræ rationes ſunt reddendæ concuſſionum, extorſionum, violentiarum, ſimiliumque transgreſſionum. Inter præmia iis, qui bene ſe geſſerunt in primariis magiſtratibus numerari poteſt, quod dux & gubernatores elapſo quinquennio ad eundem magiſtratum promoveri poſſit, ne frequentia elatiores fiant; & procurator elapſo quadriennio. Senator vero poſt annuam vacationem rurſus eligi poteſt in utroque ſenatu. Ne qui bene geſto ducatu perpetui procuratoris beneficium meruere, deinde degenerent, ſingulo biennio a ſyndicis adjunctisque 5 centumviris eorum actum in officio, diligenter excutiuntur, ut ſi quas meruere pœnus luant.

h) Ad conciliandos civium animos, tollendasque ſimultates & rixas frequentiori calculo eliguntur tres *conſervatores pacis* ex collegiis, qui biennali cura matrimonia tractent & ſtabiliant; in ſimultates vero & diſſidia inquirant, eaque quantocyus componantur, aut contumaces ad illuſtriſſimam dominationem quam dicunt protoſynedrium (la Signoria) deferant, ubi juſtitiæ ſatis fiet. Oborto autem Genuæ vel in illius ditione tumultu, Protoſynedrii & adjunctorum Procuratorum eſt illum ſummopere ſedare, vocato prætore, quatenus expedit, & votæ judicio, ut autoritati etiam conſilium jungatur, & nulla interpoſita mora autores ſcelerum comprehendantur, debitaque pœna afficiantur. Si qui Commiſſarii in provinciam delegandi ſunt, provinciam luſtraturi & facinorum compeſcen-

ſcendorum cauſa, nonniſi hi, qui graves magiſtratus præclare geſſerunt, eligentur, ut ſuprema autoritas digniſſimis prudentiſſimisque commiſſa eſſe intelligatur.

i) Pariter biennale eſt munus *Conſervatorum legum* duorum, virorum graviſſimorum, qui a duobus collegiis & centumviris menſe Januario eliguntur. Horum cura præcipua eſt, ut in electionibus quibuscunque leges obſerventur, quas ideo ante electionem, prout præſenti electioni v. c. ducis, electorum, Senatorum & Magiſtratuum præſcriptæ ſunt, publice alta voce ab omnibus intelligenda curant recitari, ut forma ſervanda in memoriam non tantum revocetur, ſed & omnino obſervetur. Adigunt hi eos, quibus eſt jus eligendi, ad præſtandum ſolemniter præſcriptum jusjurandum: juro ego N. ad ſancta Dei Evangelia manibus corporaliter tactis ſcripturis, & in animam meam, me in electione, quam hodie facturus ſum de - - - - remoturum ab animo meo iram, amicitiam, amorem, odium, proficuum affectum ad quemcunque colorem & factionem; ſed Deum ante oculos habiturum, & hujus reip. & libertatis noſtræ, publicæve quietis conſervationem, daturumque ſuffragium meum illis tantum, qui mihi virtute, prudentia, fide & integritate præſtantiores videbuntur. Ita me Deus optimus maximus adjuvet & hæc ſancta Dei Evangelia. Electis vero, antequam ad magiſtratum accedant, illorum cura hoc præſtandum eſt jusjurandum: juro ego N. - - - ad - - - - me munus hoc mihi demandatum legaliter & fideliter obiturum, & hujus reip. libertatem, publicamque quietem, quantum in me erit, curaturum & defenſurum. Ita &c. Præterea fraudibus, quæ fieri in conventu quocunque poterunt, ut occurrant, & ſi quem in flagranti crimine deprehendant, ad illuſtriſſimum ducem illico deferant, oportet, qui eum utrique voti impotem declarabit, & pro culpæ gravioris modo pœna

pœna mulctabit. Immo universa salus & vita reip. his conservatoribus legum ardenter commendata, postulat, ut comitiis collegiisque attente intersint, nec ipsi a legibus recedant, eorumque locus, si vacarit, confestim repleatur.

k) Electio supremorum Magistratuum extra Genuam, ut gubernatoris Corsicæ, Prætoris Savonæ, commissariorum (seu Capitancorum) Clavariensis, Spediæ, Sarzanensis, Bonifacii & Calvi, item locum tenentis ultramontani seu prætoris Ayacensis, sic expeditur, ut a duobus collegiis & senatu minori tribus partibus ex quinque suffragiorum nuncupentur hujusmodi dotibus instructi, quales in centumviris desiderantur, duo 3. vel 4. quadragenarii pro quolibet loco. Horum nomina ad majorem senatum deferuntur, ut ex illis aptior visus muneri calculorum frequentia declaretur. Oratores & legati, præfecti triremium, militum prætorianorum, qui forum, prætorium & urbem custodiunt, præfecti arcis Savonæ, & sinus Spediæ, aliaque munera majora eliguntur a duobus collegiis centumvirisque ⅘ suffragiorum. Reliqua officia a Protosynedrio, vel collegiis ambobus, vel collegio Procuratorum antiquo more conferuntur.

l) Civibus vero ignobilibus consulitur modis sequentibus, ne habeant, de quo conquerantur. Honestioribus, ut spe gloriæ ad virtutem & bene merendum de rep. alliciantur accendanturque, consequendæ nobilitatis præmia sunt proposita. Ad quæ qui adspirant, illi se candidatorum nobilitatis numero adscribi curant, & meritis abstinentiaque ab artibus nobilitati derogantibus secundum leges dignos se ostendunt. Tum singulis annis initio Januarii a Protosynedrio, duobus synedriis, & centumviris diligenter consideratur an & quinam digni sint, qui inter nobiles cooptentur. Quod si visum fuerit, non ultra decem, nimirum ex civitate septem, ex ripariis vero tres, reip.

profuturi, nobilitate insigniuntur. Oportet autem ut splendore nobilitatis honestandi, sint bonæ famæ, ex legitimo matrimonio nati, ab omni arte nobilibus prohibita ultra triennium alieni, ut urbem genuensem vel riparias vitæ integritate morumque honestate diutina majorum habitatione incoluerint, nec ulla hæreticæ pravitatis, seditionis, aut criminis, infamiam irrogantis, labe laborent; quod per quinque electos indagatores summa diligentia, fide, silentio & prudentia inquiritur, & suffragaturis sine ulla fraude referendum est. Hi nobilitati ad senatum ampliorem non admittuntur antequam per 4. annos legem nobilitatis servarint; ad minorem senatum vero & magistratus in civitate ejusve dominio non nisi 6. annis ab eorum cooptatione in nobilitatem elapsis. Gubernatores, procuratores & syndici fieri nequeunt, nisi lapsis decem annis ab adepta nobilitate.

m) *Doctoribus legum, artium, & medicinæ* non nisi talari veste utendum si velint suis frui privilegiis immunitatibusque. Hi dignitatis ergo & quod maximo usui esse reip. intelliguntur, *tecto capite sedentes audiuntur ab omnibus magistratibus, excepto duce & gubernatorum synedrio, possuntque ad omnes in rep. dignitates promoveri*, etiamsi munus senatorium & magistratus nunquam obierint, *suprema excepta.* Collegium ICtorum tenetur quotannis duos sui ordinis subministrare, qui pauperes & miserabiles personas, tam in foro civili, quam criminali, gratis pietatis ergo tueantur & protegant; ad quod & medicorum ordo in medendo obligatur, in quem non recipiendi sunt Judæi, nec diplomate doctoratus destituti.

Neque minus eorum ratio habetur, qui civium numero non continentur. In hos enim æque ac alia in cives ipsos albo civitatis inscriptos conferuntur gratis officia scribarum, notariorum, & qui a secretis sunt illustrissimo synedrio ducali, procura-

curatorio, Supremis, prætorio, tribunali (rotæ) tam civili quam criminali omnibusque magistratibus tam in civitate, quam in universo ejus dominio. Porro iis cedunt officia consulum rationis, receptorum pecuniæ (modo idoneam præstiterint cautionem) tam apud licitatores vectigalium & redituum publicorum, quam apud ærarium Georgianum, de quo paulo post dicemus; unum inter censores, unum inter conservatores sanitatis, inter præfectos annonæ unum; præturæ 30. locorum, 4. vicariatus, & omnia alia officia his inferiora. Secretariorum & scribarum electio est penes protosynedrium, procuratores & centumviros, qui scientia, probitate, continentia, prudentia & fide muneri aptiores, 25. annis majores, nec nisi $\frac{2}{3}$ suffragiorum copia seligunt in quinquennium, quo bene exacto in triennium pari votorum frequentia prorogant. Qui munere fideliter expleto nobilitate donantur, eamque ipso jure & facto adipiscantur, ab officio cum commendatione dimissi, ut tam insignis præmii & gloriæ spe victi ad bene de rep. merendum animentur.

n) Si leges receptæ abrogandæ aut emendandæ vel novæ condendæ sunt, matura opus est consultatione synedriorum coactorum in qua quæ $\frac{4}{5}$ suffragiorum placuere deferentur ad centumviros discutienda, quorum nisi $\frac{4}{5}$ consentiunt, nihil actum erit. His autem consentientibus, opus est Senatus majoris frequentia suffragiorum solita in iis, quæ legibus receptis adversantur. In cæteris, quibus nulli legi receptæ derogatur, ferendis sufficit duorum synedriorum centumvirorumque consensus ex $\frac{2}{3}$ consciscentibus oriundus. De fœdere quopiam iciendo, de bello, induciis & pace similibusque rebus gravissimis, nihil statuendum, nisi prævia matura deliberatione $\frac{4}{5}$ illustrissimorum collegiorum consenserint, & quod his visum est a $\frac{4}{5}$ centumvirorum approbetur. Vectigalia, tributa alia-

 que

que onera populo imponi nequeunt nec remitti, nisi prius suprema duo collegia & centumviri saltem $\frac{2}{3}$ suffragiis consentientibus, declarent non modo necessitatem eorum, sed & nullam meliorem rationem reperiri, qua opportunius reip. consuli possit, idque sancitum amplior senatus, principem & remp. referens, frequentia votorum decernat.

o) Concedendæ delictorum gratiæ autoritas residet apud illustrissimum principem ac duo collegia consentientibus binis eorum suffragiis ex tribus quibusque, si legitima partis offensæ vel hæredum ejus remissio accedat. In casibus vero criminis læsæ majestatis & seditionum, in quibus principem decet esse quasi inexorabilem, gratia non est concedenda, nisi ex magna causa, ob bonum publicum unanimi utriusque collegii & Centumvirorum consensu. In homicidiis vero, animo deliberato patratis, parricidio, assassinio, mandato occidendi officialem in effectum deducto, latrocinio, fabricatione falsæ monetæ, raptu monialium aut mulierum honestarum, non nisi interventu $\frac{2}{3}$ dictorum suffragiorum literæ restitutionis aut gratiæ impertientur cuiquam.

p) Exacto præstantium virorum judicio jam ab annis septem supra millesimum & quadringentesimum excogitatum est ad omne laborantis reip. subsidium, quoddam confugium & asylum, instituto ærario peculiari, quod est societas versuram facientium. Creditorum, qui in reip. usus pecuniam collocarunt ea lege, ut ex publicis reditibus ipsis refundatur sors cum usuris largioribus. Qui modus comparandi pecuniam, ipsis *compera* (*compra*) h. e. emtio vocatur, & quia administratores ipsius ad ædem D. Georgii plerumque convenire solent (*compera di S. Georgio*) ærarium vel consortium Georgianum dici consuevit. Multitudo creditorum seu locatorum requisivit exactam administrationem publicamque securitatem, præ-

præſertim cum publici reditus, provinciæ integræ & præfecturæ ſocietati oppignerarentur aut & darentur in ſolutum. Adepta eſt propterea ſocietas privilegia eximia imperatorum, paparum aliorumque principum, præter domeſtica, quorum inſigne hoc eſt, quod ſocietas ſuo gaudet magiſtratu, non niſi principi & reip. obnoxio. Inde communitas Genuenſis in duas abiit partes, majorem, quæ principis regimini, & minorem, quæ Georgianæ addicta eſt ſocietati, ejusque paret magiſtratui, qui *officium D. Georgii* audit. Conſtat is magiſtratus ex octo protectoribus annuis, quorum 4. quolibet trimeſtri eliguntur; quibus propter amplificata negotia 45 adjutores A. 1545. fuere dati, qui minoribus rebus præſunt, ut exactioni vectigalium & cenſuum vel proventuum, ſolutioni debitorum pro modo crediti, controverſiarum circa has res dijudicationi. Quid? quod criminum etiam capitalium diſcuſſio & cognitio ſecundum leges, nullam admittens provocationem Societati conceſſa eſt, & immunitas pecuniæ ipſi creditæ ab omni vel publica detentione & confiſcatione. Ideo ingens vis pecuniæ privatorum & exterorum undiquaque in hoc ærarium confluxit, nec ulla calamitas publica obfuit, quo minus creditoribus ſatis fieret, & vel perduellionis damnatis eorumque hæredibus æque ſalvi fuere hi proventus ac optime meritis.

q) Inde opibus ita crevit ſocietas Georgiana, ut progreſſu temporis Cyrnum inſulam, quæ nunc Corſica dicitur, varias urbes, municipia & regiones ſibi & reip. patriæ adquiſiverit. Poſt tanta potentiæ incrementa lucri ſacra fames induxit ſocietatem, ut omnem fere theſaurum ſuum Regi Hiſpaniæ Philippo II. mutuum daret, conſtitutis quidem ipſi hypothecis, ſed hiſpanicæ ditionis, eoque ſe rempublicamque ipſi obnoxiam redderet, niſi excidere velint oppigneratis dynaſtiis ditionibusque. Nec ſine fidei ſuæ detrimento diu ſæpe nihil

accepit, quando hiſpani vel non poterant ſolvere vel nolebant, Philippo IV regnante plane jacturam 17 millionum aureorum incurriſſe perhibetur.

Primo hic notandum duco, non abs re viſum eſſe, vivam velut imaginem exhiberi reip. temperatæ, uno alterove lucu-lento exemplo, in quo velut in ſpeculo & præceptorum uſus confirmatioque, & varietas mutabilium perſpiceretur. De ipſa facie reip. Januenſis, uti alias vocatur, *Hieronymus de Marinis* Genuenſis Patritius *Genuæ ſuæ Sect. IV. c. 2.* A. 1665. ſtatuit, ſummam omnemque poteſtatem eſſe penes patritiorum familias, Ducem vero eſſe totius reip. caput. *Petrus Bizarus* autem cla-rius *de reip. Genuenſ. ſtatu & adminiſtratione p. 1457. Græviani Theſauri antiq. Italiæ T. I.* ediſſerit: omnis Resp. vel Ariſto-cratiam ſequi ſolet vel democratiam - - - - Hoc tamen dicere mihi abſurdum non videtur, eas respublicas optime inſtitutas eſſe, quæ ex Ariſtocratia & democratia juſto quodam tempera-mento ita ſunt conſtitutæ, ut in illis etiam monarchiæ ratio pe-nitus non negligatur. Quæ ab ipſo in remp. Genuenſem dicta fuiſſe, quis demiretur? Recenſendo electionem ducis ſequu-turus eram *Zechium*, qui Bizarum videbatur expreſſiſſe. Sed cum *Bizari* & *Hieronymi de Marinis* diſſenſum de hac electione, de numero Gubernatorum &c. animadverterem, exiſtimavi, majorem fidem habendam eſſe legibus cardinalibus Genuæ a legatis ſummi Pontificis, Cæſaris & Regis Hiſpaniæ, in quos per remp. collata fuerat autoritas, conditis A. 1576. & d. 17. Mart. publicatis. Cum his legibus conſentit numerus guberna-torum, & fere quidquid in legibus de ducis electione contine-tur, exceptis iis, quæ nunc ſubjungo, quæ quia liber Hierony-mi de Marinis integro fere ſæculo recentior eſt, partim corre-cta eſſe judico, partim caſu tali emergente adhuc obſervanda. Scilicet in *dictis legibus eodem Grævii Tomo* poſt duos illos au-tores recuſis *cap. 26.* jubentur 50 pilulæ (lineæ vel laneæ) deau-ratæ, & his ſimillimæ tot argento obductæ, quot in comitiis præter 50 adſunt conſiliarii, demtis duobus collegiis, in urnam recon-

recondi probeque permiſceri. Ex his quilibet conſiliarius cœco manus impetu unum educit. Quisquis auratum tulit, eum aſſidentibus conſpiciendum præbet cenſoribus nomen ejus notantibus, moxque jubetur occulte nomen cujusdam chartulæ inſcribere, quem ſecundum leges ducis munere dignum judicat, & ex comitio exire. Si contigit, hoc pacto nondum 20 eſſe nominatos, denuo aurati globuli in urnam conjecti extrahuntur per eosdem, aliique nuncupatis adduntur, ut numerus vicenarius aut major prodeat. Ex his 15 per Concilium majus, & ex illis 15 ſex candidati per concilium minus $\frac{1}{5}$ ſuffragiorum ſeliguntur, majori concilio ad poſtremam diſcuſſionem remittendi. Major ſenatus tandem votis prævalentem renuntiat ducem. Si autem vota fuerint paria, iterum ſunt ferenda, & paritate nondum ſublata, ſorte e concilio dimittuntur quinque, ut repetitis ſuffragiis paritas ceſſet.

§. 189.

Temperatio Reip. fœderati Belgii.

a) Septem Provincias fœderati A. 1579. Belgii ſui juris & liberam remp. eſſe juſſit A. 1648. d. 30. Jan. pax Monaſterienſis, qua Rex Hiſpaniæ priſtino Juri ſuo plane renuntiavit. Vid. *Corpus diplomaticum J. du Mont Tom. VI. P. I. p. 429-435.* Fœdus illud ultrajectinum in *Commentariolo de ſtatu confœderatarum Provinciarum Belgii p. 5. ſeqq.* varias continet leges, quarum 2da quælibet ditiones ut ſingularia ſua jura, privilegia, ſtatuta & conſuetudines integra & illibata conſervent, aliæ alias quavis ope juvare adverſus quosvis obligantur, inter ipſasmet vero obortæ lites, vel amico contractu, vel arbitrio & compromiſſo aut judicum ſententia ſopiendæ recipiuntur. Lege 5ta munitio propugnaculorum limitaneorum communi conſenſu & ſumtu fieri jubetur. Lege 9 *ſeqq.* non niſi omnium aſſenſu bellum, induciæ, pax ac fœdera ineunda, & tributa aut vectigalia indicenda ſunt. Lege 12 eadem moneta ab omnibus probanda eſt & improbanda. Lege 13 ſingulæ ditiones liber-

libertatem religionis conſcientiæque cuivis indulgere, nec quemquam ejus cauſa perſequi jubentur. Lege 15 omnes ditiones admodum cavere debent, ne exteris belli inferendi occaſionem præbeant, ex æquo & bono cum omnibus ut cum indigenis agendo. Lege 17 conſilia publica ut optime ineantur omnium nomine mandatarii plena inſtructi potentia conſtituendi mittendique ſunt ad locum conventui deſtinandum &c.

b) Indictis comitiis convenere legati ordinum fœderatorum aliquoties, & militiæ ſummum ducem provinciarumque unitarum gubernatorem (*Stadthalder*) creavere Guilielmum Naſſovium, Arauſionenſium principem, ſuæ libertatis primum auſpicem, jurato adſtrictum legibus, ſecundum quas res fœderis domi militiæque in poſterum gererentur. Adjunxere eidem ordinum ſenatum (*den Raedt van Staten*) aſſiduum, a quo decreta ordinum exſecutioni darentur, & ad quem oblata negotia poſſent referri. Hujus erat, leges præſcriptas obſervari obſervandasque alii indicere, commune ærarium curare, ſtipendia perſolvere, & providere ne quid res fœderis detrimenti caperent, graviora autem negotia, de quibus nihil erat ſtatutum, ad ordines ſingularum ditionum referre urgenteque neceſſitate generalem conventum flagitare. Præſes hujus ſenatus erat gubernator, Senatores vero legati ordinum ſeu fœderatarum ditionum, cum addito theſaurario & tribus, qui eſſent ipſi a ſecretis. Is ſenatus adigebatur in ſolenne jusjurandum, ſe in hujus muneris adminiſtratione non iis, a quibus eſſent legati, ſed omnibus fœderis provinciis pariter addictos fore, ſingulisque trimeſtribus rationem rerum a ſe geſtarum, acceptique & expenſi ad ſingularum ditionum ordines miſſuros, ut conſtaret, recte ac ordine omnia pro communibus commodis adminiſtrari.

c) Ar-

c) Aucta vero republica, auctisque negotiis publicis, accedentibus & aliis rationibus, propter pacta cum Regina AngliæElisabetha placuit fixum splendidioremque senatum procerum generalium fœderati Belgii instituere. Supremo huic senatui non insunt nisi septem provinciarum legati septem tantum suffragia efficientes in perpetuis comitiis Hagæ Comitum, hoc ordine, Geldria, Hollandia, Selandia, Trajectum, Frisia, Transisulania & Groninga. Civitates Brabantiæ, aliæque vi subactæ in eum non admittuntur. Occupatur hic senatus in iis, quæ commune fœdus spectant, militaris inprimis rei administratione, fœderum cum exteris initorum observatione, excipiendis audiendisque exterorum legatis, æque ac fœderatorum desideriis & querelis ad commune fœdus pertinentibus, & similibus speciatim ipsis attributis. In gravioribus vero & extraordinariis rebus non jubendi, sed pro libertate reperta deliberandi, consulendi, & de iis ad suos referendi potestatem habent, ut ex transmissis sibi conspirantibus placitis procerum fœderatorum nomine, quod ipsis consentaneum est declarari possit decretum. Supremo Gubernatori, imperatorique militiæ terra marique non est in eo sententiæ dicendæ locus. Consilia tamen ejus pro rep. & desideria ab eo plerumque expetenda, aut sponte oblata, audienda sunt. Subinde ipse præsens ea exponit, sæpius tantum senatus præsidi ipsum consulenti. Hujus vero senatus Præses singulis octiduis mutatur, vicibus ordine stato recurrentibus. Singularum provinciarum ordines e suo magistratu deligunt, quos huc amandant, unum, duos, tresve, ut lubet, qui tamen tres vel quotquot fuerint unum tantum dant suffragium. Ejusdem quidem autoritatis sunt suffragia, nisi quod Hollandiæ, Zelandiæque consiliis plusculum tribuitur, quia oppidorum, hominum & tributorum numero cæteras multum superant, & sine illo-

illorum opibus consilia non possunt dari effecta. Plerique hoc munus suis credunt in triennium, alii in sexennium, pauci ita, ut demum cum vita terminetur, quo vices tantæ dignitatis ad plures possint redire.

d) Quid concilio generalium fœderati Belgii ordinum, quod *Grotius in Libro de antiquitate Reip. batavicæ* Amphictyonum conventui ad amussim respondere statuit, tribuendum sit, melius constare non poterit, quam si præter præmissa, modum regiminis præcipuarum ditionum, quibus reliquæ sunt similes paucis ob oculos ponamus. Inprimis id ipsum discemus ex Hollandiæ Frisiæque comitiis, quorum decretum de hoc argumento promulgatum extat A. 1587. Constant illa comitia ex deputatis ordinis equestris, qui appellantur die Ridderschap ende Edelen, & civitatum, quare decretum sic orditur: *equestris ordo, nobiles, & Hollandiæ West-frisiæque urbes, repræsentantes earundem provinciarum ordines.* Hi in commune bonum patriæ in comitiis de summis rebus ita consulunt, ut stemmatis splendore & dynastiis illustres 12 fere aut 13 unum ferant suffragium, civitatum vero 18 consules cum adjunctis senatoribus totidem habeant suffragia, ut summa suffragiorum faciat 19. Ipsorum vero suffragia non sunt nisi nomine nobilitatis & civitatum sibi demandata, quibus propterea dum convocantur præcipua deliberandorum capita sunt perscribenda, ut, quid potissimum salutare futurum sit deliberare & delegandorum fidei ac prudentiæ committere possint. Hinc dimissis comitiis delegatorum est, rationes consultatorum omnium autoribus suis reddere. Comitia illa ordinaria & perpetua sunt Hagæ comitis, ubi illius membra vocantur consiliarii delegati (gecommitteerde Raeden), quorum dignitas est triennalis, præses vero JCtus disertus & orator nobilium, vulgo *Raedt Pensionarius*; director est horum comitiorum, aperiens in comitiis agenda, & quod majori pacti pla-

placuit in acta referens. Horum actorum exemplaria deinde nobilitati singulisque civitatibus mittit, quo cuique in promtu sit rerum actarum notitia certa. In novis tamen tributis aut vectigalibus sciscendis, bello indicendo aut finiendo, fœdere sanciendo, & similibus extraordinariis, de quibus nihil in commissis habent, non ratum habetur, quod major pars conscíverit, sed omnium requiritur consensus, necessario exspectandus a convocandis propterea per hoc concilium comitiis extraordinariis. Vlterius ibi habentur duo collegia, alterum rationum (*de Camer van Rekeningen*), quinque gaudens assessoribus, penes quos est administratio publicorum proventuum ex dominiis, quod differt a Triumviris, quibus cura inspiciendi rationes vectigalium, tributorum, aliorumque redituum attribuitur. Alterum summi Tribunalis, rerum tum civilium, tum criminalium.

e) Vrbium magistratus constat plerumque ex Prætore, Scabinis, communitate selecta Senatu & Consulibus. Prætor nulla juris dicundi potestate gaudet, ideoque instigator potius est publicus, qui reos accusat apud Scabinos. Communitatem (*den breden Raedt*) conficit selectus civium potiorum ditiorumque 30, 40, &c. qui convocari non solet, nisi ubi ex ipsis deligendi sunt novi consules & Scabini, vel deliberanda & expedienda sunt capita, de quibus in comitiis est statuendum, ubi quod majori parti visum est, habetur pro sententia totius civitatis. Penes frequentius hoc concilium est quoque censura consulum & Scabinorum, si muneris sui leges, & in comitiis limites mandatorum excesserint. Quo majori ea in re libertate, promtiorique utantur, prudenter cautum est, ut eorum perpetua sit dignitas, nec possint loco suo moveri, nisi ob crimen læsæ majestatis aliudve infamans. Scabini 7. plerumque vel 9 judicant causas civiles æque ac criminales secundum le-

 ges

ges ſtatutarias, & ubi hæ deficiunt romanas, ita tamen ut gravato per ſententiam liberum ſit appellare ex legum præſcripto. Conſulum 4. vel duorum, eſt cura politiæ civitatum, compoſitio controverſiarum amica vel arbitrorum more, ne facile lites ſerantur inutiles. Cæterum & his, & Scabinis & concilio frequentiori perpetim aſſidet facundus legumque peritus ſyndicus (vulgo Penſionarius) quaſi quoddam in rebus arduis difficilibusque oraculum.

f) Liquet ex dictis, non eſſe ordinibus fœderatorum generalibus ſupremum imperium in omnes provincias, ſed eſſe illos tantum ſuorum delegatos, quorum nomine agunt quidquid agunt. Licet igitur exterorum legati nomine ordinum generalium audiantur & reſponſa accipiant, literæque ad exteros perſcribantur, tantum tamen abeſt, ut per ordines generales intelligendi ſint ditionum legati, ut potius hoc nomine veniant cujusque provinciæ ordines & primores, qui ad opem mutuam ſibi ferendam arctiſſimo fœdere connectuntur. Hinc dum extraordinem magnus habetur conventus, ejus concluſa prævalent. Pariter Polybius oſtendit, non ideo Romæ ſummam fuiſſe poteſtatem penes ſenatum, quia apud eum oratores exterorum audiebantur & reſponſa accipiebant, ſed penes populum. Ita & Græciæ rebuspp. plenum erat domi imperium, quæ tamen adverſus vim Perſarum inter ſe colligabantur, & ad communia fœderis negotia expedienda Amphictyonum inſtituerant conventum. Salva ut ſint ſingulis fœderatis provinciis ſua jura, & melius mutuo auxilio defendantur, initum eſt eorum fœdus. Hinc ordinum generalium leges non habent vim obliganti a deputatis magiſtratibus, ſed quia autores earum facti ſunt conſentientes ſupremi magiſtratus fœderatarum ditionum.

g) Habet hic ſenatus generalis non omne jus ſummi impe-

imperii, sed pars illius restat apud Senatum antiquiorem duodecim virorum, vel concilium publicum fœderatorum ordinum. Constituitur is ex hujusmodi, quibus alter, provinciarum delegatis, præterquam quod in ipso perpetuum præsidem agat & sententiæ dicundæ jus habeat Princeps Gubernator militiæque utriusque imperator. Ad hunc & ordinaria & extraordinaria referuntur negotia minoris momenti, quæ commune fœdus militiamque spectant. Præsertim cura redituum, rei militaris & exsecutio decretorum communium ipsius sunt. Ad eum quoque aditus conceditur illis, qui gubernatori summo destinati sunt successores, ut eo rectius adsuescant curandis imperii rebus. Solent enim ordines fœderati Belgii meritorum & Reip. causa gubernatores constituere hæreditarios. Quod institutum licet A. 1651. post fata Wilhelmi interruptum sit, abrogata suprema gubernatione principis, Anno tamen 1672. est restitutum; item abruptum A. 1702, & 1747. denuo restitutum & auctum, electo rursus totius fœderati Belgii gubernatore prorsus hæreditario, armorum terra marique præfecto supremo & Indiarum orientalium rectore perpetuo, Principe Arausionensi & Nassovio, *Wilh. Car. Henr. Frisone.*

h) Quamvis igitur princeps, summus est militiæ præfectus, miles tamen non soli ipsi sed simul fœderatis ordinibus sacramentum dicit, penes quos est conscribendorum, exauctorandorumque militum, & stipendiorum solvendorum potestas. In castris & expeditione bellica quidem liberrima gaudet dignitates militares vacuas conferendi in quoscunque vult, potestate; pacis vero tempore præfectos eligit ex tribus, quos ordines cuique functioni idoneos judicarunt denominaruntque canditatos. Non vero nisi ordinum in destinationem impensasque assensu impetrato expeditionem suscipere licet, a quibus ipsi 3. vel 4. adduntur ex summo senatu in arduis nego-

tiis consiliarii, qui reip. in castris gerant personam, & decretis concilient autoritatem, ubi necesse est. Solvitur principi stipendium imperatoris honorarium, & quidquid impendendum est in consilia hostium exploranda. Præterea ipsius est cura exsecutionis eorum, quæ ab ordinibus sunt decreta, quam & jurato recipit. Gaudet jure ignoscendi delinquentibus, quando id e re publica videtur, eligendi majores magistratus in urbibus e tribus ipsi exhibitis candidatis; in quibusdam etiam quotannis dimidium magistratum mutandi & seligendi ex duplici candidatorum nominatorum numero. Est ipse præses tribunalium, quorum decreta ipsis nomine publicantur; est præfectus saltuum summus (*opper bout Verster*); est supremus academiarum curator; est arbiter gravium controversiarum, quæ vel inter ordinum membra, vel inter ordines eorumque subditos exoriuntur. Denique nulla res major sine illo geritur, cum summa gaudeat dignitate non solum tanquam princeps sui juris, sed etiam tanquam Belgii fœderati summus hæreditariusque gubernator rerum civilium, militarium, classium & Indiarum.

i) Notandum enim est maximum lucrum Belgii fœderati pendere ex commercio Indico, quod sortis vigecuplum Hispanis esse compererant. Ad quod obtinendum decreto & privilegio ordinum instituta est in 20 vel 30 annos certis legibus & privilegiis primum societas indiæ orientalis, in quam spe lucri ingentis certatim collata est ab opulentis pecunia, ut ultra sex milliones argenti parati congregarentur. Præfecti sunt illi societati curatores 67. (*Bewint-hebbers*) experitissimis mercatoribus, qui ultra 6000 florenorum contulerant, qui quotannis rationem reddunt suæ administrationis, quæ nisi cum vita vel lapsu 21 annorum non finitur. Horum cura, lucri dextantis tripli quadruplive subducta distributione annua, intra

tra ſexennium ſors ſocietatis aucta fuit ad 30. milliones florenorum belgicorum, plurimaque caſtella, oppida & ditiones partim vi armorum, partim donis pactisque ſub ſocietatis poteſtatem venerunt. Inprimis ex parte ſocietas Javam adquiſivit & caput illius imperii conſtituit munitam ſatis urbem, Bataviam, cui ſocietatis legatus eo gubernator præeſt, velut ſupremus magiſtratus bellique prætor, olim perpetua, dein trienna li, aut pro re nata mutabili dignitate. Attamen eidem duplex adjungitur magiſtratus, quorum alter, juſtitiæ tribunal in litibus & delictis exercet, alter cum gubernatore res publicas, ad pacem, fœdera, commercia & bellum pertinentes tractat. Res autem univerſæ ſocietatis ternis quibusque menſibus accurate perſcriptæ in Belgium transmittuntur, ut curatores inde perſpicere poſſint, quid bene ſe habeat, quid ſit vitioſum emendandumque. Deinde auſpiciis & modo paribus inſtituta quoque eſt ſocietas Indiæ occidentalis diſpari ſucceſſu. Cujus opes cum ad 18 milliones creviſſent, expugnata eſt ora maritima Braſilienſis, & munitiſſima urbs Fernambucum, e qua ſacchari copia provenit immenſa. E quibus Societatibus non ſolum Resp. idemtidem ingentem vim pecuniæ ob impetrandam privilegiorum continuationem, velut redhoſtimenti loco ſtipulatur, ſed & privatis locupletatis ipſamet amplificatur per ditiones ſocietati partas, quarum præfecti militiæ ſimul reip. ſacramento obſtringuntur.

Meteranus formam Reip. belgicæ ariſtocraticam ſtatuit; *Zechius* Remp. primorum ſed democratia temperatam; Alii plane Democratiam, & quandoque ochlocratiam. *Grotius in apologetico* corpus eam dicit fœderatum ad communem defenſionem rerumpublicarum, penes quarum ſingularum primores ſummum datur imperium. Carolum V. ait, in leges cujusque nationis belgiæ juraſſe, & principatu abeuntem a. 1555 ad legatos dixiſſe: *quanquam eæ eſſent diverſæ & ſeparatæ, ab iis tamen unum*

unum conſtitui corpus, atque ejus corporis membra debere opem inter ſe ferre mutuam. Nam absque tali concordia & conſpiratione partium, promtum hoſtibus fore, ipſas invadere;. quod ſi manerent inter ſe colligatæ, & aliæ aliis auxilio, experimentis compertum, quid poſſent in externa vi repellenda. In principio fœderis trajectini hæc haberi: *quod tamen ſine fraude ſit legum, libertatis, juris & morum cujusque nationis, oppidi, partium ſingularum ac civium: quæ fœderati ſanguine facultatibus, opeque omni defendent ac propugnabunt adverſus vim a quocunque illatam.* Poſt alia, quæ prætermittimus, adducit locum editionis *meteranorum annalium* 1614, ab iis auctæ, qui eminenti ſunt in reip. loco: quod jus *ſummum imperii in communi attinet, id nationes ſingulæ penes ſe retinuerunt, tum in negotiis civilibus, tum in jure dicendo, ſalvis etiam legibus, moribus ac libertate.* Ipſi ordines Hollandiæ in decreto ſuo A. 1587. ſic de ſe loquuntur: *quaproptor notum ſit omnibus, nos, qui penes ordines ſummum imperium eſſe declaramus, non intelligere hic privatos delegatos, ſed auctores ipſorum, videlicet nobiles & civitates, quas ſecundum demandata ſibi illi repræſentant.* Hæc de generalibus quoque fœderatorum proceribus delegatis valere, eadem ratio oſtendit. *Paulus Merula* in calce ſuæ *de ſtatu reip. bataviæ diatribæ, cenſeo,* inquit, *Batavorum remp. temperatam eſſe ſalutariter ex triplici genere laudabili, regali, optimate, populari. Primi quidem notas eſſe in ſummo exercituum noſtrorum ductore, cujus arbitrio & nutu omnia poſt acceptum imperium militiæ terra marique gubernantur. Secundi ſigna eſſe in ipſis ordinibus, qui de omnibus rebus agundis conſilia ineunt, viasque iis bene feliciterque perficiundis cum cura diligentiaque ſternunt. Tertii denique eſſe indicia in ipſis civitatibus, queis non præconſultis majora negotia inſolens tractare, nefas pertractare.* Omnibus rite perpenſis, conſpicuum fiet, primas reip. partes ordinarie eſſe penes optimates, extraordinem & in minoribus quibusdam rebusp. penes populum, unde ſecundariæ ſponte innoteſcunt, adhibitis argumentis antea dilucidatis & ad exempla applicatis. Recentiora conſignavit *Rouſſet* duobus diverſis libris; ad

ad fœdus ultrajectinum commentari cœpit *Bondtius* & diplomata colligit Franc. *van Mieris.*

§. 190.

a) Ab exiguo fœdere decennali trium pagorum Helvetiæ A. 1308. inito, crevit subinde fœdus perpetuum & per varios fortunæ casus tandem pace Osnabrugensi art. 6. A. 1648. fœderatis pagis Helvetiæ plena libertas & exemtio ab imperio, in id consentiente, est attributa. De cujus forma audire lubet *Josiam Simlerum de Rep. Helvetiorum Lib. II. pag. 2.* sic sciscentem. Rempublicam communem totius Helvetiæ, ut olim Romanorum & Carthaginensium amplissimæ respublicæ, & veneta, mixtæ nominari possunt, quod aliqua sui parte regiam potestatem, alia optimatum imperium exprimerent, & populum quoque non prorsus a gubernaculis removerent: sic Helvetiorum resp. ex optimatum & populi imperio mixta est. Etenim ex his populis, quibus tota civitas constat, quidam mere democratico utuntur, ubi totius plebis consilio fere omnia aguntur, veluti in his pagis, qui nulla habent oppida, uti sunt Vranii, Suitii, Vndervaldii, Glaronenses & Abbatiscellani, & par ratio est Tuginorum, quamvis hi oppidum habent. Alii ab optimatibus reguntur, ut omnes urbes Helvetiæ, Tigurum, Berna, Lucerna, Basilea, Friburgum, Salodorum, Scaphusium. Sed cum potestas summa penes populum sit, a quo Magistratus eliguntur, mixtæ sunt hæ respp. & aliæ magis aristocraticæ, aliæ plus populares sunt. Quare cum tota civitas constet his populis, qui non una eademque reip. forma singuli utuntur, non una quoque sed mixta est politia, quæ ex his conficitur. Etsi enim legati, qui in publicis conventibus in commune reip. helveticæ consulunt, aut jus dicunt, videntur optimatum politiam constituere; tamen cum plerique domi a populo deligantur, & in causis paulo majoris momenti non habeant libe-

Reip. Helveticæ temperatio.

ram decernendi poteſtatem, ſed omnia ex mandato populi agant, & ad eum de ſingulis referre cogantur, facile apparet, talem Senatum non plene Ariſtocraticum cenſeri poſſe.

b) Complectitur autem Resp. Helvetiorum tres partes, pagos 13 ſupra nominatos (die Eids-Genoſſen); deinde conſociatos & fœderatos, ſcilicet Abbatem & oppidum S. Galli, Rhætos ſeu canos fœderatos, Valeſianos, Mulhuſium, bipennes S. Biennam, Genevam Allobrogum, Neocomumque; & populos atque præfecturas, quæ communi pagorum imperio reguntur. Cujusmodi ſunt urbes quinque, Bada, Bremogartum, Frauenfeldum, Mellinga & Rapersvila; & præfecturæ novem, comitatus Badenſis, 8 pagis obnoxius, liberæ provinciæ ad Ruſam fluvium, vel regio olim comitatus Rore dicta, quæ ſeptem ſubſunt pagis æque ac Turgea omnium ampliſſima, Sarunetes, Rheguſci, Luganenſes, Locarnenſes, Mendriſii, Madia vallis, quarum 4 poſtremæ trans Alpes in Italia ſitæ, italica lingua utuntur, de quibus conſulendus eſt *Simlerus* cit. *Lib. 1.* Tribus pagis ſubeſt Bilitionum oppidum, Vallis palenſis & Riviera; omitto ea, quæ duobus aut uni tantum pago ſubſunt. Differunt autem hi conſociati vel arctius fœderati interni, ab externis fœderatis, nempe duce Sabaudiæ, Rege Galliæ, cum quo fœdus perpetuum habetur aliisque, de quibus *ibidem* agitur ſub finem *Libri primi.*

c) Præcipua fœderum intimorum capita redeunt 1) ad mutuum auxilium ſponte & propriis ſumtibus ferendum contra omnem vim injuſtam; ne tamen temere bellum ſuſcipiatur, legibus cautum eſt, quomodo hæc ſint definienda, & quantum in variis caſibus ſit conferendum. 2) Ad controverſias pagorum publicas ſeu amice & ex æquo dirimendas, ſeu legibus ſtatuta judicii forma. 3) Ne quis pagus absque aliorum conſenſu fœdus ineat; neque ullum fœdus novum antiquiori derogot,

get, multo minus juribus, privilegiis & consuetudinibus singulorum pagorum; neque se ullius alterius imperio subjiciat. 4) Proditoris, & violatoris fœderis bona sunt confiscanda. 5) Damnatus & proscriptus a suo pago, etiam in alio pago quovis sit proscriptus, & finibus arceatur; si quis talem hospitio exceperit vel ope sua adjuverit, is ipse vel exilio vel alia mulcta punitor. 6) Præscribitur ratio exigendorum nominum & pignorum. 7) Causæ disceptentur in illius pagi judicio, ubi res acta est & jus dicatur absque fraude & dolo, ac quivis alterius pagi legibus & consuetudinibus contentus esto. 8) Nullus pagus alterius subditos concitet contra magistratum, nec solicitet ad defectionem. 9) Præda bello communi capta æqua ratione pro militum numero dividenda, quem pagi in castris habuere. Immobilia vero bona & jura eorumve lytrum inter pagos æqualiter distribuantur; vel ipsis communia maneant. 10) Nec civis aut servus in alium pagum recipiendus est, nisi constet, illum esse liberum ab eorum imperio &c.

d) Senatus Helveticus, isque maximus & frequentissimus, præter pagos complectitur & eorum socios ex fœdere, præsertim S. Galli, Prætorum & Mulhusianorum delegatos. Rarius is convocatur, nec nisi quando de bello aut pace, de legibus, fœderibus, similibusque rebus aliis agendum est, quæ ad omnes fœderi adscriptos ex æquo pertinent. Frequentius tantum 13 pagorum legati conveniunt ad aquas helveticas Badæ circa solstitium æstivum, de rebus ad civitatem helvetiam spectantibus deliberaturi & suffragia laturi. Hujusmodi res sunt fœdera, legati, pax, leges, controversiæ graviores, præfecturarum rationes, constitutio præfectorum, pinguioris officii &c. Etsi vero plures ab uno pago mittuntur, illi tamen plures non gaudent nisi unico sui pagi suffragio. Quando tantum agitur de præfecturis, quæ ab 8, 7, 3 vel 2 pagis regun-

tur, tum non conveniunt niſi illorum pagorum deputati, quorum jus ibi eſt exercendum. Poſtquam religionis diverſitas in pagis obtinet, dantur etiam peculiares conventus pagorum 7 catholicorum, Lucernæ, Vraniæ, Suitiæ, Vndervaldiæ, Tugii Friburgii & Salodarii; & 4 pagorum reformatorum, Tiguri, Bernæ, Baſileæ & Scaphuſii. Suffragio in rebus ad religionem pertinentibus ſicubi differunt, plura nihil valent, ſed ex pace 1712. inita per arbitros utriusque religionis pares amice componendum eſt diſſidium. In ſummi momenti rebus civilibus unanimia requiruntur. Convocandi ſenatum jus eſt penes Tigurinum pagum, qui veteri privilegio primum locum inter pagos tenet, & ſingulis pagis per literas cauſam tempus & locum conventus indicit. Vbi tamen plures alii pagi conventum optant, primum de ea re ad pagum Tigurinum eſt referendum, petendumque ut pagi ad communem deliberationem evocentur. Pariter & legati exterorum regum & principum a Tigurino pago jus adeundi ſenatum impetrant, inprimis quando extra ordinem ſenatum haberi petunt.

e) Ordo in hoc ſenatu agendi eſt hujusmodi. Poſtquam per apparitorem publicum Tigurinum legati in curiam pridie invitati convenerunt, primo loco editioreque ſubſellio ad menſam conſidet legatus Tigurinus, proximum ab eo habet Bernas, poſthunc Lucernas, & deinceps reliqui, juxta pagorum ordinem. Tigurinus ſalutatis reliquis pauca præfatus, exponit deliberanda, quæ plerumque ex proximo conventu in hunc ſunt dilata, quandoque & alia poſthac oborta. Addit poſtea quid de ea re a ſui pagi magiſtratu in mandatis acceperit. Idem faciunt ordine reliqui legati. Quo facto præfectus Badenſis ex ordine ſententias rogat. Primus ſententiam dicit Tigurinus, tum reliqui ſuo ordine. Sententiis dictis ab eodem ſuffragia numerantur, ut liqueat in quam ſententiam plerique

rique consentiant. De quibus nondum convenit, illa referuntur ad pagos, vel differuntur in conventum futurum.

Subjungam his quædam specimina notatu digna. Cum cæteri pagi gallicum fœdus de concedendo Regi certis legibus militum delectu inirent, Tigurinus illud recusavit ob rationes, quibus Zwinglius quotidie gravissimis concionibus populum in militia mercenaria hujusmodi dehortabatur, docens, nefas esse homini christiano, ut mercede conductus fundat sanguinem hominum miserorum plerumque innocentium, a quibus nulla unquam injuria sit affectus. Quas his addidit, eas pariter recenset *Simlerus Lib. I. cit.* una cum responsione ad illas. Modus componendi pagorum controversias is placuit, teste *ejusdem Lib. II. cap. de Judiciis publicarum controversiarum.* Si controversiæ amica transactione, aliorumque pagorum intercessione sopiri non potuerunt, utraque pars ex suorum numero duos seligit judices, qui ad hoc negotium absolvuntur jurejurando, quo suo pago sunt obstricti, fidemque dant, se ex jure æquo & bono controversiam cognituros & daturos operam, ut vel amice componatur, vel jure decidatur. Decollante spe transactionis, si major pars judicum sententiam dedit, eorum judicio standum est parti utrique. Si paria fuerint suffragia, deligitur quintus seu arbiter, vel ab ipsis judicibus, vel ab actore causæ secundum leges præscriptas; qui alterutram sententiam approbando litem dirimit. Inter alias leges helveticas habentur & hæ: sacerdotes, exceptis ecclesiasticis causis, nullo judicio civili peregrino adversus quemquam utantur, si quis secus fecerit, is nec hospitio cibo potuque juvetur, nec ab aliis recipiatur pagis, donec exteris judiciis renuntiet. Eo loco, ubi reus habitat, judicio agendum est. Nemo suam actionem alteri tradat, ut molestiam creet adversario suo. Omnes pagi curanto, ut tuta sint itinera, nemo in ullo pago absque magistratuum consensu ab altero pignora capiat aut damnum det. Cum bullati sacerdotiorum nundinatores molesti essent iis sacerdotibus, qui jure constituti erant, decretum est, ut si pergant suum jus bullatum urgere,

in vincula conjiciantur, & ni huic renunrient, aquis ſubmergantur, (ut bullæ bullis eluantur). Domi appellantur Helveti die löblichen Eid-Genoſſen; ab exteris magnifici Domini (magnifiques ſeigneurs).

§. 191.

Pagorum helveticorum diverſa politia.

a) Pagorum Helveticorum reſpublicæ ad tria genera referri poſſunt. In aliis ſumma imperii eſt penes plebem, oppidis fere carentem, cujus capita vocantur (Ammanni), Præſides, & forma imperii eſt democratica. Alii pagi habent ſua oppida, quorum eſt imperium totius pagi. Horum illi, qui principes olim habuere dominos aut conditores, a ſculteto (Schuldheiß), qui libera electione ex omni civium numero petitur, adminiſtrantur, gaudentque forma Ariſtocratica, uti Berna, Lucerna, Friburgum, Salodorum. Quædam vero oppida ſunt in certas tribus diſtributa, atque ex his tributim plebis ſuffragiis magiſtratus creantur, cujus Caput Conſul (Bürger-Meiſter) nominatur, ut Tiguri, Baſileæ, Scaphuſiæ, ubi mixta eſt politia.

b) In tribus his oppidis populus diſtribuitur in duos ordines, nobilium & ignobilium, ſive plebejorum; Tiguri nobilibus adjunguntur belli tempore qui nec opificium exercent, nec mercaturam faciunt, cum bajulis & mercenariis, ad ſtipendia facienda. Ignobiles abeunt in mercatores & opifices, vel in duodecim tribus. Major Senatus eſt ducentorum virorum inter quos 18. nobiles; minor 50., quorum 6. ſunt nobiles. Præfecturæ huic pago ſunt 35. Scaphuſiæ e tribu nobilium non plures leguntur ſenatores, quam e tribu ignobili, quorumque ibi ſunt decem. Majori Senatui dantur ibi 60., minori 26. Præfecturis gaudet 11. Baſileæ olim duæ fuerunt ſocietates (Conſtaffel) nobilium, quæ poſteaquam in ſuas arces ſe receperant, urbe fere deſerta, a gubernaculis reip. amotæ fue-

fuerunt, ut e duabus gentibus qui remanſere accenſeantur 4. primariis tribubus (Herren-Zünfte), & ſic ex illis quidam in ſenatum cooptantur. Sunt autem Baſileæ civium tribus 15., quarum nobiliores habentur mercatores; aurifices & ſtannarii vinarii (œnopolæ), atque aromatarii, & omne genus inſtitorum, quæ omnium tribuum eſt populoſiſſima. Ibi major Senatus habet 180. minor 64. membra. Præfecturæ ipſi ſunt novem. Nempe Tiguri ſingulæ tribus dant ternos, Baſileæ quaternos, Scaphuſiæ duos viros quibus accedunt in ſingulis duo conſules, & Baſileæ præterea totidem tribuni (Zunft-Meiſter), qui una cum conſulibus capita vocantur. Tiguri nobilium ſocietas in ſenatum minorem ſenos mittit, aliæ tribus ternos, quibus ſex alii liberis ſuffragiis adjunguntur, ex quibuscunque ſenatui viſum eſt tribubus. Tribus in his urbibus quotannis circa ſolſtitia eligunt binos magiſtros ſeu tribunos ſemeſtres, itemque minorem ſenatum, veterem & novum, quorum ille continet eos, qui per medium annum ſuo munere jam defuncti ſunt, & quandoque tantum cum novo ſenatu convocantur. Baſileæ etiam majus concilium ſimili modo dividitur, & e duodecim viris tribuum ſex veteri, & ſex novo accenſentur. Vtrique ſenatui præeſt conſul, quem alibi major ſenatus quotannis eligit, Baſileæ vero ſemeſtris eſt conſul, & cum ſenatu novo ſemper a veteri eligitur. Eſt quoque Baſiliæ Collegium Præconſultorum, cujus membra ſunt duo conſules, cum duobus tribunis, & aliis 9 e ſenatu delectis, & 4 capitibus adjunctis, unde Tredecemviri a numero appellantur. Ad hos omnes cauſæ graviores referuntur, ut prius de illis deliberent, quam res univerſo ſenatui exponantur. Jus monetæ cudendæ commune eſt tribus urbibus, ſingulæ tamen propriam & peculiarem habent monetam.

c) Oppida ſecundi generis non tantum tribus nullas habent,

bent, ſed & legibus caverunt, ne haberi debeant. Bernates
& Tigurini fœdere inito invicem obligantur; hi quidem ad
juvandum, ne quis in illorum urbe tribus inſtituat, illi vero,
ne quis tribus horum aboleat. Nihilominus opifices in his
quoque oppidis ſuis gaudent collegiis, quæ non reip. & ma-
giſtratuum creandorum, ſed opificiorum exercendorum cauſa
inſtituta ſunt, ideoque non tribus, ſed ſocietates (Geſelſchaften)
appellantur. Publica conſilia in his urbibus itidem duobus agi-
tantur modis, nempe in Senatu majore & minore ſemeſtri.
Major Bernæ & Friburgi ſaltem ducentis, Lucernæ centum
gaudet viris. Minor Bernæ 26. Friburgi 24 Lucernæ 18.
Senatores habet. Salodorenſis vel Solodurenſis ſuppar fere
Lucernati eſt 12. gaudens præfecturis. Sculteti munus Lucer-
næ eſt annuum, Bernæ biennale, ſed quotannis nova electio-
ne conſtitutum. Proxima ab eo Bernæ autoritas eſt quatuor
ſigniferorum (Venner), qui ex his 4 collegiis, fabrorum, coria-
riorum, piſtorum & lanionum deligùntur. Ibidem magna eſt
dignitas duorum quæſtorum, quorum alter reditus urbanos &
agri germanici, alter eorum, qui ex Antuatibus vel agro Sab-
audico colliguntur, quorum munus pro ſenatus & ipſorum
lubitu continuatur. In Senatum minorem Bernenſem nemo
admittitur, niſi qui in urbe, ſaltem eo, qui Reip. cauſa abſens
fuit, natus eſt ex legitimo thoro, nec ulla laborat famæ nota.
Quoties de vita cujusdam agitur, tam Bernæ quam Lucernæ,
uterque Senatus cauſa cognita ſententiam fert. Habent Ber-
nates tum gallicas ſive ſabaudicas, tum germanicas præfectu-
ras. Germanicarum 4 ſunt ſuburbanæ, quibus ſigniferi præ-
ſunt, ſub quorum ſignis ſingulæ præfecturæ in bellum profi-
ciſcuntur; & præter illas aliæ 27. & 9. cœnobiorum. Gallicæ
ſunt præfecturæ tredecim. Lucernatum 18 ſunt præfecturæ,
& duæ urbes ipſorum clientelæ ſubjectæ. Gaudent & hæ ur-

bes jure ſuam ſibi cudendi monetam. Friburgo ſubſunt 21 præfecturæ.

d) Inter pagos vicatim habitantes, qui vulgo Länder dicuntur, habetur quidem Tugium oppidum, ſuis magiſtratibus urbanis gaudens, verum totius pagi imperium non eſt penes oppidanos, ſed qui agrum Tuginum colunt, pari jure cum oppidanis imperant. Ammannum, quem cæteri Germani Amtmann, h. e. Præfectum officio publico prædiorum ruſticorum, vocant ipſi præſidem ſuæ reip. vel ſui pagi ruſtici. Cui adjunguntur Vicarius, quæſtores (Seckelmeiſter) & qui præfecturis præſunt. Dividuntur & hi pagi in certas partes ſeu conſortiones (Gnoſtaminen), quia publicorum paſcuorum, bonorum & honorum ſeu munerum ſunt participes. Suitiis ſunt partes ſex (vulgo quartæ; ſubſylvanis duæ ſcilicet ſupra & infra ſylvam quernam habitantes (ob und nidt dem Kernwald); Tuginis duæ, oppidum cui duo, & agri, cujus tres ſunt conventus; Glaronæ 15 (vulgo Tagwan); abbatis cellanis 12. (Roden) ſex interiores, & totidem exteriores; Ex his partibus in pleriſque pagis ſexaginta deliguntur; Tuginis vero 45, & abbatis cellanis 144, qui de rep. conſulendi circa res ordinarias poteſtate demandata gaudent. Si graviores agendæ ſunt cauſæ, neque totus populus convocandus cenſetur, tum in pleriſque pagis numerus duplicatur aut triplicatur. Ad conſilia vero non adhibentur niſi veterum colonorum poſteri, & novi perdifficulter idem jus conſequuntur. Summum jus in his pagis eſt penes concilium totius plebis, ad quod conveniunt quotquot annum ætatis 16 exceſſerunt. Publici conventus in præcipuo quodam & circa medium ſito loco habentur. Vti alia multa jura, ita & judicia rerum capitalium plerumque in his pagis exercentur in ſenatu ordinario duplicato ſub dio, ut omnibus ſpectandi audiendique cauſam & ſententiam facultas detur. (*Wolfii Politicæ P. II. C. III.*)

 e) Ab-

e) Abbati S. Galli variæ ſubſunt præfecturæ, & comitatus Toggenburgiorum, qui peculiaribus gaudent privilegiis & immunitatibus. Mulhuſio, & oppido S. Galli fere ſimilis eſt resp. niſi quod in poſtremo datur ſocietas nobilium, & præter eam ſex tribus, quarum præcipua eſt textorum lineorum. Minori ejus concilio interſunt 24, majori 66, qui ſemeſtri utuntur magiſtratu & binis ſolſtitiis creantur. Conſules, tres, qui illi præſunt, tam ex nobilibus, quam e tribubus deliguntur a tota civium univerſitate ſuffragiis occultis, (mit den Run) quorum tertius judiciis rerum capitalium præeſt. Tribuni, quos vocant Unterburgermeiſter munus eſt curare vigilias urbis, viduis & pupillis curatores dare & tutores, eorumque inſpicere rationes. Populus vero univerſus ter quotannis convocatur, primum quando conſules eliguntur, ſecundo quando novo conſuli jusjurandum dant, die Stephani, tertio circa feſtum Bartholomæi, quando ordinatio tributorum recitatur. Rhætorum primum fœdus, quod canum ob antiquitatem vocatur, continet conventus 28, quorum ſingulis ſuus eſt præfectus, omnibus vero communis Judex (Landrichter). Secundum vero fœdus, quod domus Dei audit, 19 communitates habet, quæ nonnunquam in undecim majores contrahuntur, cujus caput eſt urbs Curia, qua remp. Tigurinæ ſimilis. Tertium fœdus decem jurisdictionum nominatur, quarum princeps in vico Davoſio habetur, in quo & omnium ditionum comitia habentur. Ex his 57. Rhætiorum conventibus (Gemeinden) una efficitur Resp. quæ gaudet ſenatu trium fœderum, & comitiis, in quibus primum 28, ſecundum 23, tertium 14 gaudet ſuffragiis, ſic & plures mittuntur. In his comitiis de ſummis rebus agitur, ut de pace & bello, fœderibus, legationibus, legibus, appellationibus huc devolutis &c. Valleſiæ ſuperioris ſeptem ſunt conventus, inferioris 6; princeps totius regionis eſt Epiſcopus

ſcopus Sedunenſis, qui Comes Valleſiæ vocatur. A quo proximum locum habet præfectus (der Lands-Hauptmann), ad quem cauſæ civiles deferuntur. Singulis quoque conventibus ſuus eſt judex criminalis; vulgo *Major* (der Moger) dictus, ſub quo eſt Ammannus. Comitia (Land-raht) quotannis Majo & Decembri coguntur Seduni, ubi eliguntur gubernatores, Magiſtratusque, conſilia de rep. tractantur & ſummum jus dicitur. Biennenſis resp. ſubeſt Epiſcopo Baſilienſi, qui ſuum ipſis præficit majorem ex Senatu, diſtribuitur in 6 ſocietates, e quibus eligitur quovis anno exeunte ſenatus minor 24, & major 30 virorum, quibus præeſt Conſul.

f) Oppidis 5 ſtipendiariis ſuus cuique eſt magiſtratus & ſenatus duplex, major 40, minor 12 virorum, quibus præeſt ſcultetus. Præfecturis, quæ communi imperio reguntur, ſuum eſt judicium provinciale (Land-Gericht), ubi cauſæ graviores inprimis capitales cognoſcuntur decernunturque, ita tamen, ut ſummum imperium ſit penes præfectum qui judicio præſidet, & ſententiam mitigare poteſt; appellationes vero ad ſenatum Helvetiorum, cui ſubſunt, devolvuntur, cui quotannis circa ſolſtitium æſtivum rationes adminiſtrationis quoque ſunt reddendæ. Cætera petantur ex *Simlero* aucto, *de Watteville l'Etat de Suiſſe*, aliisque recentioribus ſcriptis.

§. 192.

Reip. Genevenſis Temperatio.

Genevenſis Resp. Helvetico fœderi juncta, mixta eſt ex Ariſtocratia & Democratia prævalente. Vniverſus enim populus ſive concilium generale, eligit ſibi 4 Syndicos ex iis, quos Senatus nominavit, 4. Syndicatu jam bene functis, & 4. aliis; qui tribunorum plebis loco ſunt, jurantque ſe religioni, civium libertati, reip. ejusque legibus ſancte ſervandis, & juſtitiæ adminiſtrationi diligenter præfuturos, neque paſſuros, ut his contraria committantur. Idem alios quoque conſtituit magi-

ſtratus, & Procuratorem generalem, qui amplioris ſenatus caput, & populi quaſi os atque tutor habetur munere triennali. Cætera ducentorum virorum, qui ampliorem ſenatum conſiciunt, membra eliguntur a Senatu minori 25 virorum, e 4 gentibus patriciis oriundorum, ſub exitum anni cujusque. Inter cætera amplioris concilii jura datur quoque jus maleficis gratiam delicti vel veniam dandi. Minor Senatus eſt perpetuus, & ſi quis ex illis moritur vel quaſi, reliqui duos nominant candidatos, e quibus major Senatus unum eligit in locum defuncti vacuum. Protoſyndicus eſt caput arctioris ſenatus, expediens omnes res majoris momenti, nomine reip. univerſæ; quanquam in fœderibus omnes ſyndici primo loco leguntur. Syndicus alter Director eſt ærarii, reditusque curat cum quatuor adjunctis rationum conſiliariis (Rechen-Rähten). Tertius præeſt ædi hoſpitali cum quodam ſenatore optimate, item conſiliario (Rahts-Conſulent) Sacerdote quatuor aut 5 ducentumviris, Secretario & receptore. Quartus ærarium militare administrat, uti quæſtor (der Rentmeiſter) reliquaque ſolvit ſalaria. A Syndicis proximus eſt ſimiliterque eligitur Locumtenens, qui juſtitiæ cum Syndicis per vices adminiſtrandæ adhibetur cum 6. auditoribus, 2. Secretariis & 12. officialibus. Fœdus hujus reip non cum univerſa Helvetia, ſed tantum cum Tigurinis & Bernatibus initum eſt Anno 1584. d. 30. Augusti.

Continetur id fœdus in *Rouſſetti* Tom. II. *ſupplementi au corps diplomatique* P. I. *p.* 194. *ſeqq.* Vnde ad Confirmationem dictorum tantum hæc ſubjiciemus. *Nous Bourguemaiſtre &c. & Nous l' Advoyé &c. d'une part. Et nous ſindiques, petit & grand conſeil, dit les deux Cents, & le general de Geneve d'autre part.* Promittitur in perpetuo hoc fœdere mutuum auxilium in bello offenſivo & defenſivo, dimidio ſumtu auxiliantis & adjutæ civitatis præſtandum, & ſi in bello communi quidquam adquireretur,

retur, id dividendum esse pro numero militum a tribus hisce fœderatis præstitorum &c. Inde patet, cur genevensis Resp. non sit in numero pagorum Helveticorum. Plura sitiens conferat *Jac. Sponii Histoire de Geneve* editionem auctiorem 1730. 4.

§. 193.

Reip. Lucensis temperatio.

Respublica Luccana præter circumjacentem regionem 5. oppida sub se complectitur, & est Aristocratia per antesignanum seu vexilliferum (olim Cæsareum Castruccium) temperata. Formam Aristocratiam aperte loquitur lex Martini, quæ vocatur, cardinalis, qua administratio Reip. omniumque munerum nobilitati tribuitur. Constat vero amplior Senatus annuus ex 260 nobilibus, quorum alii sunt Senatores ordinarii alii extraordinarii. Illorum sunt bis 120, qui summæ rerum per 6. menses præsunt. Hi tantum ad certa negotia deputantur, quæ contingere quandoque solent. Minorem senatum constituunt 36. nobiles octimestri spatio bis per hebdomadem consultantes. Ditioni vero reip. extra urbem & peregrinis ac summis rebus Decemviri præficiuntur sequenti ratione. Sunt urbi tres Partes datæ, S. Salvatori, Paulo & Martino dicatæ, quorum nomine hæ regiones appellantur, ipsarum vero Magistri *Assortatori* audiunt. Quovis trimestri Senatus ex qualibet regione tres cives, itaque novem eligit seniores (Anziani), excellentium encomio gaudentes, & cum capite Reip. & antesignano suo (Gonfaloniere) Decemviros constituentes, quibus res gravissimæ demandantur, quique summum collegium (la Signoria) exhibent. Horum munus obeundum est in Palatio summo per trimestre spatium ære publico, nec egredi e palatio interim fas est. Præses, Senior cujusque Triadis, *Commendatore* dictus, per vices tridui sigillo & jure proponendi gaudet, nec tamen sine collegii consensu quidquam decernere vel exse-

qui valet. Deliberata de rep. in hoc collegio per antesignanum deferuntur ad ampliorem senatum, pro re nata decernentem, quæ ipsi arrident. Præconsultatores 18 (il consiglio di colloquio), e Senatu delecti, de rebus perplexis dubiisque cum decemviris consultant, quæ ad ampliorem senatum referenda sint. Seviris e senatu committitur cura redituum publicorum, utentibus exsecutore Camerario (camerlengo). Judiciis præsunt tres JCti, 50. lapides ab urbe nati. Quorum unus causas civiles, secundus criminales, tertius peregrinorum causas cognoscit, idque per vices semestres. Rebus ad commercia, h. e. fabricas & opificia pertinentibus e qualibet regione tres, novemviri præsunt cum Syndico suo, JCto pariter alienigena, suprema gaudentes jurisdictione. Alii novemviri abundantiæ victus procurationem (officio dell'Abondanza) in septennium sibi demandatam habent, cui adjunctum est ærarium, fere quale Genuæ est Georgianum, e quo lucrantur præter remp. & cives mercatores belgæ, angli, aliique, frumenta citra vectigal advehentes. Nec prætereundum est institutum pigrorum scrutinium, quo desides nebulones & mendici aut laborare coguntur aut in exilium mittuntur saltem in triennium. Minora magistratuum munera civibus relicta, aliaque instituta, cives ditiores nobilitandi & eorum patrocinium gerendi quibus concordia inter cives & nobiles conservatur, præterimus, tanquam iis affinia, quæ in aliis Italiæ rebuspp. usitantur.

Milites aluntur circiter 300. ultra 50. lapidem ab urbe nati, quorum 60. custodiam corporis antesignani obeunt, qui fere instar Ducis Genuensis habetur quoniam An. 1328. Castruccius vexillifer imperii illi pro Duce est datus. Vnde Aristocratia ducalis dici posset, licet antesignani jura videantur esse solito pauciora. Neque desunt, qui antesignanum elogio principis honestarunt. Sic *Misson Voyage d'Italie p. 321. L'état de Luques est fief & sous la protection de l'Empire, & le gouvernement est pure-*

purement Aristocratique. La Souverainité reside dans un Conseil de 240. nobles, qui se divisent par moitie & se succedent par semestre, & à leur teste est le Gonfalonier. Dont la charge repond assez à cette des Doges de Genes. . . . On lui donne le nom de Prince, mais on ne le traité que d'Excellence. cæt.

§. 194.

Ad sinum Venetum in Dalmatiae peninsula habetur Respublica Ragusina. Vrbs Ragusa An. 1637. & 1667. terræ motibus fere absorpta, resuscitata tamen & penitus, & imperatori Byzantino propter tutelam tributaria. Imitando Lucensem remp. utitur rectore, cujus imperium non est nisi unius mensis. Adjunguntur ipsi decemviri, qui cum ipso summum conficiunt concilium (la Signoria). Senatus major 60. constat nobilibus, minor tantum dimidio illorum numero. Penes illum sunt summa reip. pacis bellique negotia; penes hunc res civiles ærarii & commerciorum. Libertatis conservandæ causa nobiles nec armati incedere, nec per noctem sine senatus venia ab ædibus suis abesse possunt, nec portæ interdiu nisi ad certas horas patent. Inprimis solicite observatur, si quis Saracenus in urbe pernoctet. Arcis, in petra editiori sitæ & imminentis tuendæ causa quotidie novus datur præfectus præsidio militum ex Hungaria lectorum. *Temperies Reip. Ragusinæ.*

Sunt qui cum Venetis & Romano pontifice ditionem Ragusinam negant esse liberam remp. eam tantum communitatem Ragusinam vocantes. At licet liberior sit resp. nullius nè tutela quidam indigens; si non desinit esse liber homo, qui tutoribus subest, neque resp. nec regnum libertate destituitur, quando alterius utitur tutela. Reveretur Lucca imperatoris romano-germanici clypeum, neque eo secius est Respublica sui Juris. Quis negat Genuensem remp. sui esse Juris, licet & illa subfuerit imperio germanico, nec omnino ab illo absoluta statuatur hodieque. Potest imperium infeudari (§. 98. *P. VIII. Jur. nat.*)

nat.) & nihilominus esse absolutum, plenum & summum (§. 100. *seq. ibid.*). Nonne pleno gaudet imperio Rex Neapolitanus, licet quotannis Pontifici romano album det asturconem, fræno, stapede, soleis argenteis, ephippio holo serico & stragula auro intexta ornatum, una cum crumena 6000. aureis referta. Inde licet aliorum quoque patrocinio studeat Ragusa, uti Turcis 12. vel 20. millia aureorum solvit, hoc non obstabit ipsius pleno imperio, quo sui juris esse dicatur.

§. 195.

Quid habendum sit de Rep. S. Marini?

Perexigua est resp. Marinensis, inter Romandiolam & Vrbinum Petræ insita, & 6. vel 9. millia hominum circiter in ambitu suo, milliare germanicum quadratum fere complectente, fovens. Præter ipsam urbem 7. comprehendit loca sibi subjecta, neque commerciis vel divitiis florens. Inde recula publica (*Republichetta*) Italis dici consuevit, & Pontificis romani clientelæ subest, cujus ope aliquoties periculo subjectionis liberata est. Neque hoc impedit, quo minus venetam rempcarissimam salutet sororem (*Sorella*). Eligit sibi quotannis mense Martio & Septembri e nobilibus duo capita vel præfectos (*Capitani*), cum adjunctis senatoribus, semestri imperio præfuturis.

Mr. Misson dans son Voyage d'Italie Tom. I. p. 299. scribit: *On apperçoit la vers l'Apennin la ville & Republique de S. Marin, sur le sommet d'une montagne, au bas de la quelle sont les limites de l'Estat. Ce petit Essaim d'abeille se maintient heureusement depuis plusieurs siecles, parce qu'il n'est exposé à l'envie ni à la jalousie de personne.* Plura addat, qui tenet, de illius forma seu aristocratica seu mixta. Parvitatis exempla similia aut non longe dissimilia dabit Belgium, Helvetia, & Græcia antiqua. Nobis hæc Rerumpublicarum nunc suffecerint exempla.

SECTIO

SECTIO II.
DE
CONSTITVENDA SAPIENTER PROCVRATIONE JVSTI CIVIVM NVMERI.

CAPVT I.
DE
Civibus eorumque juſto numero.

§. 196.

Omni civitati opus eſt civibus. Civitas enim eſt ſocietas virorum libera, quantam optat, ſalutis cauſa inita (§. 31. *P. I. Polit.*), & quodlibet membrum civitatis, vel quilibet conſors ejusdem eſt civis (*ibid.*) & (§. 6. *P. VIII. Jur. nat.*). Per ſe vero manifeſtum eſt, uti ſocietas dari nequit ſine ſociis (§. 4. *P. VII. Jur. nat.*): ita nullam civitatem dari poſſe ſine civibus, qui illius ſunt ſocii, & in illa conſociati. Quare cum nulla civitas eſſe poſſit ſine civibus, omnem civitatem civibus indigere, ideoque unicuique civitati ſuos eſſe debere cives conſtat. *Civium in civitate neceſſitas.*

Vti civitas in Politica non accipitur tam ſtricte, ut non denotet, niſi cœtum hominum oppidanorum, a nobilibus & ruſticis diſcernendorum: ita civis quoque hic unumquemque notat hominem, qui ſocietatem quandam civilem intravit, ab eadem pro ſocio eſt receptus, & ſic in eadem degit. (Ein Mitgenoſſe des Staats vel Staats-Genoſſe). Dudum eſſe receptum, notatur ad (§. 6. *P. VIII. Jur. nat.*), ut civium nomine appellentur ſinguli homines, quos ſocietas tenet. Non ergo, niſi pe-

regrini, qui non ſunt membra noſtræ civitatis, civium numero excluduntur (§. 7. *P. VIII. Jur. nat.*). Ad cives quodammodo referuntur illi quoquo quorum opera & adjutorio cives indigent, ut incolæ, mercenarii, ſervi.

§. 197.

Cur non omnes in civitate neceſſarii ſint cives?

Non tamen omnes in civitatem recepti ſunt appellandi cives, quibus civitas carere nequit. Omnis quidem civitas ita indiget civibus, ut ſine illis eſſe civitas nequeat (§. 196.). Enimvero civitas debet eſſe ſocietas libera (§. 31. *P. I. Polit.*), inde a liberis pacto libere ineunda eſt (§. *cit.*), & (§. 195. & 216. *ibid.*) Sunt vero & ſervi in civitate neceſſarii (§. 580. & 590. *Oecon.*) Quam ob rem non omnes illi quibus civitas ita indiget, ut ſine illis eſſe nequeat, in genere ejus cives erunt appellandi, omnis civitas ubique eſt ſocietas (§. 31. *P. I. Polit.*). Societatis vero ſocii non ſunt, niſi qui mutuo conſenſu ejus ſocii ſunt facti (§. 4. *P. VII. Jur. nat.*). Nulla autem ſocietas eos admittere volet, quibus ipſa non indiget in communi ſcopo ſeu bono obtinendo. Multo minus eos recipiet, qui ipſius ſcopo ſunt obfuturi Inde quoque civitas non alios ſtatuet in civitatem eſſe admittendos, niſi quibus ſe egere ſentit ad ſalutem publicam promovendam. Quos ergo repudiavit, illi non erunt ejus cives; quos vero admiſit, ideoque ſibi ad ſcopum ſuum neceſſarios judicavit, illi vel ſervi ipſius, vel cives appellari poſſunt.

Confer. notata ad (§. 187.). Cum ex meris ſervis nulla civitas fieri poſſit, δȣλων πωλις in proverbium abiit, ad notandam rem abſonam impoſſibilemque.

§. 198.

Quinam ſint cives?

Proprie igitur cives non ſunt: niſi qui gaudent jure civitatis, itaque pacto cum civitate inito habiles ſunt declarati bonorum & honorum, quos merentur, capeſſendorum, ipſiusque juris imperandi. Cives

ves enim non sunt peregrini (§. 7. *P. VIII. Jur. nat.*), nec incolæ tantum civitatis (§. 8. *ibid.*), nec advenæ temporarii (§. 413. *ibid.*), nec nati ex hisce (§. 414. *ibid.*), nec servi (§. 197.). Restat igitur, ut cives sint liberi homines præditi jure civitatis seu pacto cum civitate inito ea lege admissi, ut habiles sint declarati bonorum & honorum, quos merentur, capessendorum, itaque & consortes juris imperandi (§. 518. *P. I. Polit. not.* 2.)

De cive, inquit *Aristoteles L. III. Polit. c.* 1. quis sit, sæpe contenditur, nec eundem omnes fatentur esse civem; & qui in populari civitate civis est, is persæpe in oligarchia non erit civis. Qui imperfecte (ἀτελῶς) sunt participes fori & judicii, ut pueri nondum propter ætatem inscripti, & senes ob senium emeriti, non simpliciter dicendi sunt cives, sed quodammodo (πῶς) cives. Civis simpliciter non est, nisi qui potest esse particeps potestatis publicæ judicandi & imperandi (μετέχειν κρίσεως καὶ ἀρχῆς). Illa autem potestas vel est determinata ad certum tempus, vel indeterminata & perpetua, ut illius qui in concione deliberat & suffragatur. Indefinitæ hujusmodi potestatis particeps proprie & super omnes alios civis est vocandus. „Quia populus est multitudo hominum in civitatem consociatorum (§. 5. *P. VIII. Jur. nat.*), quod de civibus diximus, idem etiam de potiori populo erit statuendum, tanquam de multitudine seu universo civium cœtu (§. 515. *seqq. ibid.*). Quem naturaliter liberum esse docuit (§. 55. *ibid.*).

§. 199.

Quinam cives sint primarii & secundarii?

Quia jus civitatis est id, quo cives fruuntur (§. 412. *P. VIII. Jur. nat.*), & jus populi, quo populus gaudet; in democratia autem idem populus imperio & præest & alio respectu subest (§. 510. *P. I. Polit.*): jus populi & civitatis vel est primarium seu superius vel secundarium seu inferius; illo particeps est imperii publici, hoc particeps est obsequii publici. In democratia, & quandoque aristocratia & monarchia utrumque

modo cadit in eundem, modo non amplius, pro viciſſitudine, ſeu legibus ſtatuta, ſeu eligentium optione. Alibi alterutrum eſt perpetuum. *Inde & populus & civis vel erit primarius, qui a jure imperandi non eſt excluſus, vel ſecundarius, qui ab eo eſt excluſus.* Vbi cives gaudent jure civitatis (§. 198.), ſic cives primarii gaudent jure aut ſpe imperandi tanquam jure civitatis ſuperiori; ſecundarii vero tantum jure civitatis inferiori ſunt potiti. Vnde a potiori facta denominatione cives ſimpliciter dicti ſunt cives primarii; ſecundarii vero tantum cives quodammodo vel aliquatenus, ſeu non-cives & ſubditi, uti populus tantum inferior ſeu plebs (§. 518. *P. I. Polit.*). Illi cives imperantes, hi parentes & ſubditi ſunt.

Martini L. I. Polit. c. 8. civem appellat ſocium univerſitatis participem ſuffragiorum & juris de rep. ſtatuendi. Quibus verbis cum Stagirita civem democratiæ, κατ' ἐξοχὴν ſic dictum ſiſtit. *Bodinus* vero *de Rep. L. I. c. 6.* civem vocat liberum hominem, ſummæ alterius poteſtati ſubjectum, h. e. ſiſtit nobis ſim ciuem ſecundarium, nec adæquate, cum & incolæ tales ſint. Addi his meretur *Ariſtotelis* illa explicatio *L. III. Polit. c. 8.* ſub *finem*, qua civem univerſe dicit eſſe eum, qui imperandi & parendi eſt particeps (ὁ μετεχων τȣ ἀρχειν καὶ ἀρχεσθαι). . . In optima vero rep. eum, qui poſſit & velit parere & imperare virtuti congruenter (ὁ δυναμενος καὶ προαιρȣμενος ἀρχεσθαι καὶ ἀρχειν προς τον βιον, τον κατ' ἀρετην). Quia non ſemper tales ſunt cives, quales eſſe debent, ſufficit eas retinere notas, quæ in omnibus ſemper deprehenduntur. Hæ vero ſunt in jure civitatis, quo cives gaudent, non-cives carent. . . Eſt igitur jus civitatis (das Bürger Recht) diſtinctius enucleandum, cum non ſit ubique nec omnibus unum.

§. 200.

Quod inferat jus civitatis

Jus civitatis vel indigenatus notat complexum jurium immunitatum & commodorum niſi non habendorum in civitate. Eſt nempe jus

jus civitatis non aliud, quam quo cives fruuntur (§. 412. *P. VIII. Jur. nat.*). Sed cives multis fruuntur juribus, cum universalibus, tum peculiaribus, tanquam membra civitatis (§. 6. *ibid.*), ad felicitatem prosperitatemque tendentis (§. 4. *ibid.*) & (§. 45. *P. I. Polit.*). Notat ergo jus civitatis, quod & jus indigenatus vocatur, complexum eorum jurium, quibus cives fruuntur. Non fruuntur autem his juribus aliter, quam natura civitatis permittit. Sed & ipsa natura civitatis non nisi lege divina & pacto constituitur (§. 169. *seqq.* & 216. *P. I. Polit.*); & complexus jurium in illa obtinendorum ipsius ope itidem lege naturali & pacto nititur (§. 198.). Proinde jus indigenatus infert complexum jurium & emolumentorum non nisi in civitate quadam adquisitorum adquirendorumve; vel complexum jurium non nisi e salute publica oriundorum. *vel indigenatus.*

Ratio, cur jus civitatis quoque appelletur jus indigenatus, hæc habetur, quod civium numero non immerito accensentur, qui ex civibus nati sunt, per quos civitas est conservanda. Quoniam indigenæ sunt, qui ex civibus in ea regione, quam incolunt, nati sunt (§. 411. *P. VIII. Jur. nat.*), visum est nonnullis, ævo Alexandri M. civem non dicere nisi eum, qui parente utroque cive natus est; aliis ne id quidem satis est, nisi & avos & proavos & atavos, fortasse & tritavos fuisse constet cives. Vid. *Aristotelis Polit. L. III. c. 1.* Qui quantis se involvant difficultatibus, non animadvertunt. Poteritne de atavo & tritavo itidem quæri, fueritne ille civis, & si continuo ulterius adscendas, admittendusne erit progressus in infinitum, an perveniendum tandem ad civem, qui non sit civis natus? Quam difficultatem *Leontinus Gorgias* observans, maluit jocose an callide dicere cives ex civibus fieri, & cives esse, qui cives progenerant. Quæ satis consona sunt illis, qui contendunt, composita nisi ex compositis fieri non posse, eodem acumine, quo negarent panem fieri posse, nisi ex pane, exercitum nisi ex exercitu, grandinem nisi ex grandine, &c. Quanquam lege quadam arcerentur a jure civi-

tatis, niſi qui ex civibus legitime nati ſunt; non tamen hoc obſtaret, quo minus ita natus demum expleto, uti Athenis, vigeſimo ætatis anno, actu in civium numerum reciperetur, interea tantum ſpe civitatem adipiſcendi lactatus. Pariter ſenes depontani, quos *Feſtus* dicit ſexagenarios, qui de ponte dejiciebantur, h. e. ſuffragio de ponte fieri ſolito, privabantur & immunitate ſeu otio donabantur, Ariſtoteles vero dimiſſos, emeritos & effœtos (παρηκμακότας) aptius vocat, tanquam qui fuerunt cives pleni, jam vero exitum e civitate meditantur opperiunturque, conſiderantur, & ſaltem eatenus civibus accenſentur.

§. 201.

Jus civitatis pacto determinatur.

Quoniam a voluntate populi ſive ejus, qui populi jus habet, voluntate dependet, quem & quouſque in civitate natum, item utrum peregrinum in civium numerum recipere, nec ne, & qua lege eum recipere velit (§. 409. *P. VIII. Jur. nat.*); ideo pariter ab eadem voluntate pendet, utrum illum civibus cæteris æquiparare, omnibus eorum juribus in ipſum collatis, an vero tantum quædam civium jura eidem conferre, aut duntaxat permittere velit; ut in regione ſua habitet, h. e. eum tanquam civem reliquis æqualem, aut inæqualem, aut tanquam incolam recipere velit (§. 410. *ibid.*). Enimvero ſolius civitatis voluntas nec civem nec incolam in ſtatu naturali quenquam facere poteſt, niſi qui talis fieri velit. Opus igitur eſt illius libero conſenſu, qui jus civitatis adipiſci debet, æque ac civitatis, ideoque opus eſt conventione civitatis & futuri civis in idem jus civitatis. At conventio de iisdem promiſſionibus pactum eſt (§. 788. *P. III. Jur. nat.*). Liquet igitur *jus civitatis vel indigenatus, item incolatus pacto eſſe adquirendum & ex pacto metiendum.*

Siquis hæc reſtringere velit ad cives adſcititios vel aſſumtos, nihil ille quidem profiteretur a veritate alienum. Sed id præteriret in ſua conſideratione, quod ſi quis civis non factus ſed natus

natus esse dici debeat, id æque per se locum non habeat, ac si Poëta natus dicatur, cum revera poëtæ non nascantur, sed fiant. Natus nempe Poëta non nisi propter facultatem & ardorem adipiscendi artem poëticam appellatur; nec natus vel originarius civis dici potest, nisi cui majorum pacto, in legem translato, jus civitatis est promissum, ut ejus sit habilis, & si velit illud adquirere prorsus suo tempore possit vel debeat. Vnde quod vulgo nativitati vel origini tribuitur, revera ex pacto esse, nec aliunde esse in civitate posse plane manifestum est. Quæ ergo civitas pateretur sibi pro civibus obtrudi quoscunque homines, nascendi forte in ipsius ditione editos? Num honestum & proficuum illi foret, servis, spuriis, mendicis abundare?

§. 202.

Quænam jura non sufficiant ad jus civitatis.

Si qua jura in civitate cuipiam sunt pacto adquisita, quæ ad jus civitatis sufficere ab ipsa negantur, is propterea nondum erit civis. Etenim jus civitatis vel indigenatus pacto est adquirendum (§. 201.). Quare si pacto jus civitatis cuipiam non sit adquisitum, is non erit civis. Sed si quis jura quædam in civitate pacto adquisivit, quæ civitas negat jus civitatis dare, is jus civitatis non adquisivit, non nisi utriusque paciscentis consensu adquirendum. Ea propter quamvis compos illorum jurium, civis tamen non erit, nec pro cive in illa civitate agnoscetur licet plebi & subditis annumeretur (§. 518. *P. I. Polit.*).

Quisquis hujusmodi jura, ideo quia cives quoque iisdem fruuntur, jura civitatis appellare, & eorundem participem civem vellet appellare: is quidem suo uteretur arbitratu, multos vero dicere cives, quos ipsa civitas negat esse cives subditorum loco eos ponens. Inde præstat, usum loquendi in civitatibus receptum retinere, quam novis vocabulis memoriæ præter rem molestias creare. Ita Martini *cives forenses* vocat advenas, foro tantum, nundinis & commerciorum jure utentes secundum mores & leges civitatis. Sed hujusmodi advenas temporarios, agyrtas, petauristus, empiricos, nec civibus nec incolis annumerandos

dos esse, docet (§. 413. *P. VIII. Jur. nat.*), neque natos ex iisdem ubi commorantur, ibi cives esse vel incolas, sed ubi parentes vel cives sunt vel incolæ (§. 414. *ibid.*). Eodem refertur jus incolatus, vel perpetuæ habitationis in civitate. Incola enim & ab ipso procreati censentur inter nudos inquilinos vel peregrinos aut subditos, quibus tantum permissum est habitare & rem suam agere in civitate (§. 8. *ibid.*). In eundem censum referuntur homines mercenarii, qui civibus locant suas operas pro certa mercede, cujuscunque sint nominis uti adjutores mercaturæ, artificii, opificiique civium qui aliis a secretis, libris rationariis, a manu sunt, notarii, canditati varii, studiosi, strictius dicti operarii mercenariique, messores, milites, apparitores accensi, lictores, hortulani, servi & ancillæ, & qui præter hos generis sunt ejusdem, nempe ut in civitate quidem degant & victum quærant, sed in civium numero non habeantur. Dantur enim in civitate mercatores peregrini, eorumque consules, aut factores & gestores negotiorum, incolarum loco tantum habendi. Dantur musici, comœdi, laboratores chemiæ, lixæ & calones, propolæ, mangones, scrutarii, Judæi, æditui, vespillones, aliique hujus commatis, qui ad jus civitatis non admittuntur.

§. 203.

Contenta pleni juris indigenatus.

Ad jus civitatis refertur communio felicitatis prosperitatisque civilis, quanta haberi mutua omnium ope potest in eo, quod quis elegit vitæ genere & quanta pacto est adquisita. Quippe si plenum est jus civitatis, cujusmodi in archidemocratia datur indigenatus, continet illud jus adquirendi possidendique proprio nomine bona immobilia, quod includit jus perpetui & proprii domicilii; jus communibus emolumentis mutua opera semper promovendis fruendi, & libere exercendi jugiter artem, quam quisque callet, aut suum vitæ genus, & in eo quodvis lucrum licitum quærendi percipiendique; jus adspirandi ad imperium, munera, honores, beneficia, & reditus, quatenus meretur; jus de summis rebus futuris consultandi in comitiis & suffragandi;

gandi; de præſentibus ſalutares leges condendi, & contrarias abrogandi; de præteritis judicandi promeritaque ſeu præmia decernendi, ſeu ſuplicia irrogandi, aut hæc pro rebus natis mitigandi remittendique; jus de tributis & vectigalibus, de fœderibus, bello & pace prout conſultum videtur, conſciſcendi; & ut paucis abſolvam, participationem publicorum jurium, privilegiorum immunitatumque legitimum & captui ſalutique publicæ reſpondentem. Si minus plenum vel extra democratiam eſt jus civitatis, priora duo fere & tertium quodammodo involvit, ut ſcilicet municipes ſint & ad nonnulla civitatis munera admittantur, niſi temperatio quædam popularis ſtatus adjuncta ſit. Generatim igitur ſi abſolutum non ſit jus civitatis, videndum eſt, quantum ejus pacto ſit adquiſitum (§. 201.).

Municipes *Varroni* dicuntur, qui una munus fungi debent, vel ut *Paullus* ait, qui munera civilia capiunt, eorumque ideo ſunt participes. Themiſtocles oraculum delphicum interpretaturus, quod muri lignei navium præſidium deſignent, omnibus perſuadet, patriam *municipes* eſſe, non mœnia, civitatemque non in ædificiis, ſed in civibus poſitam; melius itaque ſalutem navibus quam urbi commiſſuros. Hujus ſententiæ etiam Deum eſſe auctorem. Quæ ſunt verba *Juſtin. Hiſt. L. II. c. 12.* Vbi municipes pro civibus adhibentur. Quo modo & *Vlpianus l. 1. ff. ad munic.* municipes, inquit, nunc dicimus ſuos cujuscunque civitatis cives.

Jus civitatis (πολιτευμα) *Martini* vocat jus utendi & fruendi utilibus & neceſſariis inter cives ejusdem univerſitatis conſtitutis, ad vitæ hujus uſum & conſortium - - - Civis dum jure civitatis gaudet, jus quoque ſuffragiorum habet ſaltem poteſtate, licet id non ſemper exercere poſſit. Id vero eſt ex accidente, quatenus inter vulgares cives, qui non niſi ſubditi ſunt, numerantur. Exercet tamen hoc per alios cives, qui ad ſuffragia edenda deputantur. Addi his poſſet, in Ariſtocratia & mono-
(*Wolfii Politicæ P. II. C. I.*)

cratia, cives jus de rep. vel de summa rerum statuendi, exercere per eum, vel eos, quibus illud commisit, vel potius in quos jus suum transtulit. Eam ob rationem *Augustius de civitate Dei L. II. c. 21.* ita statuit *ex Cicerone:* populus non est omnis cœtus multitudinis, sed cœtus juris consensu & utilitatis communione sociatus.

§. 204.

Cur jus civitatis multum discrepet?

Quia jus civitatis ex pacto est metiendum (§. 201.), & notat complexum jurium non nisi in civitate habendorum (§. 200.); plenum autem & plurima & summa complectitur jura; minus plenum vero innumeris modis potest variari & numero & gradu jurium populo relictorum (§. 203.): constat luculenter, *jus civitatis & in simplicibus, & præsertim in mixtis rebuspublicis mirum quantum discrepare posse & solere.* Nam modo majorem modo minorem complexum jurium publicorum, seu modo plura modo pauciora, jura modo superiora modo inferiora jura & cujusque juris gradum quoque majorem aut minorem, item jurium majorem minoremve consensum involvit. Quibus accedit varia quoque civium degeneratio depravatioque. Vnde & in eadem civitate cives alii majora alii minora item plura & pauciora jura habent.

Varietas in denominatione civium non præteriit primum Politicæ, quam in aula macedonica didicerat, editorem, qui *Lib. III. Polit. c. 1.* ita sciscit: civem pro singulis rebus publicis alium esse oportet. Quare explicatus maxime est civis in democratia, in aliis vero fieri quidem potest, ut sit, non tamen est necesse. Quod repetii *cap. 8. ibidem.* Singulis rebus publ. alios esse cives, nec semper juris imperandi, nec ex æquo participes, sed prout aliis aliisque pactis nituntur. Vnde civem non idem semper sonare, sed per analogiam illi plus tribuendum esse in democratia, in aliis formis minus.

§. 205.

§. 205.

Sicut jura naſcuntur ex officiis (§. 23. *P. I. Jur. nat.*): ita quoque jura civium, quibus in civitate gaudent, ortum ducunt ex civium officiis erga ſe invicem. Vbi omnia civitatis jura civibus ſunt reſervata, ut in Archidemocratia, ibi etiam omnia officia & onera civibus æqualiter incumbunt. Vbi vero pauciora civibus tribuuntur & inferiora tantum jura, ibi etiam pauciora tantum officia & onera ipſis injuncta erunt, ut tot periculis minime ſubſint, quot alii. Ea propter præter jura & commoda civium ſpectanda quoque ſunt eorum officia, onera & incommoda vel pericula, quibus ſalutis publicæ gratia ſubjiciuntur ſemperque ſubſunt, quoties ingruunt. Quare juribus civitatis reſpondent quoque onera & officia civitatis, ut cui civi plus jurium datum eſt, ab eo etiam plus officii requiratur, vel cui plura injuncta ſunt officia reip. cauſa exantlanda, eidem quoque plura h. e. omnia illa jura tribuenda fuerint, ſine quibus fungi ſuo officio non poſſet. *Sunt ergo uti diverſa civium ejusdem aut diverſæ civitatis jura, ſic & diverſa civium officia,* tum ratione numeri, tum ratione momenti, quoad plures moleſtias, diſpendia, labores & pericula cum ipſis ſæpe conjunctæ, ratione membrorum integritatis, ſanitatis, vitæque.

Itemque civium officia?

Hoc reſpiciens Ariſtoteles in cive enarrat communicationem & imperii & obſequii (*not.* §. 199.). Eſt enim æquitatis naturalis, ut cujus ſunt commoda, ejus & ſint incommoda; & cujus ſunt incommoda rei, ejus quoque ſint illius commoda & emolumenta. Jura civitatis ſunt illa commoda & emolumenta, quibus cives gaudere & frui poſſunt. Incommoda vero ſunt illa onera & officia, ſine quibus illa emolumenta haberi & perpetuari nequeunt. Cæterum oſtenditur in hoc §. ſimul, nec jura ſine officiis, nec officia ſine juribus dari, uti alias, ſic & in civibus. Qua de re licet ſeorſum iſta tractari poſſint; uno tamen poſito ponitur alterum, ut in definitione civis ſufficiat mentio

juris civitatis, quia ex jure officia & onera derivari possunt. Jus nempe utendi fruendique salute publica, instar finis civium considerari potest, e quo officia illius causa obeunda naturaliter oriuntur explicanturque. Quæ ut manifestiora fiant, sequentia addere lubet.

§. 206.

Norma officiorum civium.

Civium officia non sunt alia, quam quæ salutis publicæ fruitio omnimoda requirit. Finis enim civitatis non est nisi salus publica, ejusque non impedita fruitio (§. 36. *P. I. Polit.*) complectens omne illud commune bonum, quod aut non melius, aut non nisi conjunctis omnium viribus parari, conservarique ita potest, ut singulis tuta sit illorum perceptio fruitioque (§. 35. *ibid.*). Non nisi hujus finis obtinendi gratia civitates ineuntur coluntur que, vel sunt ineundæ & colendæ (§. 31. *ibid.*). Quare cum officia civium non sint nisi actiones, ad quas obligantur tanquam cives (§. 224. *P. I. Phil. pract. univ.*) obligantur vero ad illas, quæ salutis publicæ fruendæ causa sunt necessariæ (§. 118 *ibid.*): manifestum est, officia civium non esse alia, quam quæ fruitio tuta salutis publicæ requirit, vel quod eodem redit, sine quibus fruitio salutis publicæ nequit haberi & perpetuari, item nequit esse tam ampla, certa stabilisque, ac esse potest.

Fœcundum hoc est principium heoristicum, uti detegendi & ex fontibus suis derivandi quælibet vera civium officia, ita & illa demonstrandi, de illis animos convincendi, spuria autem & falsa rejiciendi refutandique. Quod experiri actuque ostendere poterit, qui omnia civium officia genuina in systema redigere volet.

§. 207.

Regula officia civium distribuendi.

Officia civium pro meritis ita sunt distribuenda, uti quisque illis salva fruitione salutis publicæ, bene vel melius fungi potest. Officia enim sunt actiones liberæ, ad quas obligamur (§. 224. *P. I. Phil. pract. univ.*). Obligamur autem ad præferendum melius dete-

deteriori (§. 192. *ibid.*), inde obligamur quoque ut cives, ad præferendas actiones civiles meliores deterioribus. Quare cum hæc obligatio sit naturalis atque immutabilis (§. 130. *ibid.*); & meritorum propriorum æque majorum ratio sit habenda (§. 659. *seq. P. VIII. Jur. nat.*): & unusquisque per se ea suscipere debet officia, & civitas ea imponere cuique debet officia civium, quibus fungendis singuli pro meritis non modo pares sunt, sed & quibus bene saltem, & melius quam aliis aut alii fungi possunt. Liquet igitur, officia civium ita esse distribuenda, uti quisque illis, salute publica plene fruiturus, bene & melius quam aliis officiis, & quam alii cives fungi potest.

Male fungens officio publico, aut parum prodest saluti publicæ, minusque ac posset & deberet, aut impar illi & perverse agens, vel negligens agenda, plane obest eidem. Quare curandum est in officiorum civilium distributione, ne illa inepte & in detrimentum salutis publicæ, sed potius sapienter in tantum illius emolumentum fiat, quantum haberi potest. Hinc absurde expeteret civis ejusmodi officia civilia, quibus fungendis aut prorsus impar esset, aut deterius fungeretur ac deberet. Neque nisi error, impotentia animi & delirium, vel vitiosus habitus & affectus ferre ipsum in talia expetenda & audenda posset. Insipienter quoque non expetita officia illis vel invitis imponerentur, qui ipsis vel ex toto, vel ex majori parte impares deprehenduntur, neque id dissimulant, sed illa serio deprecantur, & inviti subeunt, quando ipsorum rationes spernuntur.

§. 208.

Officia civium communia & propria, plebeja & eximia.

Officia civium vel sunt communia, quæ non tantum civibus quibusque, sed & non civibus pacto seu expresso seu tacito incumbunt; *vel sunt propria*, quæ solis civibus qua talibus sunt attributa. Ambo vel sunt *plebeja* & vilia, quæ vulgari captu & educatione fieri possunt, nec ulla arte indigent; vel *eximia*,

quæ non niſi ope artis cujusdam diu exercendæ præſtari poſſunt (§. 427. *P. VII. Jur. nat.*).

Officia communia ſingulorum ſunt ſubjectio, obedientia, fidelitas & reverentia connubia, legum communium cuſtodia, communis boni promotio, damni averſio pro viribus, & periculi imminentis, quando innotuit, denuntiatio tempeſtiva. Ad hæc enim obligantur recepti quicunque advenæ, pacto ſi non expreſſo ſaltem tacito, quo admitti in civitatem voluerunt & admiſſi ſunt, utique a nulla civitate recipiendi, ſi animum his contrarium præ ſe ferrent, & pro meritis puniendi, ſi ſecus egerint. Propria vero civium obligatio eſt in ſubeundis quibuscunque oneribus civilibus, ad quæ advenæ, inquilini & his ſimiles non obſtringuntur, ſed cives tantum qua tales, vel qui ſunt cives.

§. 209.

Vnde communia omnium officia oriuntur.

Officia civium communia oriuntur ex jure habitationis, tranquillitatis ſecuritatisque in rebus ſuis peragendis, quo in civitate frui cupiunt & pacto tacito ſaltem fruuntur. Etenim non minus advenæ, hoſpites & peregrinantes, quam cives & inquilini cupiunt immunitatem ſibi præſtari ab injuriis & damnis in itinere & via, in hoſpitiis & diverſoriis, ubicunque commorantur, in ſuo cum aliis commercio & negotio, in jure dicundo, ſi quid litigii ipſis oboriatur, & hac commoditate, tranquillitate & ſecuritate ſibi in civitate præſtita pacto tacito ſaltem utuntur fruuntur, quamdiu in illa verſantur (§. 791. *P. III. Jur. nat.*). Neque alium caſum nunc ob oculos habemus. Sed officia civium communia ſunt, quæ non tantum civibus quibuscunque ſed & iis, qui non ſunt cives, ſed pacto tacito aut expreſſo tantum in civitate quiete degunt & res ſuas agunt, incumbunt (§. 208.). Atqui ob commemorata emolumenta æquum eſt, ut non cives (die Unbürger), nolint melioris eſſe conditionis quam ipſimet cives, ideoque ut civium commodis fruituri etiam ut cives

cives erga civitatem ſe gerant, civium commoda itidem quærendo, damna vero avertendo, ideoque legibus & magiſtratui debitam reverentiam, obedientiam fidemque præſtando.

Si radices horum officiorum imas ſcrutari & eruere lubet, deprehendentur illæ in ipſo jure naturæ & per illud injunctis officiis erga alios. Omnem enim facere tenemur facultatum noſtrarum uſum, qui ad perficiendum animum, corpus & ſtatum aliorum hominum, & ad arcendam omnem imperfectionem ac moleſtiam ab eorum anima, corpore & ſtatu requiritur, quatenus id absque neglectu officiorum erga Deum & ſe ipſum fieri poteſt (§. 609. *P. I. Jur. nat.*). Eodem quoque civitates pacto fuerunt conſtituendæ (§. 2. 3. & 4. *P. VIII. Jur. nat.*). Eodem & pacta cum expreſſa tum tacita ſunt ſervanda (§. 789. *ſeqq. P. III. Jur. nat.*). Sed ſi qui vel brevi tempore tantum commodis alterius civitatis frui velint, quibus indigent, communibus nec civium commodis obfuturis; vel expreſſum adhibetur pactum, quo recipiantur, uti ſi ſtudioſi in academia aliquamdiu commorari velint, vel tacitum, ubi expreſſa commode adhiberi nequeunt ob nimiam multitudinem peregrinorum, ad nundinas aut ſolemnes feſtivitates ſpectandas confluentium, vel copioſe transeuntium, peregrinantium & ad breve tempus tantum commoraturorum.

§. 210.

Vnde fluant propria civium officia?

Propria civium officia naſcuntur ex jure civitatis, quatenus illud pacto eſt adquiſitum, & ex eodem ſunt metienda. Propria enim civium officia ſolis civibus incumbunt propterea quia ſunt cives (§. 208.). Sed cives ſunt propterea, quia adepti ſunt jus civitatis (§. 198.), quod notat complexum jurium, immunitatum privilegiorum ac emolumentorum communium, quæ pacto ſunt promiſſa (§. 200.), & quæ fruitionem ſalutis publicæ præſtant (§. 203. & 206.). Quia officia civium non alia ſunt, quam quæ poſtulat ſecura fruitio publicæ ſalutis (§. 206.): pa-

tefcit inde, propria civium officia nafci ex jure civitatis, quatenus cives illud pacto funt adepti.

Quia jus civitatis modo plenum effe poteft, quod omnia infert emolumenta non nifi ope civitatis habenda, modo minus plenum, quod non omnia, fed quædam duntaxat jura & commoda publica infert (§. 203), & in diverfis rerumpublicarum formis mirum quantum variare poteft (§. 204.): utique illud non nifi ex pacto erit metiendum (§. 201.), cum juribus respondeant officia civium, & prout illa differunt, ita hæc quoque diverfa fint (§. 205.).

Quod ut exemplo illuftremus, cives capiemus romanos. Hi neceffario erant in quodam ordine & quadam tribu ac centuria, in qua ad comitia vocati fuffragia ferre, & in legione militare cum aliis obligabantur, urbis periculo aut bello id flagitante; tributa inftar aliorum Quiritium pendebant; pro civibus fe gerebant, feque mutuo juvabant ac defendebant; connubia inibant, tutelas obibant more romano; legibus, magiftratibus & judiciis romanis obtemperabant &c. Ita difcernebantur a municipibus, libertinis & inquilinis; quia his tantum jus habitationis, illis præter habitationem & libertatem etiam tribus erat, ut nullus ad honores aditus, iftis vero & tribus & fuffragium & jus honores petendi capiendique; fed nondum domicilium; Quare fi Romam migrabant municipes, ibique domicilium figebant, pleni erant cives vel jure civitatis optimo utebantur. Nondum enim plenum erat jus civitatis, propter domicilii defectum in urbe romana. Tria demum illa civem romanum optimum oftendebant, domicilium, tribus & jus munerum capiendorum.

§. 211.

Officia vel in operis vel in rebus dantur.

Officia civium, Reip. caufa obeunda, vel confiftunt in operis, vel in rebus ad publica commoda conferendis. Res enim dicitur omne ens durabile ad hominis perfectionem conducens (§. 495. P. I. Jur. nat.). Sed dum res factæ funt fingulorum, itaque defie-

desierunt esse communes, sunt illæ in dominio (§. 117. *seq. P. II. Jur. nat.*). Quia opera non est nisi actio libera, & æquiparatur rebus (§. 436. & 437. *ibid.*) subest & ipsa proprietati dominioque humano (§. 12. *P. I. Philos. pract. univ.* & §. 955. 959. *P. I. Theol. nat.*). Jam officia civium non sunt alia quam quæ salutis publicæ fruitio requirit (§. 206.). Sed salutis publicæ fruitio requirit cum operas in commune bonum conferendas (§. 20. *seqq. P. VIII. Jur. nat.*), tum res & sumtus (§. 277. *seq. ibid.*). Ea propter officia civium redeunt vel ad operas, vel ad res seu opes in publica commoda conferendas.

Operæ tanquam actiones liberæ, vel & conatus ac contentio libere agendi sunt mutationes status, quarum ratio est in agente (§. 713. *Ontol.*). Omnis vero rei mutatio posita est in variatione modorum ejus (§. 703. *ibid.*), & variatio infert successionem modi unius in locum alterius (§. 704. *ibid.*). Inde manifestum est, quando mutatio dicitur, illam differre a re durabili, in qua dari debet, quod diserte exprimit §. 703. *cit.* Inde res notant ens quodvis durabile, sive externum sit, uti opes, sive internum, uti jura, obligationes, & habitus; operæ sunt actiones liberæ in mutatione rei fluxa & illico transeunte nec revertente consistentes ideoque non durabiles. Hinc operæ differunt a rebus.

§. 212.

Operæ, a civibus boni communis causa subeundæ vocari possunt *operæ publicæ*, & *onera personalia* (§. 28. *Oecon.*). Res vero ab iisdem in commune bonum erogandæ & conferendæ sunt sumtus publici, vel *onera reip.* (§. 774. *P. VIII. Jur. nat.*), quæ & *onera realia* seu *patrimonialia* civium vocari solent. Unde patet *officia civium vel personalia esse vel realia*, quorum illa faciendo hæc dando absolvuntur (§. 1. *P. IV. Jur. nat.*). Brevitatis causa illæ tantum operæ, hæc onera dicuntur, quando contextus docet, de civium officiis sermonem esse. *Suntque vel personalia vel realia.*

Onera reip. (§. 774. *cit.*) dicuntur omnes sumtus reip. administrandæ vel defendendæ causa faciendi. Qui sumtus vel in annona fiunt, in publicos usus suppeditata, vel in vectigalibus portoriisque, vel in tributis (§. 926. *seqq. P. VIII. Jur. nat.*). Ope tributorum vicariæ aliorum ordinariæ operæ adquiri possunt, quibus merces pro illis obeundis præstatur. Cujusmodi operæ sunt excubiæ pro securitate publica noctu diuque agendæ, exercitium & usus armorum atque expeditio bellica contra hostes, angariæ & parangariæ, h. e. operæ reliquæ ordinariæ & extraordinariæ, hospitationes militum &c. Si ordinariæ operæ per alios tanquam vicarios præstantur; tantum opus erit extraordinariis, per ipsos cives obeundis, ubi ordinariæ non sufficiunt, nec satis tutæ videntur.

§. 213.

Operæ vel vulgares, vel artificiales.

Operæ publicæ vel sunt *vulgares vel artificiales*, & hæ vel nobiliores ac *liberales, vel illiberales* & ignobiles, quarum infimæ, sordidæ appellantur. Operæ enim publicæ sunt operæ a civibus boni communis causa subeundæ (§. 212). Quia operæ sunt actiones liberæ (§. 437. *P. II. Jur. nat.*), etiam actiones vel sunt artificiales seu eximiæ, vel plebejæ & vulgares (§. 208.), ut ipsæ artes (§ 483. *P. I. Ethic.*). Vti ergo artes vel liberales vel illiberales sunt & sordidæ (§. 483. *cit.*), ita quoque operæ artificiales aliæ erunt liberales, aliæ tantum illiberales aut plane sordidæ.

Quæ mediæ artes vocantur, illæ a potiori facta denominatione ad nobiliores seu liberales inferioris gradus referri possunt. Qui vero id malit, & has medias operas inter illiberales & liberales salutet, pro lubitu suo. Ad operas vulgares referri etiam possunt connubia, ad procreandam educandamque sobolem ineunda.

Operæ vulgares, quibus homines indigent, ad vitæ suæ præsidia quærenda, merito ita ipsis manent propriæ, ut vacare officiis naturalibus se suosque honeste alendi possint. Quatenus vero

vero Reſp. iis indiget, eatenus quia in omnium commoda cedunt, omnibus æqualiter ſunt ſubeundæ, niſi ſint, qui pro aliis eas ſubituri ſunt pro ſtipulata æqua mercede. Pariter quoque artes vulgares, manuaria opera potiſſimum peragendæ, eo magis quæſtui privato hominum relinquuntur, ut quicunque illarum operibus uti cupiunt, ab his ea emant, qui illis parandis vitam ſuam potiſſimum dicarunt. Harum aliæ faciunt ad neceſſaria alimenta obtinenda, uti agricultura, res pecuaria, piſcatio, venatio, vinearum & horti cultura, coquinaria, braſſatoria laniena, piſtoria; alia ad veſtimenta neceſſaria conſequenda, uti textoria, tinctoria, ſutoria, ſartoria, pilearia, pellionaria; aliæ ad habitationem & munimenta, uti architectonica varia omnisque fabrilis, circa ligna, lapides, lateres &c. parandos ſtruendosque occupata; aliæ ad res transportandas uti vehicularis, navicularia, nautica &c. aliæ ad vaſa & inſtrumenta omnis generis, quibus indigent homines in re domeſtica & arte ſua, paranda, ut figulina, ſcriniaria, arcularia, doliaria, ephippiaria, velificatoria, carpentaria, reſtiaria, tornatoria, vitriaria, ſtannaria, aurificina ſimilesque mechanicæ complures; aliæ ad mercaturam omnis generis; aliæ ad vitam & ſecuritatem, ut bellica in omni ambitu ſuo, & gymnaſtica; aliæ ad ſanitatem conſervandam & reparandam, uti chirurgica, chemica, pharmaceutica, medica; aliæ ad oblectationem, commoditatem & ornamenta, uti muſica omnis, ſaltatoria, pictoria, ſtatuaria, ſculptoria, cælatoria, fuſoria, plaſtice, ſimilesque ad comptum, ludum, ſpectacula comparatæ. Nec dum quidquam dico de liberalibus ad mentem perficiendam comparandis. Quatenus omnes illæ ad honeſtum privatum quæſtum faciunt, eatenus liberum cuique earum manet exercitium.

§. 214.

Quæ operæ publicæ ſint compenſandæ?

Si quæ operæ publicæ perpetui uſus ſunt in civitate, ut earum cauſa negligenda ſint privata officia naturalia, ad illa ſubeunda nemo obligatur, niſi cui plena pro illis præſtatur indemnitas. Quilibet enim civis alios quidem quoscunque ope ſua indigentes juva-

re debet, ut ea conſequantur animi corporis ac fortunæ bona, ad quæ adquirenda obligantur, quatenus illud in ſua habet poteſtate (§. 612. *P. I. Jur. nat.*). Enim vero quidquid præſtare aliis non valet niſi cum neglectu officii erga ſe ipſum, id non habet in ſua poteſtate (§. 610. *ibid.*). Eapropter ad illa quæ ſine neglectu officii naturalis erga ſe præſtari nequeunt aliis civibus præſtanda nemo civium obligatur.

Prout nemo alteri damnum dare ſed potius unusquisque omne damnum & a ſe & ab aliis avertere debet (§. 492. & 495. *P. II. Jur. nat.*): ita civitas quoque obligatur ad cives quoscunque indemnes præſtandos, ſi quod damnum occaſione demandati muneris ſubierunt aut ſubeundum eſſet (§. 682. *P. II. Jur. nat.*). Velle enim moraliter nequit, ut cuiquam officium ſuum ſit damnoſum (*ibid.*). At quoniam pro pecunia res & operæ ab alio comparari poſſunt (§. 293. *ibid.*), pretio vel honorario æquo ſcilicet ope pacti determinato (§. 322. & 738. *ibid.*): collatio & ſuſceptio hujusmodi officii alias damnoſi pacto ita eſt perficienda (§. 900. *P. VIII. Jur. nat.*), ut pro eo ſalarium detur a civitate (§. 904. *ibid.*), quo honeſte ſuſtentari poſſit eodem fungens (§. 907. *ibid.*) hoc eſt, quo plena ipſi præſtetur indemnitas.

Turpius multo foret civitati integræ, quam ſingulari cuipiam homini, ſi vellet cum alterius damno locupletari (§. 585. *P. II. Jur. nat.*). Quamobrem quamcunque poteſt, ſibique honorificam judicare debet, indemnitatem illis præſtare debet, qui neglecto officio privato recte publico funguntur pro pacto ſibi redhoſtimento (§. 721. *P. VIII. Jur. nat.*). Quoniam ſalarium honorariumque ex pacto debetur, recte fungenti partibus ſuis illud perfecte debetur (§. 735. *P. IV. Jur. nat.*): ideoque ſi ipſi non ſolvitur, fit illi injuria publica, quæ peſſimi eſt exempli. Si precibus, ſi æquitati nullus relinquitur locus, adeſt is caſus, quo uno paciſcentium recuſante quod debet, nec alter ad

ad id præstandum tenetur, quod ipse ex eodem debet, sed ipsi ab eo recedere licet in quantum recedit ab eo alter (§. 827. P. III. Jur. nat.).

§. 215.

Indemnitas publico officio fungentibus vel præstatur salario seu honorario, vel concessione immunitatis & privilegii, vel reditibus ipsam diligentiam officii involventibus indefinitis vel hisce mixtis. Indemnitate nimirum præstanda efficiendum est, ne cuiquam officium suum evadat damnosum (§. 632. P. IV. Jur. nat.). Quod aliter fieri nequit, quam ex asse compensando ipsi neglectum officii privati, qui fungendo officio publico evitari nequit (§. 214.). Sed si salarium conventum solvitur, datur merces pro operis reip. in obeundo munere publico præstitis (§. 905. P. VIII. Jur. nat.). Si datur honorarium, donatur alteri pecunia animo remunerandi ipsum ob præstationem gratuitam, vel æstimari nesciam (§. 731. P. IV. Jur. nat.), quæ excedere solet verum operæ pretium seu mercedem (§. 741. ibid.). Si conceditur immunitas ab aliis oneribus & operis publicis, idem est, ac si eorum valor donetur. Quare cum merces æque ac honorarium tam in pecunia, quam in rebus aliis quibuscunque consistere possit (§. 1211. ibid.): immunitates recte salario & honorario æquiparantur, quatenus ipsarum pretium æstimari potest. Lucratur enim immunis a solutione, quantum alias solvere deberet; lucratur qui operam præstare non obligatur mercedem illius operæ. Quid! quod immunitas ista, qua quis fruitur, privilegium recte censetur. Sed lucrum & commodum ex privilegio, propter officium concesso, merito refertur in partem salarii (§. 906. P. VIII. Jur. nat.). Idcirco quantum privilegii usus valet, quantum commodi affert, tantum id vergit quoque in efficiendam ipsius indemnitatem, qui privilegio ob munus publicum gaudet. Denique reditus indefi-

Modi indemnitatem publice præstandi.

niti quidem, sed ad majorem in officio diligentiam comparati, sive quadamtenus stati sint sive prorsus variabiles, vulgo accidentia, aut jura stolæ vocari solent (§ 909. *P. VIII. Jur. nat.*), & pro valore suo recte in partem salarii, vel in ejus locum cedunt (§. 910. *ibid.*). Denique & conjungi ex his varia posse, per se patet.

Revocari præstatio indemnitatis potest ad duo capita, res scilicet corporales & incorporales. Res corporales sunt salarium seu honorarium, sive in pecunia consistit, sive in rebus pecuniam valentibus, iisque aut definitis, aut indefinitis, quarum summa non est eadem, nec valor quotannis idem. Res incorporales sunt jura, privilegia & immunitates, quibus itidem suum est pretium, ut pecuniæ rebusque aliis.

§. 216.

Civium plenorum jura & officia.

Cives ordinarii iique pleni omnibus gaudent juribus civitatis, & ad cuncta ejusdem onera obligantur. Cives enim plerique & usitatissimi dicuntur ordinarii; iidem vero ut cives gaudent jure civitatis (§. 198). Sed jus civitatis involvit complexum jurium, immunitatum, & commodorum nisi in civitate non habendorum (§. 200.). Quod cum multa involvat ad felicitatem prosperitatemque civilem facientia (§. 203.): patet facile, plenum civem non esse, nisi qui omnibus gaudet civitatis juribus. Quum vero juribus sua respondeant officia (§. 205), quæcunque fruitio salutis publicæ requirit (§ 206): cives pleni etiam obligantur ad quævis officia atque onera civitatis subeunda (§. 208. *seqq.*). Si igitur cives ordinarii ac pleni omnibus gaudent civitatis juribus; iidem quoque obligantur ad cuncta civitatis officia & onera subeunda, sive per se, sive per alios mercede conductos, ubi illi civibus recte surrogantur, nec periculum est verendum.

Sunto rursus exempli loco cives romani, de quibus jam ad §. 210. notavimus, illorum jus civitatis plenum dictum esse optimum item Jus Quiritum. Pleno jure civis censebatur in quodam ordine & aliqua ex 35. tribubus civium, & in sua tribu suffragium ferebat; gaudebat aditu ad magistratus honores dignitatesque; non poterat virgis cædi, nec vinculis coërceri, nec capite plecti, nisi populi judicio; (quod jus *a Verre* violatum vehementer urget *Cicero Or. V. c. 61. seq.* Gavius, inquiens, loqui Messanæ cœpit & queri, se civem romanum in vincula esse conjectum, sibi recta iter esse romam &c. Verres repente hominem proripi atque in foro medio nudari ac deligari, & virgas expediri jubet. Clamabat ille miser, se civem esse romanum. Quæ vox & imploratio multis in ultimis terris opem inter barbaros & salutem tulit. Hac se commemoratione civitatis omnia verbera depulsurum, cruciatumque a corpore dejecturum arbitrabatur - - - o jus eximium nostræ civitatis, o lex Portia, legesque Semproniæ &c. Eodem Jure se Paulus Apostolus tuebatur *Actor.* XXII, 25-29. Solis civibus romanis jus erat in legione militare, honestiore militia. Inde Gavius ille probaturus, se civem esse romanum, clamat, se municipem esse Cosanum, meruisse se cum L. Pretio, splendidissimo equite romano, qui Panormi negotiaretur, ex quo hæc Verres scire posset. Soli cives romani fiebant milites beneficiarii, atque in beneficiis ad ærarium referebantur. *Cic. pro Argia P. c. 5.* Soli liberos habebant in potestate & jus patronorum in libertos, gaudebant jure adoptionis, gentilitatis, & togæ ferendæ. Soli testamento hæreditates civium capere & facere testamenta poterant, sacra more romano faciebant, quirites dicebantur populusque romanus, utebanturque legibus moribusque romanis. Ipsos vero quoque ad onera romana adstrictos fuisse §. 210. notatur.

§. 217.

Modus adspirandi ad jus civitatis vel proprio tantum nititur pacto, vel & majorum. Jus enim civitatis, quo cives æstimantur (§. 198), pacto adquiritur (§. 201.). Hoc pactum vel tantum *Modus civitatem adipiscendi duplex.*

tum eſt proprium civitatem ambientis; vel illud jam anteceſſit pactum parentum majorumve, qui antea ejusdem civitatis jus ſunt adepti. Sane id experientia plurimorum magiſtra atteſtatur. Poſteriori caſu pactum adjuvatur & ſuperſtruitur pacto alieno; priori caret tali adjumento & fulcro externo, fundamentoque quaſi præſtructo. Duplex ergo datur modus adſpirandi ad jus civitatis, alter proprio tantum marte, alter alieno quoque adjutus ſuffultusque, h. e. alter proprio tantum pacto incoatus & abſolutus, alter jam ab aliis nempe progenitoribus inceptus & proprio pacto tantum abſolutus.

Poteſt nempe jus civitatis vel eſſe perſonale, vel hæreditarium ſaltem ex parte. Si perſonale tantum eſt, cum ipſa perſona extinguitur, nec in poſteros tranſit vel transmitti poteſt, quia non niſi pacto perſonali eſt adquiſitum (§. 801. *P. III. Jur. nat.*). Si vero ad perſonam adquirentis non ſit reſtrictum, ſed in poſteros transmittendum; hæreditarium erit, ſaltem ex parte in hæredes tranſiturum. Inde & pactum, quod adquiritur ea lege, ut transmitti in poſteros poſſit, erit reale (§. *cit.* 801.) & §. 959. *P. VII. Jur. nat.*). Vti imperium datur ſucceſſorium (§. 279. *ſeq. P. VIII. Jur. nat.*).

§. 218.

Cives vel nati ſunt vel facti.

Cives nati & veteres dicuntur, quorum parentes jam fuerunt cives; *facti* autem vel *novi*, qui ſuo demum pacto cives evaſerunt. Vtriusque generis cives dari poſſe, patet ex (§. 217.); actu illos dari experientia teſtatur.

Cives, inquit *Hertius Prud. civ. P. I. Sect. 5. n. 4.* aut naſcuntur, aut fiunt. Ita Paulus ſe natum dicit civem romanum *Act.* XXII, 28. Licet igitur pactum ita iniri poſſet, ut ipſo nativitatis jure civium liberi eſſent cives, quemadmodum regnum eſt hæreditarium, in quo jure hæreditario ſucceditur (§. 335. *P. VIII. Jur. nat.*); id tamen civitati promiſcue non expediret, eaque propter nec receptum eſt. Sufficit enim natos a civi-

civibus indigenas jus propius, certius & minus sumtuosum habere ad civitatem, quam extraneos & alienigenas. Hinc nec exspectandum est civium liberis, donec parentes mortui sint, ut eorum loco succedere possint, sed vivis ipsis cives fiunt si velint. Vnde & in civibus, qui nati dicuntur, pacto quodam opus esse notavimus ad (§. 201.) quo plane cives evadant. Nati cives aliis dicuntur nativi naturales & originarii, quia originem suam ducunt a civibus.

Dari posse quodammodo civitatem, ubi nulli cives nascuntur, nullaque dantur matrimonia, sed aliunde petuntur & adsciscuntur, pontificis romani clericorum civitas comprobat. Qui vero ex nativitate sua nullum jus habent ad civitatem, illi nisi suo pacto fieri cives nequeunt. Hinc Demostheni vocantur τῃ ποιησει πολιται, & Ciceroni cives adscripti vel adscriptitii, item adsciti. Dividi subtiliter nati cives nonnusquam solent, in eos, qui ex alterutro vel utroque parente cive nati sunt, item, qui & avos, proavos, abavos, atavos, tritavos &c. utriusque sexus cives habuere. Quæ divisiones ibi attendendæ sunt, ubi peculiaria jura secundum hos generationum gradus data & concessa sunt. Quemadmodum Romæ liberti civitate donati non protinus in civium honestiorum & egregie meritorum numero habebantur, sed adscribebantur quatuor inferioribus tribubus romanis, nec in legionibus jus militandi habebant. Postquam vero eorum posteri per aliquot generationes bene de rep. meruerant, altius adscendebant ad jura veterum avitorumque civium romanorum.

§. 219.

Quid natalium diversitas requirat?

Si natales indigenarum respicimus, cæteris paribus utique præferendi sunt legitime nati illegitimis, ingenui servis, majorum meritis commendati bis, qui illis distituuntur, & honoratiores vilioribus in quibusdam civitatis juribus distribuendis. In distribuendis enim civium juribus & officiis respicienda sunt civium merita, ne alia tribuantur illis, quam quibus singuli pares sunt, & melius quam aliis & alii sunt functuri (§. 207.). Sed legitima soboles vir-

tuti debetur, illegitima vitio; & virtutes in civitate sunt promovendæ vitia vero impedienda (§. 40. *seq.* & §. 246. *P. I. Polit.*): ea propter & in jure civitatis tribuendo indigenis legitimi natales præferendi sunt quibuscunque illegitimis, spuriis scilicet, adulterinis, ex incestu & vulgo quæsitis. Præterea cæteris paribus ingenui præstant libertis, libertinis & servis muncipiisque, quod per se ipsasve notiones horum nominum patet. Neque minus evidens est & evictum, bene meritos per se suosque majores civitati præponendos esse illis, qui saltem majorum meritis destituuntur, etsi propriis paribus gaudent (§. 659. *P. VIII. Jur. nat.*). Digniores autem & honoratiores meritis præclari sunt, ideoque & civibus magis meritis comparandi, & vilioribus anteponendi. Si ergo natales indigenarum attendi, cæteris paribus anteferendi sunt legitime nati illegitimis, ingenui servis majorum meritis clari, iisdem destitutis & vilioribus honoratiores.

Attamen habenda est ætatis ratio, ut scilicet nati a civibus non ante admittantur ad civitatis jura plena, quam iis recte & e re salutis publicæ uti ac frui possint. Solet hoc plerumque fieri, quo ordinarie emancipantur, vel sui fiunt juris, eo quod se ipsos regere & sibimet legitime prospicere didicerunt. Romæ justa ætas censebatur annus ætatis 17. sumta nempe virili toga; Athenis erat annus ætatis 20, venetiis anno 25 ad Senatus comitia admittuntur, exceptis paucis forte post annum 20. isto jure potitis. Neque tamen trahendi sunt in civium natorum numerum, qui fortuito nati sunt in civitate, ubi eorum parentes non sunt cives sed peregrini. Sic e Gallis quidam Carolum V. subditum regni Galliæ vocarunt eo quod Gaudavi in municipio Galliæ fortuito natus fuerat.

§. 220.

Nemadoptio & manumissi- *Affinis est generationi adoptio, & minori ex parte manumissio, quibus itidem aditus ad jus civitatis munitur.* Adoptione enim adoptans

ptans jura patris, & adoptatus jura filii ipsum adoptantis consequitur (§. 784. *P. VII. Jur. nat.*). Quoniam in voluntate adoptantis positum est, qua lege velit prolem alienam adoptare (§. 786. *ibid.*): potest illum quoque ea lege adoptare, ut ipsius fiat hæres & nomen quoque familiæ gerat (§. 792. *seq. ibid*). Affinis igitur est generationi & nativitati adoptio, & si nulla obstet lex civitatis, sed hoc potius liberum civibus relinquatur: adoptato propter adoptantem velut patrem ex pacto, aditus quoque patebit ad jus civitatis, tanquam filio per adoptionem electo. Manumissione servi adipiscuntur libertatem (§. 1121. *P. VII. Jur. nat.*), ideoque non solum ut liberi homines, sed & ut de dominis & civitate bene meriti exhibentur. Sed hujusmodi hominibus apertus est in civitatem introitus per sua & domini manumittentis merita, qui & sic velut pater saltem patronus a libertis est colendus. Hinc est nonnulla quoque inter manumissionem, adoptionem & generationem affinitas quoad gradum, quem ad jus civitatis panditque munitque.

sio paret aditum ad civitatem?

Audiendus est *Vlpianus l. 1. ff. ad municipalem & de incolis* sciscens; municipem (ita civem vocat) aut nativitas facit aut manumissio, aut adoptio. Additur *l. 15. ibid.* jus originis (patriæ) in honoribus obeundis ac muneribus suscipiendis adoptione non mutatur; sed novis quoque muneribus filius per adoptionem patrem adstringitur; & *l. 16.* si emancipatur ab adoptivo patre, non tantum filius; sed & civis ejus civitatis, cujus per adoptionem fuerat factus, esse definit. Sic latini a romanis adoptati, dein emancipati domum redierunt, ut jus civitatis ibi susciperent. Conf. *Cod. de Municip. & originariis.* Disputatum est, an liberti eo ipso, quod manumissi sunt, civitatem obtineant? Aristoteles illos ex perfectorum civium numero eximit. Manumissio cum non sit nisi datio libertatis & liberatio a servitute, per se civitatem non dat, quia & advenæ peregrini liberi sunt, & incolæ, nec tamen cives. Hinc licet Romæ liberti ex lege Ser-

vii promiſcue civitatem aſſequerentur, nihilominus ſemper infimo civium gradu relinquebantur ob memoriam priſtinæ maculæ *l. patrono de natal. reſtit.* Inde *Cicero pro Balbo c. 9.* Servos denique, inquit, quorum fortunæ conditio infima eſt, bene de rep. meritos, perſæpe *libertate, id eſt civitate* publice donari videbamus. *Cap. 26.* addit: Et adoptio Theophani agitata eſt, per quam Cornelius (Balbus) nihil eſt, præterquam propinquorum ſuorum hæreditates aſſecutus.

§. 221.

Novi cives fiunt pacto vel benefico vel oneroſo.

Novi cives ſolo pacto in civitatem adſciſcuntur vel gratis; ob merita ſeu præterita ſeu ſperata, vel contractu oneroſo, ſi merita deſint, aut ſola non attendantur. Cives enim non fiunt niſi pacto (§. 201.). Sed pacta & contractus naturaliter non differunt (§. 794. *P. III. Jur. nat.*). Contractus vero vel ſunt benefici & gratuiti, ex quibus tantum alter contrahentium quartam gratis percipit (§. 417. *P. IV. Jur. nat.*); vel oneroſi, in quibus uterque contrahentium obligatur, ad alteri viciſſim aliquid dandum ſeu faciendum (§. 878. *ibid.*). Ea propter jus civitatis quoque vel contractu gratuito, ſive gratis dari poteſt, & ſic novus civis allicitur gratis in civitatem; vel contractu oneroſo, ut pro eo civitati viciſſim aliquid præſtetur, & ſic adſciſcitur civis contractu oneroſo: Patet igitur jus civitatis vel gratis conferri poſſe vel oneroſo modo.

Cum vero ratio adeſſe debeat, cur vel gratuita ſit vel oneroſa civis novi cooptatio (§. 70. *Ontol.*); ad gratis largiendum cuipiam jus civitatis invitabunt merita vel jam præſtita civitati, quæ merentur tale donum, vel ſperanda in poſterum hoc dono incitanda nec melius accipienda. Ad oneroſam vero civitatis adquiſitionem incitabit civitatem defectus meritorum, indigentia civitatis, & vel oblatio vel ſtipulatio futuri civis onus conventum in ſe ſuſcipiendi, v. c. tanto, quanto convenit, pretio emendi jus civitatis.

Acto-

Actorum XXII, 28. Claudius Lysius fatetur jus civitatis romanæ magna æris summa a se esse comparatum εγω πωλλȣ κaφaλaιȣ την πολιτειαν ταυτην εκτησαμην. Pervulgatus hodieque est hic modus onerosus civitatis jura consequendi. Primi vero, qui in civitatem mutuis pactis coaluere, gratis procul dubio jus civitatis accepere, cum sat aliorum onerum in se & formandam civitatem subierint. Sic multi alii meritorum causa & spe civitate donati sunt. Marius Syllæ exemplo mille homines Camertes propter navatam insigniter operam in bello civitate donavit. Ita *Cicero pro Balbo c. 13.* largitionem civitatis vocat, qua universæ gentes in civitatem sunt receptæ, ut Sabini, Volsci, Hernici &c. Lege Gellia & Cornelia Pompejo definite data est potestas civitatem donandi, *c. 14.* De Archia poëta *Cicero c. 3.* commemorat, eum Tarentinos, Rheginos Locrenses & Neapolitanos ob celebritatem nominis civitate sua cæterisque præmiis donasse. Postea ei cum Lucullo Heracleam transeunti, data est & illa civitas. *Cap. 5.* de Græcis ait, eos mediocribus multis & aut nulla, aut humili quadam arte præditis gratuito civitatem impertitos esse. *Cap. 10.* de Pompejo scribit: quid? Noster hic magnus, qui cum virtute fortunam adæquavit, nonne Theophanem Mitylenæum, scriptorem rerum suarum, in concione militum civitate donavit?

§. 222.

De civibus privilegiariis & honorariis.

Præter cives ordinarios dantur etiam *cives extraordinarii*, qui ordinariorum loco non censentur. Tales sunt, qui certis privilegiis & immunitatibus ab oneribus aliorum civium præditi sunt, & *privilegiarii* dicuntur; item qui honoris causa jure civitatis potiti sunt, & cives *honorarii* appellantur. Quod cur sæpe fiat, patet ex §. 215. Cujusmodi rite illi censentur, qui melius aliter quam vulgari modo saluti publicæ serviunt.

De *C. J. Cæsare Suetonius c. 42.* narrat, illum omnes medicinam Romæ professos, & liberalium artium doctores, quo libentius & ipsi urbem incolerent, & cæteri appeterent, civitate do-

 nasse.

naſſe. Hoc ergo præcipuo munere honoris cauſa eos affecit. Jus Quiritium vero ante illa tempora Romæ primum datum fuit Archagatho, Medico, qui Peloponeſo Romam venerat A. V. C. 535, L. Aemilio & M. Livio Coſſ. & taberna in compito Acilio, ob id publice emta. Quod *Plinius* narrat ex Caſſio Hemina, *Hiſt. nat. L. 29. c. 1.* Perſarum Rex honoris cauſa genti Pelopidarum jus civitatis dedit, teſte *Plutarcho* in *Pelopida.* Athenienſes olim Evagoram, Cypri regem, Dionyſium Siciliæ tyrannum, Antigonum quoque & Demetrium Aſiæ Reges civitate donarunt. Helvetii Regi Galliæ jus civitatis ſuæ dederunt, uti Megarenſes Alexandro M. Sed de his plura congeſſi *Tom. I. Exhibitionis pruſſicæ*, (der Preußiſchen Lieferung) *p. 137-194. add. not.* §. 229. Cæterum & illi, qui immunitatibus & privilegiis quibusdam gaudent, extra ordinem cæterorum civium erunt conſtituti v. c. ſenes rude donati, exemti, immunes a tributis aliisque oneribus, monopolio gaudentes & ſimiles hiſce.

§. 223.

Neceſſarium civium diſcrimen.

Omnium civium una eademque ratio & conditio eſſe nequit, ſed datur in illis uti ſimilitudo varia, ita & diſſimilitudo. Neceſſe quippe eſt, ut unusquisque civis differat ab altero in ſingularitate eſſentiæ & naturæ ſuæ. Idcirco fieri nequit, ut in unico cive tantum omnia eadem ſint, quæ ſunt in altero (§. 183. *Ontol.*). Hinc cujusque ſingularis eſſentia & natura quidquam continere debet, quod non continetur in altero quolibet (§. 246. *ſeq. Coſmol.*). Cujusvis igitur alia quoque eſt ſeries cogitationum actionumque, quam alterius cujuscunque, neque tantum in alio vitæ genere, ſed & in eodem ſimilive. Nequit ergo eſſe omnium civium, immo nequit ullius civis prorſus eadem indoles & conditio, ac alterius cujusquam (§. 247. *Coſmol.*).

Quoniam vero in quovis vitæ genere certum rerum genus eodem fere modo tractatur, cæteris paribus, & rerum qualitates & actionum generatim conveniunt eædemque ſunt. Hinc

Hinc similitudo in eodem vitæ genere occurrit (§. 195. & 464. *Ontol.*). Quatenus omnia ac singula rectæ vitæ genera in communem salutem collineare & dirigi in civitate debent (§. 86. *P. VIII. Jur. nat.*): eatenus omnia inter se quoque similia sunt, & ad idem tendunt. Quia tamen differunt cuncta vitæ genera a se invicem & eorum permulta requiruntur (§. 1. & 2. *P. VIII. Jur nat.*); oportet, ut vel res, circa quas versantur, vel modus eas tractandi & ad usus humanos aptandi, vel utrumque differat. Inde eatenus dissimilitudo & inter diversa vitæ genera, & in eodem quoque vitæ genere internum quoddam modi res tractandi discrimen dari potest & solet. Sic liquet, civium variam dari & similitudinem, & dissimilitudinem.

Conferri hic possunt notata ad §. 213. & quæ de diversis vitæ generibus dicta sunt in *Oeconomicis*.

§. 224.

Civium ordo & gradus unde pendeat?

Ordo civium gradusque constituendus pendet ab arbitrio populi, ad rerum indolem & salutem publicam accurando. Neque enim omnium civium eadem ratio & conditio esse potest (§. 223.); sed si in multis datur similitudo, in aliis quoque dissimilitudo detur necesse est (*ibid.*). Enimvero similitudo in modo, quo res sunt, ideo & in modo, quo cives in suo vitæ genere se gerunt pro civibus, vel cives sunt, ordo appellatur (§. 472. *Ontol.*). Dissimilitudo vero in facultatibus internis externisque & innatis inde multis vitæ generibus, ad salutem publicam facientibus applicandisque, magis minusve recipit, & propterea diversos admittit gradus (§. 746 & 751. *Ontol.*). Quare cum bene multa sint vitæ genera (§. 792. *seqq. Oecon.*) nec omnia in quavis civitate æque locum habeant, aut æque saluti publicæ expediant, experientia duce; cum & multi sint gradus tum in unoquoque vitæ genere, tum in diversis inter se comparatis (§. 516. *seqq. P. I. Polit.*): pacto civium libere definiri

par

par eſt, & quis ordo inter cives eſſe, & quibus gradibus a ſe invicem differre debeant. Quoniam vero arbitrium humanum ſapienter adhibendum eſt, & in civilibus ſalus publica ſuprema lex eſt (§. 86. P. VIII. *Jur. nat.*): utique arbitrium & in ordine ac gradibus conſtituendis ſecundum naturam & indolem rerum ſaluti publicæ eſt conformandum. Inde & *eo rectius comparatus erit ordo gradusque civium, quo melius ille rerum indoli ac publicæ ſaluti reſpondet conſentitque.*

Optima quidem norma eſt indoles & pretium rerum, ad ſalutem publicam relatarum referendarumque; quæ ſi ubique æque perſpecta foret, in paucioribus ordo gradusque civium diſcreparet, quam rerum ad ſalutem publicam adhibendarum genera & ſpecies aut nihil aut parum in diverſis locis differant. Sed cum intimior rerum natura nec ubique, nec in eodem loco omnibus æque ſit perſpectu, & cives pro ſuo captu aut recte aut perperam de illis ſtatuant: major inde naſcitur diverſitas ordinum graduumque inter cives diverſarum civitatum.

§. 225.

Vſitatiores civium ordines. *Plerumque civium ordo eſt duplex, imperantium & parentium ſive ſubditorum;* imperantium ordo differt pro natura temperationis reip. ut alibi ſit duplex, alibi triplex, alibi quadruplex, etiamſi Rex, tanquam unicus, ordinibus non accenſeatur. Subditorum vero ordo vel *nobilis* eſt, vel *ignobilis;* ac uterque paſſim aliter aliterque eſt diſtributus, pro functionum & vitæ generum varietate.

Cives enim vel ſunt primarii, qui imperandi jus habent, vel ſecundarii, quibus obſequii gloria eſt relicta (§. 199.). Vnde illi ſunt imperantes, hi vero parentes, ſive ſubditi, qui tamen & non-cives quoscunque complectuntur (§. 209.).

In mixta Rep. vel duæ formæ uniuntur, vel tres, & in ſingulis caſibus alia atque alia forma ſimplex præpollet ac temperatur (§. 21. 32. & 43). Vnde ordo imperantium, licet in jure

jure imperandi sibi non subjectorum (§. 66.), multis tamen modis variari potest ratione numeri, momenti, & consensus jurium imperii divisorum (§. 53 - 55.), ut aliis ordo sit duplex, aliis triplex; aliis quadruplex, sive rex ad ordines referatur, sive minus (§. 569. & 625. *P. I. Polit.*).

Populus civitatis vel clarus est vel obscurus, quorum ille etiam nobilis, hic ignobilis & plebejus audit (§. 515. *seqq. P. I. Polit.*). Propterea & cives inferioris ordinis seu parentes ac subditi, tanquam pars populi (§. 199.) aut nobiles esse possunt solentque, aut ignobiles. Ambo cum multis modis differre possint, ratione functionum & vitæ generum (§. 516. *seqq. P. I. Polit.*); mirum non est, eundem passim aliter aliterque distributum deprehendi (§. 127.).

De rege & Monarcha *Hertius El. prud. civ. P. I. Sect. V. n. 2.* scribit: summus imperans si non qua talis, sed qua pars communitatis consideretur, civium numero excludendus non est. Apposite *Seneca Ep. 85.* duas, inquit, personas habet gubernator, alteram communem cum omnibus, qui eandem conscenderunt navem, qua ipse quoque vector est, alteram propriam, qua ipse gubernator est. Quod petisse videtur ex *Aristotelis Lib. III. Polit. c. 4.* in cujus principio hæc habentur: ut igitur nauta unus eorum, qui sunt in communi societate, ita & civem dicimus. Nautarum vero quanquam dissimiles sunt secundum potentiam, ut alius sit gubernator, alius remex, alius proram dirigens, alius aliam appellationem habens: conservatio tamen navigantium commune est omnium opus. Sic & civibus licet dissimilibus commune opus est conservatio communis societatis . . . Non una tamen omnium civium est virtus . . . Laudandum est, posse imperare & parere, ac præclari civis virtus est, posse præesse & subesse laudabiliter. „Sic *Plinius in Panegyr. c. 2.* Trajanum vocat civem. Sunt, qui ordine regni latius sumto pro consortibus imperii summi, Regem Angliæ, forte cum concilio intimo, primum ordinem, & duos Senatus

regni, cæteros vocant ordines, itaque tres imperantium ordines statuunt, forte quia lex, ab utraque curia comprobata, non valet, si rex non fiat ejus autor, sed ulteriori deliberationi reservat, antiqua denegandi consensum formula: *le roy s'avisera.* V. Großbrit. Staat 1. Theil Cap. 36. §. 2. & *Chamberlayne pres. state of England P. II. ch. 14.* Hæc an alia subsit ratio in medio relinquo, cur Poloni quidam Regem suum tertium vocarunt ordinem, secundum *Fengnich. Jus publ. Poloniæ P. I. cap. 1.* §. 3. Nobilium ordines secundum provincias plerumque distribuuntur, in quibus prædia sua possident; ignobiles & eandem admittunt distributionem, & aliam ab operibus, quæ tractant & rebus circa quas versantur. Vid. notata ad §. 213.

§. 226.

Quomodo cives gradu differant?

Gradu autem differunt cives, quatenus vel in eodem ordine, vel diverso aliis præstantiores sunt aut præferendi. Gradus enim sunt internum discrimen qualitatum earundem (§. 746. *Ontol.*) Quatenus nempe comprehensio eius notionis in aliis plus infert, in aliis minus. Quapropter & cives in suo primum ordine plus minusve valentes aliis in eodem præstabunt, aut ab illis vincentur: prout & idem civis in hujusmodi ordine positus, qui habitu nititur, diverso tempore tiro, artifex & magister esse potest, aliosve magistros multis post se relinquere intervallis. Neque minus in diversis ordinibus alii plus comprehendunt aliis, ideoque cæteris paribus ipsos antecellent. Noscuntur ergo cives gradu differre, quatenus vel in eodem vel in diverso ordine aliis sunt præstantiores præferendique.

Ita si spectemus cives nobiles, variis illi gradibus nobilitatis differunt, neque iidem gradus ubique sunt, neque ejusdem dignationis. Angliæ nobilitas verbi gratia his veluti gradibus gaudet, superiori altero, altero inferiori. Superiori nobilitatis classi insunt Duces, Marchiones, Comites, Vicecomites & Barones qui *Lords* vocantur omnes, & dignitate pares, sed gradu impares. Hos omnes tamen antecedunt. Princeps Walliæ, Aqui-

Aquitaniæ & Cornubiæ, cæterique nati nepotesque principes & consanguinei Regis archiduces. Inferiori nobilitati accensentur quasi barones (*Baronets*), equites militesve (*Knights*), quorum alii sunt ordinis S. Georgii, alii vexilliferi (*Bannerets*), alii a balneo (*of the bath*), alii aurati (*Batchelors*). Sequuntur equites illos armigeri (*Esquires*) & nobiles seu gentiles (*Gentrys*), tandemque ingenui (*Gentlemans*). Ignobilium primi & nobilitati proximi sunt immunes (*the Freeholders*) plerumque dicti *geomen*. *Tum* mercatores inprimis commercii externi, artifices mechanici, opifices, in medio sunt; ultimum locum occupant mercenarii. Romæ erant olim patritii & plebeji. Patriciorum alii erant consules, alii senatores, alii equites. Deinde etiam ex plebe erant senatores equites, & plebs ipsa, ad quam & fæx plebis referebatur. In his & similibus graduum discriminibus semper inferiores vel minores gradu cedunt superioribus vel se præstantioribus. Hi vero non tantum eadem habent jura & privilegia, quæ minores gradu, sed præterea plura & majora. Vnde & præcedunt, & præsident, aliisque gaudent privilegiis sibi propriis. Conf. (§. *676. seq. P. I. Polit.*)

§. 227.

Quomodo civis non sit nisi unius civitatis?

Civis unius civitatis eodem modo simul esse nequit civis alterius civitatis. Civis enim gaudet jure civitatis (§. 198.). Sed jus civitatis complectitur non solum fruitionem jurium & bonorum (§. 200.) verum etiam varia officia communia & propria (§. 205. *seqq.*), quæ ex juribus noscuntur (§. 209. *seqq.*), & tum in officiis tum in rebus præstandis occupantur (§. 211.). Jam facile liquet, uti idem membrum nequit simul duorum esse corporum: ita civem in duobus locis simul habitare, in duobus locis simul excubias agere, aut contra hostem & interdum se ipsum proficisci non posse (§. 28. *Ontol.*). Ideo civis unius civitatis simul eodemque modo nequit esse civis alterius cujusdam civitatis, sive illam ponamus alteri amicam, sive inimicam.

Nemo unquam vidit, nec fieri poteſt, tempore uno homo idem duobus locis ut ſimul ſit, inquit *Plautus in Amphitr.* Romanis in more poſitum erat, ut ſicut adoptio patris poteſtatem extinguebat, ita cooptatio in aliam civitatem extingueret jus patriæ. Ita *Cicero pro Balbo c. 11.* Duarum civitatum, inquit, noſtro jure civili civis nemo eſſe poteſt, non eſſe hujus civitatis civis, qui ſe alii civitati dicarit, poteſt. Vbi *cap. 12.* pergit: Nos non poſſumus & hujus eſſe civitatis, & cujusvis præterea. Errore ductos vidi egomet nonnullos imperitos homines, noſtros cives, Athenis in numero judicum atque Areopagitarum, certa tribu, certo numero: cum ignorarent, ſi illam civitatem eſſent adepti, hanc ſe perdidiſſe, niſi poſtliminio recuperaſſent. Peritus vero noſtri juris ac moris, nemo unquam, qui hanc civitatem retinere vellet, in aliam civitatem ſe dicavit. Exemplo eſt *Pomponius Atticus*, de quo *Corn. Nepos in ejus vita* refert, ipſum oblato beneficio civitatis Athenienſium uti noluiſſe, ne alia adſcita Romanam amitteret. Hoc vero niti videtur ratione, quam hic urgemus. Conf. *Martini Polit. L. II. c. 8. de hac Quæſt.*

§. 228.

Quomodo diverſarum civitatum?

Diverſo modo quempiam civem diverſarum civitatum eſſe, nihil habet a re alienum, ſed pacto conſtitui poteſt. Neque enim niſi repugnantia vera in eodem modo obvia, obſtat (§. 227.). Idcirco hoc non poteſt quidquam repugnantiæ habere, ſi quis alio modo unius, alio alterius civitatis fiat ſitque civis, ut ſcilicet alter modus alterum relinquat ſalvum. Cujusmodi cum ſimul eſſe poſſint (§. 569. *Ontol.*): etiam plures ejusmodi civitates in unum eundemque civem ſimul cadere poſſunt.

Quoniam vero in arbitrio hominum eſt poſitum, utrum ea, quæ fieri poſſunt, fieri velint, ſibique conſulta ſtatuant: civitatis eſt, diſpicere, utrum pro re nata conſultius videatur, ut ſuos cives patiatur & alterius civitatis cives eſſe, nec ne; item quo modo hoc permittendum ſtatuat, vel non permittendum.

tendum. Quamobrem si cives sint participes imperii, neque adspirare in imperio semper possint, quousque vellent; consultius erit, ut ipsis negetur jus alienæ civitatis, ne forte quidquam in alia civitate contra prioris commoda privatæ rei studio machinentur, obliti suorum erga illam officiorum. Idem & inde decere videatur, majoris civitatis juribus æquiparari jura minoris vel præponi. Vbi vero & quatenus nihil periculi imminere civitati potest ex jure civitatis alterius, sed id potius fieri ipsi utile & honorificum, ibi nil obstabit, quo minus cives alterius quoque civitatis cives simul fiant, maneantque.

Inglorium, saltem non satis honorificum Romæ visum esse videtur, tantæ civitatis, cujus imperium erat amplissimum, jura aliarum civitatum juribus æquiparari aut posthaberi, si quis civis romanus alterius civitatis jura adquisitum iret, ut statuerent amitti civitatem romanam adquisita aliena. Enim vero alias urbes romanæ civitatis jus ambire & eodem potiri, & lucro erat & honori civitati longe lateque imperanti, & amicos ipsi ubique conciliabat. Inde jus civitatis romanæ non singulis tantum personis, alterius civitatis civibus, sed & integris civitatibus concedebatur. Inde tot coloniæ, tot municipia, tot municipes romani quaquaversum habebantur. Hinc *Cicero pro Balbo c.12.*: cum ex omnibus civitatibus via sit in nostram, cumque nostris civibus pateat iter ad cæteras civitates, tum vero, ut quæque nobiscum maxime societate, amicitia, sponsione, pactione, fœdere conjuncta est: ita mihi maxime communionem beneficiorum, præmiorum civitatis continere videtur. Atqui cæteræ civitates omnes non dubitarent nostros recipere in suas civitates, si idem nos juris haberemus, quod cæteri. Sed nos non possumus & hujus esse civitatis, & alterius; cæteris concessum est. Itaque in græcis civitatibus videmus Athenis Rhodios, Lacedæmonios, cæteros undique adscribi, *multarumque esse eosdem homines civitatum.*

§. 229.

Casus civium in pluribus civitatibus.

Quoniam diversis modis pacto definitis, cives iidem diversarum civitatum esse possunt (§. 228.): fieri potest, ut *propter diversa bona immobilia in diversis civitatibus sita*, æque sit civis diversarum civitatum ac vasallus propter feuda ejusdem conditionis (§. 154 *seq. P. VI. Jur. nat.*); modo cuique civitati onera præstet realia & personalia per vicarios, caveatque ne contra se ipsum agere compellatur (§. 173. & 182. *seq. P. I. Jur. nat.*). Fieri potest, ut quisquam *alibi sit civis ordinarius*, *alibi extraordinarius*, isque vel privilegiarius, vel honorarius (§. 222.); item ut *honorarius sit diversarum civitatum*. Licet enim honorarius eodem modo civis esse videatur, scilicet honoris causa, ut civitas gloriæ ejusdem civis particeps sit; & vicissim civis gloria civitatis una fruatur; revera tamen & hic aliquid diversitatis est sub eodem genere uti in ordinario cive forum rei sitæ diversum habebatur. Scilicet quod ex jure civitatis honorario habetur, eorum aliud situm est in alia civitate. Gaudet v. g. jure domicilii, possidendi immobilia, connubii, hæreditates cernendi, immunitatis, municipatus, in singulis civitatibus, quarum est civis, & jure optionis, quonam uti & quamdiu malit in hac vel illa civitate, prout sibi magis expedire hoc vel illud animadvertet. Qua optime gaudere nequit, qui non nisi unius civis est civitatis.

Demosthenes in oratione de ordinanda Rep. de ævo Themistoclis & Periclis ait: majores nostri ingens quid & præclarum jus civitatis atticæ arbitrabantur, & quovis alio beneficio majus. Nec honorem illum tribuebant, nisi viris principibus aut regibus, aut copiarum militarium ducibus, nec nisi ob ingentia in civitatem merita, velut præmium summum.

Romæ municipes strictius dicti erant, qui alibi domicilium & bona possidebant immobilia, nempe in municipiis; neque co

eo minus munia romana poterant petere & accipere, quando suffragiis ad ea evocabantur. Hi Romæ erant instar civium honorariorum, quatenus honores ibi ipsis patebant, cum aliis immunitatibus. Homerum post mortem honoris causa sibi vindicabant præter alios Colophonii, Chii, Salaminii, Smyrnæi, qui & delubrum ejus in oppido dedicaverunt, teste *Cicerone pro Archia c. 8.* Meretur hic adduci, quod *Gellius N. A. LXVI. c. 13.* docet: Municipes sunt cives romani ex municipiis, suo jure & legibus suis utentes, muneris tantum cum populo romano honorarii participes, a quo munere capessendo appellati videntur, nullis aliis necessitatibus, neque ulla lege populo romano adstricti, quum nusquam populus eorum fundas esset factus. Primos autem municipes sine suffragii jure Cærites esse factos accepimus, concessumque illis, ut civitatis romanæ honorem quidem caperent, sed negotiis tamen atque oneribus vacarent, pro sacris bello gallico receptis custoditisque. Hinc tabulæ cerites appellata versa vice, in quas censores referri jubebant, quos notæ causa suffragiis privabant. Et quot locorum civis honorarius fuerit Archia, adnotatum est §. 221. conf. quoque (§. 222.). Sic hodieque dantur qui dum patrimonii fiunt hæredes in civitate peregrina, neque ipsis consultum videtur illud alienare, solent ibi cives fieri, & per villicum vel administratorem eo utuntur, fruuntur, officiisque alterius civitatis satisfaciunt. Idem fere sequuntur institutum, qui bona quidem immobilia possidere, sed subditi alterius civitatis fieri nolunt, nec si vellent reciperentur nisi civem, suo loco ista possidentem & præstanda præstiturum surrogent. Si quis vero in hujusmodi civitate fundis gaudeat, cum qua bellum sit gerendum, is ne contra se ipsum in utravis agere obligetur, villicum e. g. contra seipsum in prætium armando, vel suam tamen pecuniam contra se erogando, rectius aget, si mature vendat ejusmodi bona plurimum offerenti, ne in sua velut viscera furere intelligatur.

§. 230.

Justus civium numerus dicitur, ea ipsorum frequentia, quæ ex *Quis sit ju-*

ſtus civium numerus. ex aſſe ſufficit civitatis fini conſequendo. Eapropter quia finis civitatis eſt ſalus publica (§. 36. *P. I. Polit.*): oportet, ut juſtus civium numerus plane ſufficiat publicæ ejus ſaluti adipiſcendæ, conſervandæ, tuendæ. Hinc tantus debet eſſe civium numerus, quantus requiritur ad paranda ea, quæ ad vitæ neceſſitatem commoditatem & jucunditatem omnium, ad promovendam eorum felicitatem, eosdemque tutos præſtandos ab injuriis civium, & vi externa; ſeu ad provehendum commune civitatis bonum, eamque adverſus vim hoſtium defendendam (§. 398. *P. VIII. Jur. nat.*). Hinc is numerus tantum par eſt ſaluti civitatis, & par eſt civitas ejusdem ſaluti præſtandæ, ut omnibus illis atque ſingulis in civitate bene ſit omni, quo fieri poteſt, modo.

Poſtquam de civium varietate actum eſt, ſequitur, ut & eorum copiam et quantitatem luſtremus, quam latinius multitudinem, vel numerum dicemus. Præit in hiſce *Ariſtoteles L. IV. Polit. c. 12.* ſcribens: Omnis civitas eſt ex quali & quanto. Dico autem quale libertatem, divitias, diſciplinam, nobilitatem; quantum vero multitudinem populi frequentiamque. Fieri autem poteſt, ut quale inſit uni parti, quantum vero alteri, ut majorem eſſe numerum ignobilium, quam nobilium, & pauperum, quam divitum. *Lib. VII. Polit. c. 4.* Primo in civitate videndum eſt de multitudine civium, quam multos & quales eſſe oporteat; & de regione ſtatuendum pari modo. . . Magna civitas dicenda non tam ob numerum habitantium, quam ob potentiam. . . Neque ex quavis multitudine v. c. ſervorum, inquilinorum, hoſpitum, ſed eorum e quibus civitas conſtat, civium &c. Neque idem eſt magna civitas & populoſa (πολυανθρωπος). De civium bonis & malis animi, corporis & fortunæ, item de variis artibus, ad ſalutem publicam referendis componendisque ſuo demum loco exponendum eſt. Ratione numeri cives in genere pauci vel multi dicuntur; ſpeciatim vero, id quod majoris eſt momenti, hic quæritur, quis numerus eorum juſtus ſit dicen-

dicendus, quis contra justus dici nequeat. Neque cum *Bodino* facere possumus, qui *Lib. I. de rep. c. 2.* existimat tres familias & 15 liberos homines ad civitatem constituendam satis esse. En verba ejus: Quodsi tribus personis nec paucioribus constat collegium, totidemque familia præter patrem ac matrem familiæ, sequitur tres familias, nec pauciores ad civitatem constituendam necessarias esse. Inde opinor Apulejo ac veteribus tritum illud: *quindecim personis populum conflari* . . . . . Si ex tribus familiis unus pater familiæ cæteris imperit, eique pareatur; aut unus duorum imperium subire non recuset, aut tres simul ac semel summum jus in trium familiarum subditos exerceant; æque resp. dicetur, ac si multitudine cives innumerabiles complectatur. Quæ quantum valere possint, me tacente cuivis patebit. Neque cum Platone decem millia sufficere ad remp. ideo pronuntiare audemus, quia cives Athenienses dividebantur in 4. φυλα (classes seu curias) φυλον in tres φρατριας (tribus), φρατρια vero in 30 γενη (genera seu turmas); γενος quodlibet in 30 viros, ut 10800 viri in illa haberentur. In Græcia enim, ob minorem aliorum civium in civitatibus exiguis numerum, hæc utrumque statui approbarique poterunt, si inter se istæ respp. compararentur. Adversus Persas enim & romanos vix conjunctis viribus sibi sufficiebant.

§. 231.

Quot & quales requirantur cives?

Quia justus civium numerus non est, nisi qui sufficit consequendo civitatis fini, hoc est saluti publicæ & adipiscendæ, & conservandæ & tuendæ (§. 230.); & ad omnem societatem tot ac tales requiruntur personæ, quot & quales ad finem ejus obtinendum sufficiunt (§. 174. *P. VII. Jur. nat.*): *in qualibet quoque civitate necessarius est justus civium numerus, sive tot requiruntur talesque cives, quot & quales ipsius fini consequendo pares sunt.* Duo igitur in definiendo justo civium numero sunt spectanda 1) ut tales sint cives, quales ad salutem publicam primariam & se-

cundariam requiruntur, 2) ut tantus sit eorum numerus, quantus huic scopo respondet, & sapienter adhiberi potest.

Quemadmodum nulli societati consultum esset, si in eam promiscue admitterentur socii quotcunque & qualescunque: ita nec civitati perinde esse potest, quinam in ea recipiantur, & quot numero recipiantur cives. Inepti ad negotia societatis merito ab illa arcentur, aut si degenerent in tales, excluduntur ab eadem. Ita quoque inepti ad civitatis salutem, aut illius potius hostes & insidiatores sceleratissimi quique, nihil adjumenti afferrent publicæ saluti, sed illi potius impedimento forent aut exitio. Quare tales rectissime vel non admittuntur, vel si degeneres facti sint, removentur ab eadem. Pari modo judicandum de similibus aliis. Num fieri posset, ut resp. ex meris constitueretur mendicis, qui quo magis ipsi egerent, eo minus alii quidquam dare possent, & quo magis a labore abhorrerent, eo minus ipsi essent habituri?

§. 232.

Primaria salus quales requirat cives.

Ratione salutis primariæ ubique contra barbariem sceleratosque mores opus est civibus, qui alios erudiant ac legibus divinis, bonis moribus, solida virtute veraque religione imbuant. Salus enim primaria in summi boni consecutione residet (§. 37. *P. I. Polit.*) quod non nisi virtutibus quibuscunque obtineri potest præsertim iis, quæ genuinæ debentur religioni, & civium cum omnium tum singulorum veram præstant felicitatem (§. 39. *seq. ibid.*). Quod si virtutes mentis ac voluntatis cum non sint homini innatæ, sed ex institutione & disciplina aliorum ope adquirendas esse inter omnes constet; utique primariæ salutis causa in qualibet civitate contra barbariem sceleratosque mores opus est civibus, qui alios scientiis & artibus erudiant, & cum legibus divinis tum solida virtute, vera religione bonisque moribus imbuant.

Præcipua cujusque civitatis cura esse debet salutis primariæ, quæ nisi ope virtutum intellectus & moralium haberi nequit (§. 40. P.

40. *P. I. Polit.*). Quam culturam animorum, veræ felicitati civium lenocinantem & inservituram, si qua civitas negligit, illa vitioso laborat statu, qui barbaries vocatur (§. 389. *ibid.*), & fœcunda Mater est infelicitatis ac pernitiei omnium ac singulorum, in ista barbarie moriturorum. Cæterum suo loco distinctius erit tradendum, cujusmodi opus sit magistris literarum, artium & scientiarum ac virtutum moralium, ratione diversæ civium ætatis.

§. 233.

Norma secundariæ qualitatis civium.

Non alii requiruntur cives ad salutem secundariam, quam qui culturæ rerum naturalium, quæ in civitate obtineri possunt earumque instructioni ad usus hominum amplissimos idonei sunt. Tales enim in reip. cives esse debent, quales ad consequendam salutem publicam requiruntur (§. 231.). Sed salus publica secundaria præter bona corporis parabilia bonorum externorum tutam fruitionem, & a malis ambobus immunitatem (§. 42. *P. I. Polit.*) ideoque & artium opificiorumque usum fructumque uberiorem, & affluentiam rerum ad necessitatem, commoditatem jucunditatemque vitæ innocuam facientium, una cum copiosiori earum adquisitione, conservatione & administratione tutiore (§ 43. *ibid.*). Sed res, quarum copia in civitate haberi potest, sunt partim res naturales, quæ in ea aut sponte proveniunt, aut industria & cultura adhibita copiosius provenire possunt; partim eæ, quæ ope artis humanæ inde parari ad omnigenos hominum usus debent, ne cives officio suo desint. Quam ob rem cum teste experientia non omnis ferat omnia tellus, nec omnia ubique eodem successu ex illis effici queant: planum esse arbitror, non alios requiri cives in quadam civitate, quam qui culturæ rerum naturalium, quæ in illa obtineri possunt, earumque comparatione quam optimæ ad usus hominum amplissimos idonei deprehenduntur.

Quæcunque res ad usus vitæ humanæ valent, ea vel naturaliter munere divino donantur hominibus, vel arte parantur adornanturque ad eosdem. Priori casu ad annonam referuntur, aut ad penum naturalem. Posteriori casu non debentur nisi arti humanæ, a qua sunt efficiendæ præparandæque ad varia indigentiæ humanæ commoditatisque instrumenta. Sed piscari in aëre aut ubi nulla est aqua, & navigare, ubi maria desunt, nemo potest. Vel universim cultura rerum naturalium ibi est frustranea irritaque, ubi provenire vix ac ne vix quidem possunt; nec arte fieri quidquam potest, nisi ubi præsto est larga earum rerum copia, unde artis opera sunt conficienda. Hinc in aliis civitatibus harum, in aliis aliarum rerum naturalium pa-tria velut nativumque solum habetur. Neque desunt res, quæ ab iisdem artificibus & ex iisdem rebus non eodem successu in una civitate efficiuntur, quo in alio.

§. 234.

Eademque non una ubique.

Fieri nequit, ut quales cives uni conveniunt civitati, tales conveniant quoque alteri cuicunque. Neque enim omnium civitatum eadem esse potest natura etsi regiones forent æquales, propter diversitatem regionum & climatum in quibus dantur; neque experientia aliud testatur. Quare cum non alii cives requirantur in civitate, quam culturæ rerum naturalium, quæ in ipsis haberi possunt, iisdemque ad usus hominum amplissimos adornandis idonei (§. 232): patescit omnino, fieri non posse, ut quales cives uni conveniunt civitati tales quoque alteri conveniant cuicunque. Immo *iidem cives vel & artifices non possunt in qualibet civitate eadem gaudere prosperitate.*

Qui fieri posset, ut nautæ peritissimi ibi victu abundent, ubi nemo est, qui navibus uti velit possitque? Quid agricola ibi efficiat, ubi steriles dominantur avenæ, aut nonnisi prærupta petrarum & montium juga? Quid pictor ibi valeat, ubi picturarum nullum est pretium nullus honor? Quomodo bene sit eruditis ubi eruditio est in numero rerum damnatarum prohibitarum-

tarumque, vel inter meros barbaros nullo habetur loco? Quid cæteri artifices opificesque ibi sperent, ubi ne quidem rebus potiri possint, in quibus suam exerceant artem? Accedunt & physicæ rationes, ut v. g. nostalgia laborantes alibi degere non possint quam in patria; aut in alio climate educati ferre nequeunt alius climatis temperiem aëris, humores, frigus, calorem, victum, ideoque vel mente capiantur, vel corporis valetudine laborent & breviter absumantur &c. Manifestum igitur est, non posse eandem hominum qualitatem cuicunque civitati æque expedire & salutarem esse: uti nec artifici & homini generatim in quacunque civitate æque bene esse potest, sed alibi floret ac mirifice ditescit, qui alibi fame periret, aut non nisi stipe coacta miseram toleraret vitam.

§. 235.

Non nisi ejusmodi cives secundariæ civili saluti respondent, quippe culturæ & artis res ejus naturales in suos aliorumque usus amplissimos parare, multiplicare & aptare vel ipsi possunt, vel his præesse, quorum opera & ministerio indigent. Fieri enim nequit, ut homines aura victitent, amicianturque, cum indigeant rebus ad alimenta & vestimenta sua aptis. Quæ si ibi non nascuntur, ubi ipsis est degendum, nec comparari ex iis possunt, quæ ibi aut sua sponte aut arte proveniunt & habentur; ipsis foret pereundum, itaque nec sibi, nec civitati per eos foret consultum. Sed res generi humano utiles, quæ in quadam regione orbis terrarum aut sponte sua proveniunt atque ope culturæ copiosius provenire possunt, aut ope artis ex his, quarum copia ibi habere potest, fieri & elaborari possunt, dicuntur res naturales civitatique salutares. Præterea quoque fieri nequit, ut cujus modi cives uni conveniunt civitati, tales & conveniant cuique alii, neque ut iidem cives in qualibet civitate æquali gaudeant prosperitate (§. 234). Inde nonnisi ejusmodi cives secundariæ civili saluti respondent, qui ope culturæ & artis res ejus natura-

Metienda e rebus naturalibus usui futuris.

turales in ſuos aliorumque uſus ampliſſimos parare, multiplicare & aptare poſſunt, vel his præeſſe, quorum opera & miniſterio egent.

Stricte quidem loci cujusdam res naturales non niſi illæ dici conſueverunt, quæ ipſi ſunt peculiares, propriæ & patriæ, eo quod ex ipſius gremio ſponte aut cultura tantum adhibita naſcuntur. Quia tamen idem eſt, utrum ejusmodi res in ipſa tam copioſe proveniant, & a ſuis civibus emantur, an ab aliis civibus æque copioſe advehantur, vilius emantur & majori cum lucro ipſis iterum aliisque vendantur: nolui ipſas nec potui excludere e numero rerum illarum, quibus ſalus civitatis ſecundaria eget, & ad quas reſpiciendum ſit in qualitate civium ſeligenda. Si non ſunt ibi naturales, ubi non ſine lucro civium tractantur, ſunt tamen in vicinia, aut ibi, unde advehuntur, ut æquiparari domi natis aut anteferri mereantur. Notum ſane eſt, in multis jam civitatibus vetitum eſſe naturales res v. c. lanam anglicam aliis vendere civitatibus, a quibus olim copioſe emebantur & nunc expetuntur propterea, quod inde fabricata & effecta non ſine magno lucro rurſus venduntur. Sic ubi opificia & urbes florere non poſſunt, uti in nonnullis Helvetiæ pagis, ibi adquieſcendum eſt in pagis, agricultura, horticultura re pecuaria, nec aliis opus eſt civibus.

§. 236.

Quales cives requirat ſecuritas?

Quia ad ſalutem publicam requiritur ſecuritas a vi hoſtium externa (§. 45. *ſeq.* P. I. Polit.), *cives quoque apti ad ipſius defenſionem in ipſa dari debent, iique cæteris paribus potius indigenæ,* ſaltem ex maxima parte, *quam alienigenæ.* Tales enim requiruntur cives, quales ipſius fini conſequendo pares ſunt, ad quem finem ſecundario etiam refertur immunitas a læſione hoſtium ſive ſecuritas (§. 44. *ibid.*). Vnde quum iſta ſecuritas dari nequeat, niſi cives idonei ſint ad civitatis ſuæ defenſionem, teſtibus omnis ævi documentis: manifeſtum eſt, requiri in

in civitate aptos ad defenſionem ipſius cives (§. 398. *P. VIII. Jur. nat.*). Cum vero amor patriæ & ſuorum plus incitet ad debitum fortitudinis uſum, quam ſalus aliena & nuda ſtipendiorum ſolutio a peregrinis facta; ſatius eſt majorem militum partem eſſe indigenam, pro aris & focis ſolicitam, quam peregrinam & auxiliarem duntaxat, niſi ſingulares rationes iſtud ſuppleant incitamentum.

Omni enim ævo compertum eſt, cives ipſos pro ſua ſuorumque ſalute multo rectius fortiusque depugnaſſe, quam extraneas & conductitias copias. Nonne Romani victoriis & amplificatione imperii ſui ultra modum profecere, quia legiones illorum, præfecti & duces imperatoresque cives erant, non ſuæ tantum vitæ defenſioni intenti, ſed & ſalutem uxorum, liberorum, familiarum & patrimoniorum ob oculos habentes? Germanorum aliorumque populorum victoriæ civibus debebantur, pro aris focisque ſuis ſimul decertantibus. Si qua tamen neceſſitas auxiliari milite, aut aliunde conſcripto uti jubet, opera erit navanda, ut hi inſtar civium ſpe præmiorum, pœnarumque metu, incitentur, & tales ex parte magna ſint, qui e vicinia communi periculo, & fœderis, ſacrorum quoque religione adſtringantur animenturque ad parem cum civibus fidem virtutemque militarem ipſorum exemplo præſtandam. Alias intuta omnia erunt vel ab his, a quibus tuta resp. & tecta eſſe debebat.

§. 237.

Non poteſt unus idemque civium numerus cuicunque civitati juſtus eſſe. Liquet hoc jam ex eo, quod numerus idem civium numerus non niſi eisdem præditus eſt qualitatibus, eosdemque continet homines, quod nulla indiget probatione. Sed fieri nequit, ut quales uni conveniunt civitati cives, tales conveniant & alteri cuicunque, & ut iidem homines in qualibet civitate æque proſperis utantur rebus (§. 234). Deinde ſi vel diverſiſſimi ſint cives, ſolo munere equales, tamen civitates multum

Juſtus civium numerus nequit ubique idem eſſe.

tum discrepant ratione magnitudinis (§. 99. *seqq. P. I. Polit.*) ideoque non nisi tot requirunt cives, quot consequendo fin[i] ejus sufficiunt (§. 231.). Neque promiscue omnes civitati con- veniunt, sed ii ratione salutis secundariæ, qui ope culturæ & artis res naturales in suos aliorumque usus amplissimos parare, multiplicare & aptare vel ipsi possunt, vel his præesse, quorum opera & ministerio utuntur (§. 235.); & qui defensioni ipsius contra vim hostium sufficiunt (§. 236.). Jam ad majoris civitatis defensionem, & culturam rerum naturalium, ideoque & artem in rebus naturalibus exercendam multo plures requiri homi- nes, quam in civitate minori, aut plane parva, extra omnem positum est controversiam. Inde luculenter apparet, non pos- se unum eundemque civium numerum cuicunque civitati ju- stum esse.

§. 238.

Sed in diversis civitatibus est diversus.

Quia unus idemque civium numerus, sive iisdem gau- deat personis, sive diversis, cuicunque civitati justus esse ne- quit (§ 237.); perspectu est facillimum, *diversis civitatibus di- versum convenire, & esse debere civium numerum.* Licet enim ponamus duas civitates, quarum regiones & ditiones inter se sunt æqua- les; ipsa tamen situs diversitas diversam quoque earum in- dolem, qua naturam fertilitatis sterilitatis soli in agris, pra- tis, pascuis, silvis, lacubus, pecudibus, piscibus, avibus, feris, & ut paucis multa comprehendam, in rebus naturalibus & colen- dis, & arte accommodandis in multiplices usus vitæ humanæ. Ergo vix ac ne vix quidem fieri poterit, ut duæ tantum, multo minus ut plures civitates ita penitus sint æquales, ut & æquali civium numero jugiter egeant & utantur.

Ipsa rerum diversitas, quæ multitudinem involvunt non tan- tum determinationum per se intelligibilium, quæ qualitatum no- mine venire solent, sed quoque earum, quæ per se intelligi ne- qu

queunt, ſed tantum homogenea quadam notiori aſſumta, ope relationis, quam ad illam habere deprehenditur, explicari poſſunt, h. e. ratione quantitatum inter ſe differre conſueverunt. Mirum igitur non eſt, ſi civium, quorum quilibet ab altero multis modis differt, tanta multitudo, quanta ad tuendam ſalutem publicam, numero quoque differt & potentia, viribusque. Hæc enim ad numeri vel ejusdem diverſitatem valere, nemo non agnoſcit. Accedit, quod numerus civium in dies ſit mutabilis, ſi vel ad tempus breve eundem & æqualem numerum in duabus civitatibus ſtatuere velimus. Alii enim quotidie naſcuntur, alii moriuntur, nec fieri poteſt, ut totidem ſemper & ejusdem utrobique conditionis ſemper & naſcantur & moriantur. Quare etſi fingatur æqualis prorſus numerus civium in duabus civitatibus, per naturam hominum tamen, locorum & rerum, fieri non poterit, ut talis maneat, ſed continuo variabitur & magis magisque ab æqualitate priſtina, ſi qua fuit, recedet.

§. 239.

Numerus civium juſto major & minor.

Abundans dicitur *civium numerus*, qui tantus eſt, ut per nec ſingulorum, nec univerſorum ſaluti ſatis conſultum poſſit. Sufficit alterutrum, ſive enim propter tantum numerum vel nonnullis conſultum eſſe nequeat, vel plerisque aut univerſis propter eundem tam bene eſſe nequeat, ac fieri poſſet & deberet. Abundans civium numerus ideo plures quam par eſt cives habet, ſeu non inſervit fini civitatis conſequendo, eſtque *juſto major*. Ex adverſo mancus & *juſto minor* erit, qui tantus non eſt, quantus ſufficeret, vel qui propter ipſum numerum deficit, aut non ſufficit ad conſequenda omnia quæ major numerus civium præſtare ſaluti publicæ poſſet.

Si comparatione quadam hæc illuſtranda ſunt, cogitemus ventriculus, cui juſtus cibi & potus modulus prodeſt ad ſanitatem, vitam & temperantiam; juſto vero major nocet, cauſas morborum producendo variis modis. Minor quidem alimenti menſura non tam aperte & repente nocet, ſenſim tamen emaciat

corpus, debilitat vires, itaque minus boni præstando malum tandem & sensim creat.

§. 240.

Idem numerus ne quidem eidem civitati semper est justus.

Neque eidem civitati semper idem vel æqualis civium numerus conveniet, aut esse debet, sed qui numerus alio tempore eidem justus fuit, aut esse poterit, alio non erit, sed vel justo major vel minor. Nulla enim civitas semper in eodem statu interno & externo versatur, aut propter status mutabilitatem versari potest (§. 709. *seq. Ontol.*). Sed tantus esse debet civium numerus, quantus (pro statu civitatis) requiritur ad paranda ea, quæ ad vitæ necessitatem, commoditatem & jucunditatem innocuam omnium civium ad promovendam eorum felicitatem, eosdemque tutos præstandos ab injuriis civium aliorum & vi hostium externa; vel ad promovendum commune civitatis bonum, eamque adversus vim hostium defendendam (§. 398. *P. VIII. Jur. nat.*). Quare in alio civitatis statu, eoque inprimis valde mutato, alio atque alio opus erit civium numero; neque infrequens erit casus, quo qui in statu A justus est civium numerus, idem in statu B sit justo major, & in statu C justo minor. Siquidem justus est, qui saluti publicæ sufficit (§. 230.), ideoque justo major, qui plus quam sufficit, seu abundat; & justo minor, qui nondum sufficit, itaque deficit vel defectu laborat, ut præcedens excessu.

Vt hoc distinctius perspiciatur, ponamus mediocrem civitatis statum notare statum A; atque in eodem justum esse civium numerum N. Emendetur status civitatis, fiatque multo melior quam ante; sive quod ejus terra cultior facta, & a desertis, paludibusque liberata pluribus alendis sufficit, sive quod commercia, artes fabricæ nunc demum ad florem eximium perduci potuere. Apertumne est, in hoc provectiori florentiorique civitatis statu C illum numerum obtinendæ omnigenæ saluti non amplius suffecturum, sed defecturum esse? Hoccine est justum

ſtum ante numerum civium tum fore juſto minorem? Vice verſa ponamus, quocunque modo ſtatum civitatis B admodum eſſe depravatum ſive de populationibus vaſtationibusque bellicis, ſive terræ motibus, qui multa ſubvertere aut terram ſubſidentem contegere ſolent aqua, ſine inundationibus aut intemperie & ſterilitate multorum annorum, ſive commerciorum diminutione vel ceſſatione. Fieri ne ſic poterit, ut non amplius civitas ſufficiat, tot hominibus alendis, ditandis, beandis, ideoque prior numerus civium jam abundet, ſitque & civitati oneroſus, & ſuperfluis adverſus nec tolerandus. Itane is civium numerus, qui in mediocri ſtatus juſtus merito dicebatur, in hoc ſtatu deteriori B juſto erit major, utpote in quo nec omnibus, nec ſingulis ita conſultum erit, uti ipſimet optant, & poſtularet publica ſalus.

§. 241.

Statuendum eſt, e & pro re nata quis civium numerus ſit juſtus, nec ne. Nequit enim unus ideoque civium numerus cuilibet civitati juſtus eſſe (§. 237.), ſed aliis civitatibus alius reſpondet (§. 238.). Quid? quod ne eidem quidem civitati idem ſemper aut æqualis civium numerus convenit, ſed qui alio tempore juſtus eſt, ille alius aut juſto major aut minor eſſe poteſt (§. 240.). Quod cum a diverſo admodum civitatis ſtatu dependeat, (per adnotata ad §. 240): pro publica re nata, vel quod eodem redit, pro præſenti civitatis ſtatu metiendus is erit civium numerus, qui juſtus ſit vocandus nec ne. Nempe ſi in iſto ſtatu ad omnem civitatis ſalutem conſequendam vires abunde ſuppetant, vel pares ſint, erit is juſtus numerus & quantus eſſe debet (§. 238.); ſi non poſſit per eas finis obtineri quatenus per majorem civium numerum in poteſtate eſſet, erit is juſto minor; ſi ideo fieri nequeat, quod plures adſunt cives, quam qui ſcopo ſufficerent, hoc eſt, quod abundantia civium obſtat, numerus civium erit juſto major (§. 239.).

Juſtus civium numerus e re nata eſt metiendus.

Eſt igitur civium numerus inter eas res referendus, quæ ſunt pro facie civitatis alia atque alia mutabiles, atque ſecundum præſentem ſtatum determinandæ. Nempe quia ſtatus civitatis eſt mutabilis, non poteſt non quidquid illo nititur, pariter cum ipſo variari, & alia aliaque indui veſte. Quare & numerus civium e ſtatu civitatis mutato ſuam ſortitur mutationem, ſuasque viciſſitudines, fere ad eundem modum, quo alimenta ipſa, eorumque menſura accommodanda ſunt ſtatui ægritudinis ſeu morbi, & ſanitatis ejus, cui deſtinantur.

§. 242.

In quavis parte finium civitatis.

Nec tantum ratione finis primarii, ſed & ſecundarii ac utriusque partium quam optime conſequendarum, juſtus requiritur civium numerus, ſimiliter metiendus. Juſtus enim civium numerus non eſt, niſi qui ex aſſe conſequendo fini civitatis par eſt (§. 230.). Sed finis civitatis eſt ſalus publica cum primaria tum ſecundaria (§. 36. 42. *ſeqq. P. I. Polit.*). Inde numerus civium ſufficere debet ad plene conſequendam ſalutem tum primariam, tum ſecundariam; hoc eſt juſtus requiritur civium numerus non tantum ratione finis primarii, ſed & ſecundarii, qui in ſalute ſecundaria continetur.

Quoniam vero multa requiruntur ad conſequendum ex aſſe finem uti primarium, omnem culturam virtutum intellectus pariter ac voluntatis univerſamque felicitatem includentem (§. 39. *ſeqq. ibid.*); ita & ſecundarium, ad omnem vitæ neceſſitatem, commoditatem & jucunditatem innocuam comparatum (§. 42 *ſeqq. ibid.*): unumquodque eorum, quæ ad utrumque faciunt, velut pars felicitatis proſperitatisque omnium conſiderari meretur (§ 38. & 45. *ibid.*), verbi cauſa affluentia rerum, tranquillitas & ſecuritas civitatis (§. 42. *ſeqq.* 46. *ſeqq. ibid.*), ne gradibus quidem exceptis (§. 57. *ſeqq. ibid.*). Quæ ſalus cum & omnium & ſingulorum eſſe debeat, qui ſe recte gerunt in civitate (§. 39. *ibid.*). Vtique utriusque finis partium

um quarumcunque quam optime consequendarum ratio habenda est, quoties de justo civium numero statuendum est. Justus nempe erit civium numerus, quando sufficit omnibus & primariæ & secundariæ salutis partibus ex asse & quam optime consequendis.

Quemadmodum igitur in genere justus civium numerus ex fine civitatis metiendus est, quatenus is ex asse est consequendus (§. 230.) tum ratione qualitatis, tum ratione numeri, ut tales & tot sint, quot & quales obtinendo fini ipsius ex asse pares sunt (§. 231. *seqq.*): ita quoque in singulis partibus utriusque finis id curandum est, ut ad quamlibet partem, vel scientiam, artem, & vitæ honestæ indolem & tales adsint & tot cives, quales & quot eidem satagendo & sibi & universæ civitati beandæ fortunandæque quam optime & plenissime obtinendæ pares deprehenduntur. Quæ quoniam nec in qualibet civitate, nec in eadem civitate eodem modo semper haberi possunt (§. 237. *seqq.* & 240.): etiam in qualibet parte & functione, ad salutem publicam pertinente, justus civium numerus nequit esse ubique, nec in eadem civitate semper unus idemque, sed pro nata rerum facie diversus, seu alias major, alias minor erit adhibendus & pro justo tum agnoscendus.

Constat inter omnes, in unoquoque vitæ genere, v. c. in Theologia, Jurisprudentia, Medicina, Chirurgia, & quolibet opificio justum esse Theologorum, JCtorum, Medicorum, Chirurgorum, artificum & opificum numerum, quando eodem indiget salutis publicæ procuratio amplificatioque, ipsique hujusmodi cives in civitate florere & rebus secundis uti fruique singuli partibus suis rite vacantes possunt. Si vero pares non sunt partibus omnibus fungendis, aut nimio labore suscepto sibimetipsis nocebunt, aut civitati abstinentes ab iis, quibus salvis officiis erga se nequeunt fungi. Tunc apertum erit, eorum numerum esse justo minorem. Denique si tot sint Theologi, JCti, Medici, Chi-

rurgi, artifices & opifices, quot ali & commode vivere in civitate nequeunt, ut ideo ipſis cum inopia & fame ſit conflictandum, vel ad ſtipem mendicandam refugiendum, qui laborare poſſent vellentque, modo non nimio aliorum numero arcerentur; manifeſtum eſt, numerum eorum, in iſto vitæ genere, quo ejusmodi indigentia premuntur, eſſe juſto majorem (§. 239.). Neque refert, utrum talis tantusque eorum numerus antea juſtus fuerit, aut poſtea futurus ſit, an hoc nunquam in ea contigerit aut ſit futurum.

§. 243.

Juſtus ſit revera civium numerus.

Studendum vero, ut judicium de juſto civium numero indubia nitatur veritate & univerſim, & ratione partium in quibuscunque vitæ generibus, in civitatem admittendis. Ponamus judicium de juſto civium numero abludere a veritate, eritne eo ipſo falſum (§. 505. *Log.*)? Quia tamen non pro falſo ſed pro vero habetur, erit ſimul erroneum (§. 623. *Log.*) & præjudicium (§. 1011. *ibid.*). Qui in iſto errore & præjudicio verſatur; is non poteſt non in rebus ad publicam ſalutem pertinentibus ſuo aliorumque plurimorum periculo multis modis vel legitime inde concludendo ab officio aberrare. Qui errores quo gravioris ſunt momenti, eo magis ſunt fugiendi. Eapropter ſtudendum eſt, ut judicium de juſto civium numero inprimis apud eos, quorum eſt cura ſalutis publicæ, indubia nitatur veritate, tum univerſe, tum ſingulatim circa hæc vel illa vitæ genera in civitate neceſſaria admittendaque (§. 230. *ſeqq.*)

Habent hoc errores omnes commune, ut noceant iis, qui eos fovent, & qui ipſos ſibi perſuaderi patiuntur. Inprimis tamen capitales illi univerſalesque errores, qui principia concludendi fiunt, eo plus afferunt nocumenti, quo plura inde deducuntur, & quo gravioris momenti ſunt res, in quibus foventur. Quid poteſt vero in his terris majoris eſſe momenti publica omnium ſalute? Et cum hac juſtus civium numerus tam arcte eſt connexus, ut illo tanquam fundamento & ab initio ſuperſtruatur, & poſtea

postea sustentetur. Quo majori studio opus est, ne judicium de justo civium numero temere formetur, & a rei veritate turpiter aberret.

§. 244.

An numerus civium receptus sit justus.

Errandi periculo se exponunt, qui circa dijudicandum justum civium numerum in recepta adquiescunt opinione, numerum in ea obtinentem esse justum. Videri quidem ita posset, receptum civium numerum experientia esse comprobatum, inde ipsum esse justum revera. Sed quis nescit, & in publicis rebus dari errores sæpe sat manifestos aliis, qui illis non sunt innutriti occupative? Contingit enim, ut is numerus quidem olim fuerit justus, nunc autem justo vel sit major vel minor (§. 240.). Nec ignota est hominum de tantis rebus ignorantia & temeritas statuendi, pro suo captu vel affectu, quam fovet pertinacia in opinione præconcepta, dum nolunt videri errasse. Quisquis igitur sibi persuadet, recte a majoribus illum numerum esse constitutum & usu longo comprobatum, nec meliorem dari; is errandi periculo se temere exponit, antequam illud ita se habere compertum habet. *Non est igitur circa dijudicandum justum civium numerum in recepta opinione citra convictionem de ejus veritate adquiescendum.*

Non desunt regna, in quibus multo plures cives possent affluere rebus secundis, deserta coli & civitas potentior fieri, ac haberi jam consuevit.

§. 245.

Modus numerum civium dijudicandi a posteriori & priori.

Citra errorem justus civium numerus non potest dijudicari, nisi tum duce experientia & exemplis aliarum civitatum perquam similium, tum convictione ex principiis antea hic traditis petita. Immunis est ab errore animus, quando de veritate indubiis argumentis est convictus. Argumenta indubia nituntur principiis vel a posteriori vel a priori asserta demonstrandi (§. 561. & 1232. *Logic.*).

gic.). Principia a poſteriori ſuppeditat experientia indubitata; a priori vero definitiones accuratæ & quæ inde evincuntur (§. 562. *ibid.*). Sed non ſola civitas, in qua degimus, verum etiam aliæ antiquæ & recentiores civitates, quo noſtræ ſunt ſimiliores nobisque perſpectiores, eo certiori nos imbuunt experientia eorum, quæ de juſto civium numero ſunt ſtatuenda. Regulæ autem, quas ſupra (§. 231-236.) ex genuina juſti civium numeri derivavimus, ſunt principia demonſtrandi a priori noſtra de juſto civium numero judicia. Nequit igitur juſtus civium numerus dijudicari niſi a poſteriori exemplis aliarum civitatum indubiis, noſtræ ſimillimis, & a priori petita convictione ex principiis ſupra adductis. Hinc *ex iis, quæ plerumque obtinent, ſtatui ſolet numerus fixus & clauſus civium illius vitæ generis, haud temere mutandus.*

Si uſquam, hic quoque opus eſt connubio rationis experientiæ, ut utriusque amico conſenſu convictio animi evadat eo major certiorque. Quia ſimilium ſimilis, & diſſimilium diſſimilis ratio eſt, exemplorum perſpicientia hac in re nihil nos juvaret, niſi pateret inter ea tanta requiritur ad argumentum ab analogia recte ducendum. Interim principia a priori regere hac in re nos poſſunt, etiamſi exempla non proſtant, & ad quæ proſtantia non porriguntur, modo convictionem ex demonſtrationibus quæramus & conſecuti ſimus, antequam judicium pronuntiemus.

§. 246.

Criteria juſti civium numeri.

Vbi juſtus eſt civium numerus, ibi datur proborum quorumque in civitate degentium αὐτάρκεια, ſingulorum naturae & artium theſaurorum florentiſſima cultura, & conſtans ab hoſtibus ſecuritas. Nimirum juſtus civium numerus ſufficit fini civitatis ex aſſe conſequendo (§. 230.) ideoque talis & tantus eſt, qualis & quantus ſufficit ſaluti publicæ ex aſſe parandæ, tuendæque (§. 231.). Ideoque ad felicitatem ſibi comparandam (§. 232.), & ad rerum

rum naturalium culturam instructionemque ad usus amplissimos obtinendam nihil in ipsa deeris iis, qui officio suo deesse nolunt (§. 233. & 235.). Comparare ergo sibi poterunt, & qui sapiunt comparabunt affluentiam rerum, quibus indigent cum suis ad vitæ præsentem ac futuram necessitatem, commoditatem, innocuamque recreationem & voluptatem, ac tranquilla earum gaudebant tum possessione tum fruitione. Neque minus pares erunt defensioni salutis publicæ (§ 236), ut constanti gaudere possint immunitate a vi & metu hostium. Quare cum in his consistat proborum quorumque in civitate degentium αυταρκεια (§. 43. *P. I. Polit.*) & prosperitas (§. 45. *seqq. ibid.*): patescit, ubi justus est civium numerus, ibi dari proborum quorumvis civium, incolarum, & summatim in civitate degentium αυταρκειαν, singulorum naturæ & artium thesaurorum debitam culturam florentissimamque, & constantem ab hostibus securitatem.

Sequuntur nempe, quæ hic enarravimus ex justo civium numero tales & tot homines complectente, quales & quot sufficiunt saluti publicæ adquirendæ, conservandæ & defendendæ, tanquam fructus illius hominum consociationis, quæ civitas vocatur, exoptati & peculiares. E quibus si præsto sunt, tuto colligitur ipsa, quam conficiunt salus publica, civiumque numerus talis & tantus, qualis quantusque in ea obtinere debet. Manant inde quoque criteria sufficientis civium numeri alia, quorum hæc indicasse suffecerit. Non deerit ulli probo in civitate occasio, non copia laboris honesti, unde se suosque alere, liberos rite educare, & in senio sic vivere possit, ne aliis cogatur esse molestus & onerosus. Non audientur justæ querelæ vel de neglectis thesauris a natura liberaliter indultis; non de Eruditorum, artificum, opificumque, quibus indiget prosperitas civilis, vel defectu, vel imperitia, vel insolentia in pretiis præter rem flagellandis & augendis; non de penuria vitæ præsidiorum, omniumque honestorum vitæ generum, quæ locum

 ibi

ibi haberi & admitti pro rebus natis & locorum conditione possunt. Nemo erit probus, qui neget sibi bene esse, quique malit alibi esse, quam in sua civitate. Neque querimonia audietur nisi ab his, quorum manifesta omnibus est, aut illico se prodet desidia, luxuria, nequitia, pravusque aut sceleratus animus deterioris suæ sortis faber, quibus in nulla civitate meliora evenire fata possunt, nisi emendentur. Præterea aderunt, quæ dari possunt, incitamenta & adjumenta virtutum & rerumque secundarum, impedimenta vero injuriarum, vitiorum rerumque adversarum, quæ in ulla civitate humana providentia & industria comparari possunt. Vbi igitur nemo bonus habet cur doleat de his, quæ in civitatis potestate sunt ad salutem publicam amplificandam, ubi nemo nisi improbus effundere querelas intelligitur, ibi florere civitatem justo tot & talium civium numero, quot & quales in illa desiderari possunt, exploratum certumque est.

SECTIO II.

CAPVT II.

De sapienti Procuratione justi civium numeri.

§. 247.

Vbi justus civium numerus obtinendus.

Si *deest civitati justus civium numerus, is sapienter erit obtinendus.* Etenim jus civitatis pacto est adquirendum (§. 201.). Pacta sine paciscentium consensu mutuo inire nequeunt (§. 788. *P. III. Jur. nat.*), idcirco & civitatis & cujusque civis cooptandi libero opus est consensu. Cum vero varia sint hominum ingenia, varia animorum sensa, & unusquisque sponte consentire debeat (§. 699 & 574. *ibid.*): sapienter ejusmodi bona civibus in civitate sunt promittenda, quorum causa sponte

te jus civitatis appetant. Quapropter si deest justus civium numerus, is sapienter erit quærendus obtinendusque.

Quæ pacto itaque consensu alterius sunt obtinenda, ea nec vi nec metu incusso sunt extorquenda (§. 575. *P. III. Jur. nat.*), & quisquis vi metuque alterum adigit ad promittendum, nullum inde jus adquirere potest id, quod promittitur exigendi (§. 576. *ibid.*). Cum ergo promissio de civitate vi metuve extorta nulla sit, nec valeat quidquam (§. 228. *P. I. Polit.*) sapienti opus est promissione ejusmodi bonorum in civitate, quæ tanti singulis videatur, quorum causa cives ejus fieri malint, quam alterius aut nullius civitatis. Sapientia enim & fines eligit & modos, & ordinem rerum legitimos ac jure præferendos.

§. 248.

Vbi justus civium numerus habetur, ibi opera danda est, ut maneat & per successores continuetur. Justus enim civium numerus in civitate est necessarius si finis ipsius ex asse est consequendus (§. 231.). Quia necessarius est, fieri nequit, ut sine illo salus publica salva maneat. Si absque illo salus omnium ex asse haberi nequit, civitas illo non potest carere. Si illo carere nequit, necesse est ut maneat tantus, qui semper sit sufficiens, ideoque per successores ob legem mortalitatis continuetur. *Vbi idem continuandus*

Vti vita hominis est continuanda, si finis ejus debeat obtineri; ita & sufficiens civium numerus, per quem civitatis finis est consequendus, manere in civitate & semper præsto esse debet suis functionibus peragendis. Si ibi motus circuitusque sanguinis, si respiratio cessaret, cessaret quoque vita. Sic si cessaret in civitate justus civium numerus, a quo salus ejus dependet, cessaret & salus civitatis, quæ ejus est vita, qua animatur.

§. 249.

Procuratio justi civium numeri idonea requirit instituta, justum civium numerum obtinendi perpetuandique. Si justus esse debet civium numerus, omnia a civitate sic sunt instituenda ut is & haberi possit, & continuari. Inde si deest civitati justus civium nu- *Procuratio justi civium numeri quænam requirat?*

 merus,

merus, ſapienter omnia ſic ſunt inſtituenda, ut is obtineatur habeaturque (§. 247.). Si jam habetur, opera eſt navanda, ut ſapienter continuetur perpetueturque (§. 248.). Quare procuratio juſti civium numeri, idonea requirit inſtituta, juſtum civium numerum & obtinendi & perpetuandi.

Perpetuari dicitur quidquid ſine intermiſſione continuatur, vel ita ut in omni caſu ſit maneatque idem (§. 1062. *P. I. Theol. nat.*). Cives ergo perpetuantur, dum retinentur totidem, aut decedentibus quibusdam, illico ſunt, qui eorum occupant locum, eorumque obeunt partes. Inſtituta idonea noſtrates vocant gute Anſtalten.

§. 250.

Inſtituta quid ſint ratione civium. *Inſtituta juſtum civium numerum conſequendi idonea ratione civium non ſunt niſi invitamenta, ad civitatem eos fortiter allicientia, & in eadem detinentia.* Inſtituta enim idonea eſſe debent ad juſtum civium numerum impetrandum & perpetuandum (§. 249.). Sed cum ad obtinendos ſapienter cives, liber eorum conſenſus requiritur & appetitus civitatis (§. 247.), tum ad retinendos eosdem & per ſucceſſores continuandos (§. 248.). Ad liberum vero conſenſum & appetitum excitandum conſervandumque requiritur tantus bonorum cumulus, quantus omnium animos vi & ope ſua flectere & allicere conſtanter, & allectos fovere ac retinere in civitate ſolet. Bona vero rata efficacia quia invitamenta appellantur, manifeſtum eſt, idonea inſtituta juſtum civium numerum conſequendi, non eſſe niſi invitamenta, quæ eosdem ad civitatem ſuaviter alliciunt, & allectos cooptatosque conſtanter in eadem retinent.

Quæ motiva dici ſolent, argumenta potius ſunt & incitamenta: ideoque dum appetitum procreant, ſeu bona appetenda animo offerunt, recte invitamenta appellantur. Valent hæc non tantum ad cives ſtricte dictos, ſed etiam ad incolas & advenas vel convenas alliciendos, capiendos, nec ingratiis ſecum tenen-

tenendos, quatenus illis opus est ad salutem publicam rite curandam.

§. 251.

Prima procuratio justi civium numeri obtinet in civitatum primordiis. Homines enim obligantur ad civitates optimas eligendas, condendas colendasque (§. 174. *P. I. Polit.*). Quales cum esse nequeant, nisi justo gaudeant civium numero (§. 230.). In ipso statim primordio civitatis primam procurationem justi civium numeri necessariam esse liquet. Idem & sic evincatur: in primordiis civitatis nihil prius esse debet nihilque antiquius ipso fine civitatis actu obtinendo omnium in eum appetitu & vi consentiente (§. 235. *P. I. Polit.*). Sed justa civium copia non est nisi ad consequendum civitatis finem suffectura (§. 230.). Inde procurationem justæ civium copiæ primam in ipso civitatis primordio requiri, omni majus est exceptione. *Procuratio prima justæ civium copiæ.*

Hanc primam idoneæ civium copiæ curam si quis relegandam ex politicis patet propterea, quia civitates, quotquot habentur in terrarum orbe dudum sunt constitutæ, & demortuis illarum conditoribus frustra regulæ traduntur; is vel nesciret, vel non attenderet ad pristinas civitates, quarum vix ulla superest, aliis in earum locum substitutis. Vbi enim est regnum Judæorum, Assyriorum, Aegyptiorum, Macedonum, Persarum, Romanorum &c. quæ suo tempore & celebratissima fuere & potentissima? Quid restat Trojæ, Babylonis, Ninivæ, Tyri, Carthaginis, Hierosolymorum, ecquantarum urbium metropoliumque? Vbi fuerunt antiquitus, quæ nunc præpollent civitates, & notane sunt illarum exordia, ex parte ante hoc sæculum nuspiam obvia? Quæ eversiones antiquarum, & origines novarum civitatum quid docent, nisi similia fata nec in posterum esse defutura? Vnde primordia civitatum non esse inter antiquata, nec amplius locum habitura, numeranda cogitur luculenter.

§. 252.

Specialis casus primæ procurationis civium.

Si prima copiæ civium procuratio in medio aliarum civitatum instituenda est, id vix aliter aut melius fieri poterit, quam propositis majoribus pluribusve privilegiis alibi non habendis. Si enim nova civitas condenda est in medio aliarum civitatum, illa majorem civium numerum accipere non poterit, nisi ex civitatibus circumjectis; & siqui ex remotioribus civitatibus sint sperandi, illorum non nisi par erit ratio, ubi singuli suæ civitatis amore sunt capti. Quam obrem manifestum est, neminem suam civitatem esse postpositurum alteri, inprimis novæ vix sine invidia condendæ, nisi plura & meliora in ea consequi possit, quam ibi, ubi jam commoratur aut fixam habet fortunarum sedem. Quare quotquot sponte sua alliciendi sunt in novam civitatem appetendam ineundamque, illi non nisi majoribus bonis & privilegiis, quibus in sua civitate potiri nequeunt, in eam invitabuntur. Majora igitur commoda, jura & privilegia idonea erunt in hoc casu invitamenta ad cives aliarum civitatum in novam alliciendos, ut relicta sua civitate migrare in novam velint (§. 250.). Si igitur prima copiæ civium procuratio in medio aliarum civitatum instituenda est, ea vix aliter aut melius fieri poterit, quam propositis majoribus pluribusve emolumentis privilegiisque, alibi non habendis.

Intueamur verbi causa primordia civitatis romanæ in medio civitatum italicarum conditæ. De qua *Livius Hist. ab urbe cond. Lib. I. c. 8.* Crescebat interim urbs munitionibus, cum alia atque alia appetendo loca (conciliati jam Albani Latinique) in spem futuræ multitudinis munirent. Deinde ne vana urbis magnitudo esset, adjiciendæ multitudinis causa, vetere consilio condentium urbes, qui obscuram atque humilem conciendo ad se multitudinem, natam sibi e terra prolem ementiebantur, locum, qui nunc septus densis sentibus inter duos lucos est (Romulus), asylum aperuit. Eo ex finitimis populis turba omnis sine

ſine diſcrimine liber an ſervus eſſet, avida novarum rerum perfugit, idque primum ad cœptam magnitudinem roboris fuit. Cum jam virium haud pœniteret, conſilium deinde viribus parat centum creat Senarores patrum elogio gaviſuros &c. Sed penuria mulierum hominis ætatem duratura magnitudo erat . . . Tum ex conſilio patrum legatos miſit ad vicinas gentes, qui ſocietatem connubiumque novo populo peterent. Sed nusquam benigne legatio audita eſt, plerisque rogitantibus, ecquod feminis quoque aſylum aperuiſſent, id enim demum compar connubium fore. Quod *Cicero pro Balbo c. 13.* eo vertit: nullam eſſe gentem ex omni regione terrarum, neque tam diffidentem a populo romano odio quodam atque diſcidio, neque tam fide benevolentiaque conjunctum, ex qua nobis interdictum ſit adſciſcere civem, o jura præclara, atque divinitus jam inde a principio romani nominis a majoribus noſtris comparata! Neque id ignoravit Alexander M. condens Alexandriam, cui tam ſingularia eaque magna conceſſit privilegia, ut brevi tempore undique in eam confluerent homines domicilium ibi conſtruentes eam efficerent populoſiſſimam. Quanquam *Curtius Lib. IV. c. 8.* narrat juſſum quoque acceſſiſſe: ex finitimis urbibus commigrare Alexandriam juſſis novam urbem magna multitudine implevit. Sola vero juſſa ſi fuiſſent, condita ab ipſo urbs & caput ægypti cum ipſo Alexandro quoque eſſet extincta. Aſylum vero nefariis non erit concedendum, niſi prorſus emendentur.

§. 253.

Quia propoſitis ejusmodi emolumentis privilegiisque allicienda eſt civium copia, quæ in aliis civitatibus haberi nequeunt (§. 252.); *explorandum eſt, quænam in aliis præſertim vicinis civitatibus non proſtent exoptata civibus jura & privilegia, & quo pacto illa novis civibus poſſint indulgeri.* Hoc quippe ſi fiat, certum eſt iisdem haud paucos cives allectum iri ad ineundam novam civitatem. *Indagandæ ſunt civium illecebræ.*

Fieri ſcilicet poteſt, ut ad tempus quoddam civibus indulgeantur, quæ perpetuo ipſis dari nequeunt. Civitates populoſæ

igi-

igitur propter ipſam populi multitudinem nec omnibus id dare poſſunt, quod paucis, neque eripere illis privilegia, quibus dudum gaudent. Inde multi conſequi in illis nequeunt, quæ optant. Ceſſat quoque in illis ratio, privilegia dandi ubi vix ulla reſtant danda, certe nulla danda ſunt ad cives obtinendos, quorum non copia tantum, ſed abundantia fere adeſt.

§. 254.

Vt largitio civitatis gratuita.

Ad alliciendos novos cives, jus civitatis gratis eſt largiendum. Etenim in civitatibus numeroſis jus civitatis cives vel rarius ob merita gratis adſciſcuntur, vel plerumque contractu oneroſo (§. 221.), præſertim in tali vitæ genere, in quo arriſit numerus civium fixus, nec ſine gravi ratione mutandus (§. 245.). Quare cum ad novas civitates convocandi ſint cives illecebris in aliis civitatibus non obviis (§. 252.) atque id exploratum habeatur, in civitatibus populoſis jus civitatis perraro cuiquam donari, tantum abeſt, ut id promiſcue omnibus donetur: ad allectandos cives novos jus civitatis gratis eſt elargiendum. *Neque tantum in condenda nova civitate, ſed & in vaſtata inſtauranda idem illud valere ex rationibus iisdem conſtat.*

Romanos bene meritis, etiam in florentiſſimo civitatis ſtatu civitatem donaſſe, inter alios locupletiſſimus eſt autor *Cicero*. Qui *c. 13. pro Balbo*, Romuli auctoritate & exemplo nunquam ibi intermiſſam eſſe dicit a majoribus largitionem communicationemque civitatis. Cujus rei innumera paſſim memorantur exempla. Vbi vero fixus certorum civium numerus eſt, ibi nec oneroſo contractu ejusmodi jus civitatis, nullo vacante loco, obtineri poſſe, manifeſtum eſt, inprimis cum nulla gravis ratio mutationem numeri fixi urget.

§. 255.

Ne hoſtibus quidem temere neganda.

Facit ad augendam civium copiam, ſive illi quidem temere a civitate arceantur, qui hoſtium numero fuere. Etenim qui hoſtes fuere, illi nunc non amplius ſunt hoſtes, ideoque vel ut amici con-

considerandi erunt, vel ut peregrini. Vtroque casu nulla ratio est, cur a civitate excludantur, dum hæ ipsæ sunt rationes eos ad civitatem admittendi. Quare sive nova civitas sit condenda, sive olim conditæ desint cives, sapienter propterea obtinendi (§. 247.), faciet ad justam civium copiam consequendam si ne illi quidem a civitate insipienter arceantur, qui hostes antea fuere, nunc autem vel devicti sunt, vel conciliati amici, a quibus nihil periculi metuendum.

Laudat hoc *Cicero cap. 13. pro Balbo* his verbis: illud sine ulla dubitatione maxime nostrum fundavit imperium, & populi romani nomen auxit, quod princeps ille, creator hujus urbis, Romulus, fœdere Sabino docuit, etiam hostibus recipiendis augeri hanc civitatem oportere . . . Itaque & ex Latio multi & Tusculani & Lanuvii & ex cæteris generibus gentes universæ in civitatem sunt receptæ, ut Sabinorum, Volscorum, Hernicorum. „Factum inde, ut quædam gentes fœderibus caverint, ne in romanam civitatem cooptarentur, procul dubio studio libertatis avitæ. Ad quam rationem ita *Cicero c. 14 pro Balbo* commentatur: At enim quædam fœdera extant, ut Germanorum, Insubrium, Helvetiorum. Japydum, nonnullorum item ex Gallia Barbarorum, quorum in fœderibus exceptum est, ne quis eorum a nobis civis recipiatur. Quod si exceptio facit, ne liceat, ibi necesse est licere, ubi non est exceptum.„ Contra hæc Lacedæmoniis & Atheniensibus non sine damno exitioque suo usitatum est, ut armis maxime valentes, exosos haberent victos, nulloque commercii vel civitatis jure dignos censerent. Quia tamen sapientes cives sunt adsciscendi, utique & in peregrinis, & hostibus conciliatis in civitatem recipiendis delectus est habendus, ne quid detrimenti saluti publicæ afferatur.

§. 256.

Et immunitates ab oneribus civilibus.

Immunitates onerum intra definitum ex æquitate annorum numerum, aliaque privilegia, non minus allicere novos cives solent. Onera enim vel realia sunt, vel personalia (§. 212.), quorum illa in rebus,

(*Wolfii Politicæ P. II. C. II.*)

rebus, hæc in operis, ad publica commoda conferendis, habentur (§. 211.). Vtrobique privatæ rei decedit, quod publicæ eſt tribuendum. Quia immunitas eſt beneficium liberans civem ab eo, quod ab aliis eſt præſtandum, ideoque privilegium in juris negativi conceſſione poſitum (§. 853. *P. VIII. Jur. nat.*): impendi id poteſt rei privatæ, quod alias publicæ eſſet impendendum, quod inter bona privata referendum eſſe liquet. Sed bona in civitate obtinenda, quæ in alia haberi nequeunt, idonea ſunt invitamenta, allicientia ad eundem & in eadem detinentia (§. 250. & 252.). Relinquitur ergo, immunitates onerum allicere novos cives eo magis, quo majori æquitate numerus annorum iſtius immunitatis eſt definitus.

Prout immunia prædia commodiori ſunt conditione, quam quæ penſitant: ita quoque civitas gratior videri debet, quæ immunitates onerum civilium concedit, quam quæ illas negat. Quo plures ergo, quoque majores immunitates civitas nova aut alia quædam offert præſtatque ſuis civibus, quam aliæ circumjectæ civitates, quo diutius, & quo majori æquitate illa privilegia conferuntur: eo plures undique ad eam invitabuntur, eoque lubentius in ea manebunt, cæteris nempe non diſparibus. Anni vero immunes, pro ſumtuum ratione, qui faciendi ſunt in condenda domicilia, in agrum extirpandum & eradicandum, quinque decem aut plures eſſe ſolent, prout pacto ex æquitate convenit. Sic & ipſæ immunitates alias plures, alias pauciores, item gravioris aut levioris momenti pro pacti tenore habentur.

Immunitatibus addi poſſunt alia privilegia, jurium poſitivorum fructum complexa (§. 853. *P. VIII. Jur. nat.*). Videlicet concedi poſſunt novis civibus jura & leges, quibus adſueverunt antea, modo in concordiam revocentur; Dari ipſis poſſunt ligna, lateres, ſolum agri, prata, paſcua gratis, unde ſtruant domicilia & victum quærant; admoveri poſſunt honoribus & magiſtratibus, aliisque ſpartis & reditibus certa lege hæreditariis; Indulgeri illis poteſt electio magiſtratuum annua a civibus & ex civi-

civibus dignis peragenda; Religionis liberum exercitium cum jure eligendi sibi suos sacerdotes & removendi eos, qui id mereri deprehendantur; monetæ, et mensurarum fixa ratio; participatio jurium metallicorum similiumque.

Exempli loco esse hic potest privilegium Culmense; quo Crucigerorum ordo hæc & plura civibus Culmensibus & Thorunensibus largitur, eaque deinde ad reliquos Prussos extendit.

§. 257.

Modi retinendi cives novos.

Elapsis primæ immunitatis annis cum pacti religione, tum emolumentis bonorum redituumque majorum, & quantum fieri potest onerum minorum, ac in aliis civitatibus dantur, novi cives retinendi sunt in recenti civitate. Pactum enim initur, non ad annos immunitatis, sed ut civitas perpetuetur, ipsaque immuniate ad perpetuandam civitatem invitantur novi cives. Quare pacti initi religione cives, hactenus immunes, jam obligantur ad onera communia, more in omnibus civitatibus recepto, subeunda, & ad novam civitatem jugiter colendam (§. 789. *P. III. Jur. nat.*). Præterea, quæ adepti interim sunt, bona immobilia, ut domicilia, fundi, agri & jura, tanti iam erunt, ut illis carere in posterum nolint: sed potius iisdem perpetim uti fruique cupiant. His si accedant sperandi propediem honores, quos merentur, commerciorum lucra, spartarum publicarum reditus, aliaque jura & privilegia alibi non speranda, onera denique quoad fieri salva rep. potest, pauciora ac minora alias usitatis, cuncta hæc bona, quorum illecebris refertum est primum pactum, sufficient, uti ad alliciendos novos cives (§. 250. & 252.), ita & ad eosdem lubenter tenendos, ne exire velint, etiam ipsis libera abeundi facultas concedatur.

Prædicat similia de civitate romana *Cicero pro Balbo c. 13.* O jura præclara atque divinitus jam inde a principio romani nominis a majoribus nostris comparata, ne quis invitus civitate mutetur, neve in civitate maneat invitus! Hæc sunt enim fun-

damenta firmiſſima noſtræ libertatis, ſui quemque juris & retinendi & dimittendi eſſe dominum. „Quæ de ordinario & pacato civitatis ſtatu, ubi nihil detrimenti ex abitu civis metuendum, intelligenda eſſe, ipſa rei natura quemque poteſt docere, & ſuo loco poſtea oſtendetur.

§. 258.

Opus quoque eſt terriculamentis ſalutaribus.

Ob diverſitatem civium præter invitamenta, opus quoque eſt terriculamentis aliisque inſtitutis civitatis ſaluti profuturis. Non eſt ea omnium civium indoles, ut propoſitis tantum bonis & præmiis flecti ſe & contineri in officio patiantur, id quod vel domeſtica loquitur experientia, vix unicam ſiſtens domum, in qua nunquam aliis opus ſit rebus, quam gratis, ad regendas domeſticorum actiones. Multo igitur minus in civitate, innumeram domorum & vicorum copiam poſtulante, omnes vel accedent ad illam ſola ſpe præmiorum illecti, vel in illa perſeverabunt, niſi & metuenda ſint mala ſi ſecus fecerint. Quamobrem eum qui ſpe bonorum duci non poſſunt aut nolunt, metu malorum ad officium adigendi ſint, exemplo parentum (§. 515. *Oecon.*) ipſiusque Dei (§ 1079. *P. I. Theol. nat.*): præter invitamenta opus quoque eſt in civitate terriculamentis, aliisque inſtitutis ſaluti civitatis profuturis, ſuo loco nunc reſervandis.

Duplicis generis bona in civitate ſunt procuranda, communia, quæ ſalutem publicam conſtituunt, & privata, ſingulorum civium deſideriis explendis apta. His in civitate eſt litandum, quatenus ſine detrimento illorum fieri poteſt. Vnde ſi quod privatis expediret aut placeret, idem publicæ ſaluti noceret, conſulendum eſt ſaluti publicæ vel cum detrimento privatæ civium rei (§. 252. *P. I. Polit.*). Multo magis, ſi quod civium nonnullis placeret, repugnaret ſaluti publicæ, iique admoniti ab incepto deſiſtere nollent, opus eſſet comminationibus propoſitisque terriculamentis & pœnis certo irrogandis. Quemadmodum enim *oderunt peccare boni virtutis amore: ita oderunt peccare mali formidine pœnæ.* Facile inde perſpicitur, quo-

quomodo malorum metus & ad ingrediendam civitatem et ad colendam illam animos quosdam movere possit.

§. 259.

Et internis virtutibus.

Neque tamen subsistendum est in externis tantum invitamentis avocamentisque, sed quantum fieri potest, interno virtutum studio & vitiorum odio animi civium sunt imbuendi, & in officio suo continendi. Actiones enim civium etsi officio conformes, rectæ nondum sunt, quæ tantum spe præmii eliciuntur, aut metu pœnæ extorquentur (§. 349. *P. I. Philos. pract. univ.*). Atqui saluti publicæ, quæ suprema lex est omnium civitatis institutorum (§. 86. *P. VIII. Jur. nat.*), primario inest felicitas civium quorumvis, non nisi virtutibus consequenda (§. 39. *seq. P. I. Polit.*). Quare cum rectæ actiones civium non sint, nisi quæ ex virtutibus proficiscuntur (§. 334. *P. I. Phil. pract. univ.*): subsistendum non est in civilibus præmiorum invitamentis & pœnarum terriculamentis; sed animus civium est virtutum studio vitiorumque odio imbuendus, & sic melius in officio suo continendus.

Prodest illa animi convictio de virtutum studio, vitiorumque odio necessario non solum in officio civium perficiendo, sed & in ipso civitatis primordio amor virtutum & vitiorum detestatio multum faciet ad justum civium numerum, talesque & tot cives facile obtinendos, quales & quot salus publica requirit. Virtutis enim salutisque, quanta haberi potest, studiosi, convicti sunt, nec aliter nec melius felicitatem prosperitatemque adquiri posse, eaque propter sponte sua ferentur in amorem civitatis, justæque civium copiæ conficiendæ.

§. 260.

Officia generalia circa justum civium numerum.

Justa civium frequentia obtenta, manenteque eadem ipsius facie, partim procuranda sapienter est ipsius conservatio & propagatio, partim ulterior perfectio accessioque incrementorum; mutata vero civitatis facie si civium numerus evaserit justo minor, is erit augendus; si justo major, is erit minuendus eousque, donec iterum justus habeatur. Sa-

piens quippe procuratio justi civium numeri non tantum idonea requirit instituta justam civium copiam consequendi, verum etiam eandem perpetuandi (§. 249.). Obtenta jam justa civium copia priori hujus procurationis parti satis est factum. Restat ergo pars altera, perpetuationem illius sibi propositam habens. Quoniam mutabilis est reip. facies, etsi durare aliquamdiu possit (§. 240.), dispiciendum erit, ut sapienter fieri ulterior procuratio illius possit, utrum eadem sit civitatis facies, an diversa ab ea, quæ hæc copia justa deprehendebatur.

Manente eadem civitatis facie, quæ posita antea erat, fieri nequit, ut qui civium numerus justus erat, jam non amplius sit justus, sed potius idem perget esse justus (§ 27. Ontol.). Proinde tantum opus erit, ut quantum fieri potest per legem mortalitatis humanæ, idem ille sartus tectusque, salvus & incolumis conservetur, & ob mortem alios post alios ex hac vita evocantem, per successores perpetuetur (§. 248.). Deinde quia summum bonum hominis continetur in non impedito progressu ad majores subinde perfectiones (§. 374. P. I. phil. pract. univ.), idque inest saluti publicæ (§. 39. seqq. P. I. Polit.); copia civium dum quoque manet eadem, tamen subinde ulterius est perficienda & ob futuros usus incrementis roboranda. Hoc casu ergo sapienter procuranda est civium & conservatio & propagatio, & ulterior perfectio, quanta datur.

Mutata autem civitatis facie sic, ut prior civium numerus justus jam dici nequeat, sequetur ut is vel sit justo minor vel major (§ 239.), ideoque in utroque casu mutandus. Si justo minor est factus, utique is erit mutandus in majorem, h. e. supplendus ac augendus eo usque, donec iterum justus evadat, seu habeatur par publicæ saluti tuendæ (§. 230.). Si vero justo major sit, ut iterum ad paritatem seu justum numero revo-

revocetur, oportebit. Quod fieri non poterit, nisi mutetur in minorem h. e. minuatur eo usque dum justus denuo habeatur. Quarum cum justo minor fieri justus nequeat nisi augendo (§. 247.), nec justo major, nisi minuendo (§. 239): in aprico est, justo minorem civium eo usque esse augendum; justo majorem vero eo usque minuendum, donec pro hac civitatis facie justa plane civium copia habeatur.

Redeunt igitur generalia procurationis copiæ civium officia ad quatuor hæcce capita 1) ad justum civium numerum, cujus nihil adhuc habetur, obtinendum: 2) ad adquisitum conservandum & perpetuandum; ideoque 3) si quo casu is justo minor sit factus, ad eum seu redintegrandum, seu augendum ad justam copiam, & 4) si justo major factus sit, ad eum diminuendum, quantum necesse aut consultum est. De primo capite jam dixi, restat ut de reliquis capitibus exponatur, quid factu opus sit.

§. 261.

Conservatio civium quid involvat?

Conservatio civium requirit curam prorogandi civium vitam & vires, quoad fieri potest, & avertendi his adversa. Conservatio enim est actio, qua efficitur, ut res existere pergant (§ 842. *P. I. Theol. nat.*). Quæ cum proprie Dei sit, nemo se ipsum, nec alium vi sua conservare potest (§ 843. *ibid.*). Quoniam tamen multis modis homo & suam & aliorum conservationem impedire, & eidem contraria admittere potest: & ipse cavere debet, ne eam suo vitio aut sua culpa impediat, eidem contraria suscipiendo (§. 350. *P. I. Jur. nat.*), & alios quoque suo imperio subjectos a similibus ausis avocare. Ideo quoque conservatio civium ornanda, a rectore civitatis (§. 641. *seqq. ibid.*) involvit curam cavendi & licitis modis impediendi, ne quid cives committant, quod conservationi vitæ ipsorum adversatur: item ne quid ipse temere admittat, quo civium vita in discrimen adducatur, sed ut hæc omnia, quoad fieri potest,

ab ipſis avertat (§. 532. & 655. P. *VIII. Jur. nat.*). Huc ergo tendens cura publica prorogandi civium vitam & vires, & avertendi his contraria, continet conſervationem civium ſapienter adminiſtrandam (§. 260.).

Conſervare vult Deus hominum vitam vires & valetudinem non miraculoſe, ſed cum hoc naturaliter fieri poſſit ope debiti uſus rerum naturalium his finibus deſtinatarum. Quare quicunque has res ignorat, aut iisdem non debite utitur, ſed vel abutitur, vel & contrariis utitur, in alios fines deſtinatis, is impedit conſervationem Dei, abjicit id munus divinum, aut plane eidem contraria molitur ſeque peſſumdat. Pari modo peccare quoque poteſt contra aliorum vitam, ſanitatem, integritatem membrorum, viresque, uti oſtenſum eſt in *Philoſophia practica univerſali.* Quatenus ergo rector civitatis debitum uſum rerum, ad vitæ conſervationem promovere & perficere, neglectum vero, abuſum & contrariorum uſum avertere valet, eatenus cura prorogandi civium vitam in manu ſua habere, & ut illam curam præſtandam obligatus eſſe intelligitur.

§. 262.

Curam vitæ præſidiorum ſalubrium. Prorogatio vitæ civium fieri nequit ſine debita copia & uſu præſidiorum vitæ, teſte experientia quotidiana. Sed præſidia vitæ ſunt res ad vitæ neceſſitatem, commoditatem, innocuamque voluptatem facientes, quorſum etiam refertur ſalubritas aëris, loci, & alimentorum. Quapropter *ſapiens prorogatio vitæ civium*, qua ad vegetam perducantur ſenectutem, cujus cura rectori civitatis incumbit, *requirit procurationem copiæ ſufficientis omnis generis præſidiorum vitæ*, omniumque rerum, quæ haberi poſſunt, ad ſatisfaciendum vitæ neceſſitati, commoditati jucunditatique (§. 420. *ſeqq.* P. *VIII. Jur. nat.*); nec non *curam ſalubritatis aëris, locorum, & alimentorum* (§. 716. P. *VIII. Jur. nat.*).

Neque

Neque enim annonæ caritati, & inopiæ alimentorum, qua fame perirent cives, & insalubritati locorum alimentorumque melius occurri potest, quam tempestive instructo publico penu, moderamine pretii rerum & nutrimentorum, legibus & sanctionibus pœnalibus adversus defraudationes, flagellationem annonæ, venditionem rerum insalubrium, examine rerum venalium, & denuntiatione eorum, quæ contra leges attentuntur. Sufficit hæc subindicasse, quæ alibi enucleanda erunt.

§. 263.

Privata in vitam injuria ne sit impunis.

Quia non solent deesse, qui ebriositate, gulositate, libidine suam, rixositate, convitiandi & calumniandi, confligendi denique temeritate alienam pariter ac suam sanitatem, integritatem organorum ipsamque vitam non verentur periculo objicere: *Severis quoque legibus pœnisque cavendum est, ne propria & aliena sanitas ac vita proterve in discrimen adducatur* (§. 532. *P. VIII. Jur. nat.*); ideoque ne impunis sit ebriositas, libido venerea, effusa dicacitas, audacia convitiandi & calumniandi, aut certaminis singularis, vindicta privata, & similia, unde cædes aliorum, aut αὐτοχειρία sequi solet, aut vitæ brevioris usura (§. 651. & 655. *P. VIII. Jur. nat.*).

Grassari homines plurimis vitiis in suam aliorumque sanitatem ac vitam solent, alii malitia enormi, ut fures & latrones, alii insidiis modisque tectioribus, alii culpa sat turpi. Quæ in his occultiora sunt, nec evinci satis possunt, ea quidem impunita in foro civili manent. Sed apertiora & graviora, quæ luculenter comprobari possunt, cum tam funesta sint civitati, meritissimo in jus vocantur, damnantur, legibusque severis interdicuntur (§. 653. *P. VIII. Jur. nat.*).

§. 264.

Occurrendum morbis præsertim contagiosis.

Quoniam ex morbis & læsionibus corporis haud raro periculum & jactura vitæ enascitur, teste experientia luculenta: curæ superiori esse debet, ut non modo præsto sint & æquo pretio venumdentur medicamenta salutaria omnis ge-

(*Wolfii Politicæ P. II. C. II.*)

neris,

neris, ſed etiam ne deſint medici & chirurgi periti (§. 717. P. VIII. *Jur. nat.*). Ob permagnam vero ſtragem civium, quam morbi contagioſi & peſtes edere ſolent, *maximo curandum eſt opere, ut arceantur a civitate morbi contagioſi & inprimis peſtis, & ſicubi irrepſerit, ut graſſari prohibeatur* (§. 718. *ibid.*). De inſtituendis ad hunc finem in civitate uberius dicetur deinceps. Hic enim ſatis eſt, oſtendiſſe, conſervandæ juſtæ civium copiæ cauſa quoque neceſſariam eſſe hanc curam.

§. 265.

Avertenda aut quantocyus finienda ſunt bella.

Neque ignotum cuiquam eſſe poteſt, quantam cladem, quot cædes inferre ſoleat bellum: eapropter ſumma adhibenda eſt cura, ne bellum privatum, ſive inteſtinum, rebellio, ſeditiones factionesque, neve bellum publicum cum hoſte externo præpotente temere & præter ſummam neceſſitatem ſuſcipiatur (§. 560. P. VIII. *Jur. nat.* & §. 580. & 582. & 962. *ſeqq. Jur. Gent.*). *Sapienter arcendum igitur eſt a civitate bellum civile, privatum & publicum, atque omne genus latrocinii, rebellionis, ſeditionisque, & ſi quid ſubortum ſit, aut evitari non potuit, & gerendum eſt, quam minimo vitæ humanæ diſpendio poteſt, & ſopiendum quantocyus* (§. 482. *ſeqq. P. I. Polit.*).

Sunt & hæc ſuo loco ulterius deducenda & comprobanda, quorum ratio hic oſtenditur tantum in officio civium vitam prorogandi in vegetam tantamque, quanta datur, ſenectutem. Neque enim tantum numerus civium juſtus ita rectius conſervatur, quam ſi hæc cura negligatur; ſed eadem quoque ad multa alia civitatis commoda adhiberi poteſt & pertingit.

§. 266.

Avertenda nimii laboris & ruinarum pericula.

Quia rectori civitatis quoque curæ eſſe debet, ne ſubditi labore nimio ſanitati officere cogantur (§. 720. P. VIII. *Jur. nat.*), ideoqur his, qui muneribus publicis præficiuntur, ſalaria ſufficientia ſunt conſtituenda, ut illis diligenter obeundis pares maneant (§. 721. *ibid.*); item viarum, pontium, ædificiorum

ciorum securitas & commoditas curari debent (§. 722. *seqq. ibid.*): Manifestum est, *conservandæ civium vitæ quoque deberi laboris nimii & periculosi inundationumque aversionem, & curam stabilitatis pontium, ædificiorumque, quorum ruina multis fieri potest perniciosa.*

Plura similia hominum vitia aut incuriæ damna, quæ ex errore aut perverso vitæ genere & more, v. c. otio torpescentium, itaque sanitati & vitæ noxas contrahentium, ex his facile intelligi, & ad salutem publicam accommodari possunt; legibus institutisque salutaribus vetando, immorigeros puniendo, ignaros docendo & convincendo de suis vitæ conservandæ præstandis officiis. Vnde non opus erit, ut his ulterius deducendis immoremur.

§. 267.

Impediendus legitime civium discessus nociturus.

Ad conservandum justum civium numerum facit quoque impediendus legitime noxius ipsorum discessus. Tantus enim debet esse civium numerus, ut bono communi promovendo, & defensioni adversus insultus hostiles sufficiat (§. 398. P. VIII. *Jur. nat.*), ideoque cavendum ne minor sit, quam huic fini consequendo suffecturus, & ne desint tales, quales ad hanc vel illam partem communis boni & securitatis requiruntur (§. 399 *ibid.*). Quamobrem si civium numerus non sit nisi justus, aut si ne quidem justus sed justo minor sit, discessu civium non potest non minor evadere, quam esse deberet, cum a civitate discedens desinat esse civis fiatque peregrinus (§. 416. *ibid.*). Relinquitur ergo conservandi justi civium numeri causa legitime impediendum esse ipsorum discessum civitati nociturum.

§. 268.

Modi eum legitime impediendi.

Impediri legitime potest & debet noxius civium discessus cum ipso pacto, quo civitatis jus adquiritur, tum manantibus inde sanctionibus pœnalibus, ne quis civium sine superiorum consensu discedere audeat, sancte observandis. Civitates enim cunctæ pacto constitu-

 untur

untur (§. 4. *P. VIII. Jur. nat.*) quo plurimi homines non alio fine consociantur, quam ut conjunctis viribus sibi parent, quæcunque ad vitæ necessitatem, commoditatem, jucunditatem & felicitatem requiruntur, curentque ut unusquisque jure suo quiete fruatur, quod ipsi debetur ab alio quopiam tuto consequatur, denique se suaque, adversus vim quamlibet externam defendant (§. 1. 2. *ibid.*). Cum quilibet civium pacto, quo civitatem adquirit, se obliget ad hoc commune bonum pro sua virili promovendum (§. 18. *ibid.*) & ad conferendum ad illud, quantum potest (§. 19. *ibid.*): manifestum est, ipso jam pacto civem quemque obligari ad manendum in civitate pactum suum servante, & ad cavendum, ne communis boni fruitio & defensio vel a se, vel ab aliis ullo modo impediatur (§. 20. *ibid.*). Quod pactum cum discessu suo violaret, quilibet civis ipso jam pacto, quo civitatem iniit, obligatur legitime, ne ex eadem sine civitatis consensu discedat.

Ex eodem pacto nascitur jus civitatis prohibendi, ne quis sine consensu ejusdem discedere audeat, pœnasque vetito addendi & irrogandi illis, qui contra pactum venire audeant, & vi conjuncta impediendi, ne id fiat. Quare si leges illas discessum prohibentes, sanctionesque pœnales civibus promulget, si vigilet, ne quis impune eas violare audeat, atque vi sua noxio obstet discessui civium, legitime impedit, ac impedire vi pacti obligatur, ne quis sine superiorum consensu abire e civitate justamque civium copiam diminuere possit (§. 258.).

§. 269.

Casus speciales prohibendi discessum. Quoniam iis discedere non licet a civitate, quorum opera & studio maxime indiget ad bonum publicum promovendum, etiam si civium numerus justus suppetat (§. 403. *P. VIII. Jur. nat.*): civitas recte prohibet, *ne quis discedat, qui in suo vitæ genere præclaram Reip. operam præstare potest* (§. 405. *ibid.*), item cujus

cujus opera carere nequit, ad defendendam Remp. adversus vim hostium, nisi æque idoneum in locum sui substituere possit, consentiente in substitutionem civitate (§. 406. *ibid.*). Talis est prohibitio *discessus belli vel obsidionis tempore*, vel *discessus ad hostem*; aut non quidem ad hostem, sed *gregatim præter necessitatem faciendus* (§. 408. *ibid.*); item *discessus locupletum*, nisi relicta parte bonorum, civitatem præstent indemnem (§. 404. *ibid.*).

§. 270.

Naturalis modus defunctorum aut deficientium civium locum supplendi habetur in promota sobolis procreatione & educatione. Hac enim ratione divinitus conservatur augeturque genus humanum, & animale per totum, qua patet, terrarum orbem, ut ope generationis & propagationis soboles nascatur educetur & succrescat adultior, parentum defunctorum loco futura, atque itidem suam prolem procreatura. Sed cives ubique sunt homines, indigentes animalibus aliis, gaudentesque facultate prolem suscipiendi & educandi (§. 6. *P. VIII. Jur. nat.*). Quare naturalis iste modus in civitate qualibet vigere & promoveri debet, ut pro conditione civitatis, illius ope naturaliter justus civium numerus per successores redintegrari (§. 248.), conservari & augeri possit (§. 260.). Negari ergo nequit, naturalem modum defunctorum subinde civium locum supplendi haberi in promota sobolis & procreatione & educatione. *Conservantur cives sobolis propagatione & educatione.*

Cum Deus semper optimum eligat (§. 383. *seqq. P. I. Theol. nat.*), modus naturalis conservandi & propagandi viventia, quia a Deo est electus, non potest non esse omnium optimus. Quamobrem in qualibet civitate melior, & in ipsius potestate posita ratio perpetuandi per successores justum civium numerum dari nequit ipsa civium sobolis propagatione atque educatione. Hæc ergo in qualibet civitate non tantum non negligenda, sed & ita promovenda est, ut scopo civitatis, quantum fieri potest, respondeat.

§. 271.

Rationes eam promovendi extraordinariæ.

Eo vero magis promovenda est sobolis procreatio & educatio salutaris, quo inopinatius partim ex bello, partim ex peste & contagiis, partim ex aliis plagis publicis ingens oriri consuevit civium absumtio & strages. Docet enim omnium sæculorum memoria, in plerisque & tantum non omnibus civitatibus ejusmodi incidere tempora, nequaquam certo prævidenda, quibus modo bellicæ clades in præliis, & abductiones in captivitatem, modo morbi contagiosi & pestes, modo terræ motus, fames & inundationes permagnam prædiorum, agrorum, urbium & provinciarum inducunt depopulationem vastationemque. Tantæ civium jacturæ reparandæ impar foret civitas, nisi ultra ordinariam mortalitatis legem nascentium sors valere & augeri posset (§. 270.). Quod uti in animali regno naturaliter fieri videmus; ita in civitatibus cavendum, ne civili quodam vitio aut errore impediatur, sed potius idoneis institutis promoveatur perficiaturque. Liquet inde, eo magis procurandam esse in civitate sobolis propagationem educationemque salutarem, quo citius præter opinionem partim ex bello, partim ex peste & contagiis, aliisque plagis publicis ingens exsurgere potest soletque civium jactura.

Propagatio proprie fit in regno vegetabili, ubi propagines v. c. vitis, si *Festo* credendum, a porro pangendo nomen traxere, ut ex una plures fiant. Notat ergo plurium ex uno productionem, ope traducis, viviradicis, surculi, gemmæ, seminisque. Transfertur deinde ad regnum animale, in quo etiam dantur quæ propagatione ex unico multiplicantur; neque tamen hæc tantum, sed & procreationem prolis ab utroque sexu ibi una notat, quam progeniem salutamus. Neque is significatus omnino a plantis abhorret, quum & in illis sexus diversitas Theophrasto atque Alexandro M. jam innotuerit.

§. 272.

§. 272.

Adjuvanda inprimis est legitimæ progeniei copia, matrimonia præter rem non restringendo, nec onerando; sed potius ea injungendo his, qui hujusmodi fruuntur emolumentis, unde alere se & liberos possint pro sortis suæ conditione. Etenim si leges præter rem restringunt matrimonia vel plane interdicendo ea, vel non concedendo illa, nisi concessio pretio, de quo conveniri potuit, redimatur, nil aliud his agitur, nisi ut multa conjugia impediantur ejusmodi pretii causa, quod tanti non est, etsi in ærarium publicum inferatur. Multo minus vero id admittendum est, quando exterorum ærario vindicatur dispensationis lytrum: cum potestas leges ferendi & dispensandi non sit nisi illius, cujus in civitate est majestas (§. 824. *P. VIII. Jur. nat.*). Liberandi ergo vel non adstringendi sunt cives oneribus conjugii supervacuis. *Legitima progenies uti augeatur.*

Non desunt legitimis matrimoniis sua onera & impedimenta in plerisque omnibus civitatum generibus, quæ partim ex civitatis institutis nascuntur, dum multi parentes suæ sortis pertæsi abhorrent a conjugio intra eandem sortem perstituto, & altiorem sortem frustra ac temere affectant, luxui simul indulgendo, ut ei pares esse videantur. Multi præterea sumtus in nuptias effunduntur, ultra sortis conditionem, ut inopes sæpe fiant novi conjuges, & nec sibi nec liberorum educationi consulere possint. Hæc ergo & similia incommoda & instituta vitiosa aut abroganda, ubi invaluere aut non intermittenda sunt in civitatem, & injungenda his sunt matrimonia contrahenda, qui ea perperam impediunt, cum admissi sint ad ejusmodi statum & emolumenta, unde pro sortis suæ conditione honeste conjugem & liberos alere possunt. Quod in infimo vitæ genere, quod labore manuum vulgari victitat, eo minus difficultatis habet, quo minus illud ad luxum sequendum sufficere solet.

Ita legibus Moſaicis in Judæorum civitate perpauca tantum conjugia interdicuntur & mature ineuntur, quæ propterea quoque in tam ſtupendum hominum numerum excrevit, in quantum vix alia ulla. Non ignotæ ſunt rationes, ob quas veluti circumſeptæ ſunt illæ divinæ leges aliis humanis, privati potius exterorum commodi, quam ipſius civitatis aut virtutis cauſa. Inter agricolas, opifices ſimilesque inferioris ordinis cives partim ipſum vitæ genus conjugium requirit, partim & leges paſſim proſtant, id injungentes, ut vel eo tutior ſit civitas, vel liberi hujus ſortis eo citius conjugii participes fiant. Antiquiſſimæ leges ad conjugia cives tanquam ad ſeminarium civitatis compellant, & apud Romanos cenſoria nota iis inurebatur, qui matrimonium inire recuſabant. Opificum leges paſſim jubent novos magiſtros primo anno matrimonium contrahere ſub mulcta ſolvenda. Si anno ſecundo cœlibes manent, gravior ipſis dictatur mulcta. Quodſi ne anno tertio quidem conjugium inierint, ejiciuntur e tribu ſua. Cæterum num opus ſit pœnalibus ſanctionibus, prudentiæ magiſtratuum & civitatum relinquendum eſt.

§. 273.

Quando præmiis pœnisque promovenda ſobolis procreatio.

Ob magnam civium penuriam & præmiis & pœnis cives ad copioſam prolem procreandam educandamque invitari juſtum eſt, inprimis ſi aliunde cives haberi nequeant, aut admitti inconſultum videatur. Opus enim eſt in civitate juſto civium numero (§. 230. ſeqq.). Quando alicubi civitati deeſt juſtus civium numerus, is ſapienter eſt obtinendus (§. 247.). Modus autem naturalis ſupplendi civium defectum habetur in ſobolis procreatione & educatione promota (§. 270.) Quæ eo magis eſt neceſſaria, quo plures illi deſunt cives (§. 271.) Sed ubi magnus datur civium defectus, ibi perplures deſunt civitati cives ad juſtum eorum numerum neceſſarii Inde ad copioſam ſobolis procreationem cives eo magis ſunt invitandi, quo minus aliunde haberi poſſunt, aut ut admittantur, conſultum videtur. Quare cum

cum ad actiones necessarias in civitate obligandi sint cives legibus, item præmiis pœnisque idoneis (§. 582. & 585. *P. VIII. Jur. nat.*): patet quoque, ob magnam civium penuriam indictis conditionibus cives præmiis & pœnis invitandos esse ad copiosam prolem procreandam educandamque.

Ex hujusmodi civium penuria natæ videntur quædam antiquorum leges pœnales contra misogamos sive matrimonii contemtores, qui Germanis Hagestolze dicti fuere, cum 25 annos nati matrimonium inire ob vanas rationes detrectabant. Civis enim utriusque sexus habilis matrimonio ejusque oneribus sustinendis, temere tamen illud repudians post annum 50 ætatis moriens hæredes bonorum a se partorum habere non poterat per pœnam, nec testamentum facere, sed ejus bona fisco addicebantur. Romani privilegium dabant his, qui tres genuerant educarantque liberos, ut nempe in dignitatibus & muneribus anteferrentur carentibus liberis. Vnde qui sterili matrimonio utebantur, merebanturque honores, precibus amicorum impetrabant ab imperatoribus, ne sterilitas ipsis fraudi esset. Sic *Plinius* Voconio *Ep. 13. L. 2.* & Suetonio Tranquillo jus trium liberorum expetiit a Trajano obtinuitque *L. X. Ep. 95.* qua Epistola has affert rationes. Suetonium tanto magis diligere cœpi, quanto propius perspexi. Huic jus trium liberorum necessarium faciunt duæ causæ. Nam judicia amicorum promeretur, & parum felix matrimonium expertus est, impetrandumque a Tua bonitate per nos habet, quod illi fortunæ malignitas denegavit. Ita & *Martialis Epigramm. L. 2. 91.* petit a Domitiano: *quod fortuna vetat fieri, permitte videri, natorum genitor credar ut esse trium. Juvenalis Sat. IX. 87.* hæc jura sic expressit: Propter me scriberis hæres, legatum omne capis, nec non & dulce caducum, si numerum, si tres implevero. Forte id Romani accepere a Spartanis, de quibus *Aelianus Hist. L. VI. c. 6.* Lex est Spartanis, ut qui tres liberos suppeditavit reip. is ab excubiis liber esset. Neque alia ignorantur præmia, fœcundis & multitudine liberorum claris civibus tributa, quæ nunc persequi nihil attinet.

Et in quo potissimum genere civium hominumque.

§. 274.

Etiamsi tanta non sit civium penuria, ob rationes tamen supra memoratas (§ 271.) *hujusmodi argumentis augendus est civium infimi ordinis & servientium numerus.* Etenim rusticorum, opificum, mercenariorum, servorum & ancillarum magnus requiritur numerus, unde milites obdurati in laboribus petantur, hostiles copias abacturi. Quæ cum per se plana sint, operam dandam esse patet, ut legitima procreatio & educatio opificum, & artificum, agricolarum, hortulanorum, mercenariorum, & servientium privatim ac publice, ac in defensionem civitatis armis exercitatorum & militiæ peritorum promoveatur (§. 270-273.).

Antiquitus in laude ponebatur, si Reges principesque viri numerosa gauderent prole, forte quia hi alendæ illi & perficiendæ ac fortunandæ præ cæteris pares erant. Gideoni fuere filii 70. *Judic.* IIX, 30. Jairo 30 & totidem urbes, *Jud.* X, 4. Abdoni 40 & nepotes 30, *ibid.* XII, 14. Davidi novemdecim præter illos, quos ex concubinis habuit. 1 Paralip. III, 1-9. Roboamo 28 filii & 60 filiæ. 2 Paralip. XI, 21. Achabo 70 filii, 2 *Reg.* X, 6. Artaxerxi, Xerxis filio 221 liberi, Arabum Regi Erotimo 700 filii, secundum *Justini Hist. L. 39. c. 5.* Quam raro autem felicia fata illi experti sint, notum est cunctis. Vnde potius his pauciores sufficiunt liberi, tuendæ dignitati apti. Inferioris autem ordinis hominibus quo pluribus eget civitas, eo magis quoque curandum est, ut eorum propagatio numerosior habeatur. Docet enim experientia, quam male civitati consultum sit, si ad infimi generis ministeria subeunda desit tanta hominum copia, quanta ad hæc requiritur, ut æqua mercede operæ mercenariæ & serviles prostent. Vsitatum passim est, ut boëthi opificum uxores ducant, suo se labore itidem alentes, & liberos aliorum educationi locantes, quando ipsismet est serviendum. Cujusmodi connubia etiam militibus quibusdam conceduntur. Quod & servis mancipiisque in eundem finem apud omnes fere gentes ejusmodi procreatio prolis indulgeatur.

geatur, iisdem nititur rationibus, quas hic urgemus. Neque negandum est, passim usitatis meliora substitui posse.

§. 275.

De educandis pauperum liberis.

Quoniam in civitate multi quoque pauperes dantur, inter quos non desunt, qui liberis suis alendis educandisque impares sunt, aut & moriuntur orphanosque relinquunt summæ inopiæ ergo morituros, nisi aliorum beneficiis alerentur: illa cura, quæ civium propagationem per liberos eorumque educationem requirit (§. 271.) præsertim in ordine inferiori infimoque (§. 274.), postulat quoque, *ut pupilli egeni educentur* (§. 741. P. *VIII. Jur. nat.*) *publico ære in brephotrophiis & orphanotrophiis* (§. 742. *ibid.*), & ut in scholis pauperum gratis instituantur (§. 744. *ibid.*).

Patet inde peculiaris pauperum usus in civitate, ratione numeri civium conservandi & augendi. Si enim vel id tantum possent, ut civitati liberos procrearent, non tamen inutiles, vel ob solum hunc usum censendi essent. Sic fuci in alveari non alterius usus gratia dari solent, quam ut soboles obtineatur apium, fœcundata matre, regina apium; & tamen propter eundem admodum sunt necessarii, non minus ac ipsa regina. Est quidem pauperum liberorum educatio onus civitatis, sed salutis ipsius causa necessarium, nec ideo defugiendum. Quatenus inopes parentes honeste liberos in matrimonio procrearunt, honesteque publico sumtu educantur, merentur utique, ut ad discendas honestas artes adhibeantur, ad quas apti sunt, & impulsu naturæ feruntur.

§. 276.

De prolis illegitimæ educatione &c.

Neque illegitimæ prolis educatio in civitatibus negligenda est, sed certis legibus legitimæ æquiparanda, quatenus illud civitati est expediturum. Dicuntur enim liberi illegitimi quicunque non sunt nati secundum legem naturæ in matrimonio, sed extra matrimonium, uti spurii ex stupro, adulteri-

 ni ex

ni ex adulterio & vulgo quæſiti ex promiſcuo concubitu nati (§. 537. *P. VII. Jur. nat.*). Jam ſi horum mater certa eſt, & prolem alere utrumque poſſit, utique naturaliter ad id obligatur, & obliganda eſt in civitate ad ejus educationem, æque ac pater ſi is detegi poſſit (§. 546. *ibid.*) & (§. 270. & 273.). Quia tamen liberis imputari nequit quod non fuerint in matrimonio nati (§. 545. *P. VII. Jur. nat.*) nec liberi propter parentes puniri poſſunt (§. 665. *P. VIII. Jur. nat.*): quatenus parentes in liberis ſunt puniendi (§. 668. *ibid.*) ſcopo civitatis convenit, ne ſint ejusdem conditionis ac liberi legitime procreati; quatenus vero infimus aut inferior civium numerus per eos eſt augendus, idque intelligitur e re civitatis futurum eſſe, eatenus certis legibus ad inſtar legitimorum ad honeſta vitæ genera ſunt admittendi. Sive ergo parentes emendati id petant, ſive inſtituto reip. melius educatis hoc indulgendum cenſeatur, ut procuranda illegitimæ prolis educatio ita comparari poteſt, ut legitimæ proli æquiparetur, quatenus id augendo civium numero profuturum eſſe conſtat.

Moris antiqui eſt, ut tanquam legitime nati tractentur in civitate ſpurii propter ſubſequens matrimonium, propter reſcriptum principis, propter privilegium brepho & orphanotrophii, in quod recepti, eodemque educati fuere, quod privilegium jubet liberos in eo educatos pro legitimis haberi & ingenuis, ſive de eorum legitimis natalibus conſtet, ſive minus. Cujusmodi privilegia paſſim in civitatibus proſtant, uſumque habent indubitatum. Spuriorum celebrium in civitate & imperio exempla non ignorantur.

§. 277.

Occurrendum noxis liberorum

Negari tamen nequit, naturalem cives propagandi augendique modum multo plus valiturum eſſe, ſi negligentior cura partus, variolarum aliorumque morborum noxa, quantum fieri poteſt, e civitate proſcri-

scriberetur. Docent indices morientium in civitatibus accuratiores, maximam hominum partem mori intra annos infantiæ, pueritiæ, adolescentiæque, & quidem in partu & variolis potissimum. Docuit vero quoque jam obstetriciæ promotæ & insitionis variolarum artificium effecisse, ut perpauci in difficili partu & variolis bene applicatis curatisque mortem oppeterent, itaque multum diminui possit, hæc liberorum jactura. Qua propter cum nascendis & natis in civitate hominibus conservandis magna impendenda sit cura (§. 261. *seqq.*), & qui e mortis faucibus quasi eripiuntur ac a contagiis immunes præstantur (§. 264.), insigniter faciant ad perpetuandum augendumque civium numerum; patescit, naturalem homines in civitate propagandi augendique modum insigniter adjuvari & perfici posse, si ars medica, chirurgica & obstetricia subinde melius perficiatur in tollendis impedimentis partus difficilioris difficillimique, quibus puerperæ cum prole multæ extinguuntur, item in variolis similibusque morbis minoris ætatis, quantum fieri ope humana potest domandis & solito adhuc discrimine vitæ, & solita voracitate liberandis (§. 264). *in partu, variolis &c.*

Incumbere in hujusmodi cimelium generis humani deberent & academiæ scientiarum, & rei medicæ chirurgicæque periti, & præmiis provocandi ad inventionem salutarium remediorum ministeriorumque in omni genere morborum præsertim frequentiori, eorumque causis tollendis ac prævertendis. Si solis variolis $\frac{1}{7}$ hominum perit, & ope insitionis vix $\frac{1}{100}$, planum est, quanti sit hoc remedium & quod omnino optandum esset, ut pars medicorum potissimum in liberorum salutem incumberet, publicisque sumtibusque alerentur qui ea in arte excellunt, ut pauperum liberis gratis mederentur.

§. 278.

Lente quidem procedit naturalis civitatum propagatio, eo tamen est præstantior, quod ordinario modo ubivis terrarum cuilibet sufficit civita- *Propagatione sobolis quælibet ci-*

vitas sibi sufficit.

vitati, omnibus, uti par est, in officio manentibus. Nil melius in civitate excogitari potest eo, quo ipsarum quælibet sibi sufficit (§. 31. *seq. P. I. Polit.*), neque quidquam est certius, quam unamquamque civitatem in officio suo debere manere ne ullam aliam lædat (§. 476. *seqq. P. I. Polit.*). Nam unaquæque id aliis debet quod sibimet ipsi (§ 156. *Jur. Gent.*), hinc & aliam quamque diligere debet ut se ipsam (§. 161. *ibid.*) ejusque felicitatem omni studio adjuvare, infelicitatem autem pro viribus avertere (§. 162. *ibid.*). In quo officio si maneat quælibet civitas ut par est & fieri propter immutabilem Juris naturæ obligationem debet (§. 130. *P. I. Phil. pract. univ.*), manifestum est, quod generi humano per omnem terrarum orbem ex uno hominum pari procreando diffundendoque suffecit huc usque per tot millennia, idem illud, nempe propagationem naturalem debitamque educationem, quoque in posterum educatione maturata præsertim cuilibet civitati ad numerum civium ordinaria conditione suorum conservandum augendumque, quantum opus est, suffecturam, non obstante lento progressu esse.

Duæ sunt conditiones, a quibus suspenditur hoc dogma: ordinarius & plerumque obtinens rerum humanarum status, & si homines eorumque rectores in civitatibus non recedant ab officio suo. His enim positis nihil sapientius ad justam civium copiam, & profuturam ipsius amplificationem multiplicationemque dari excogitarique posse, quilibet sentiet, qui meditatam eam rem penitius studebit. De eo igitur, quod mutato statu rerum naturalium ordinario in extraordinarium, aut quando una vel altera civitas erga se aliasve contra officium suum agit, constituendum salutis publicæ causa sit, nunc nondum disputatur. Cæterum non sine gravi ratione multum temporis requiri ad generis humani propagationem, educationem & mediocrem multiplicationem, profundior meditatio dignitatis ejusdem, & scopi nobilissimi ad gloriam majestatis divinæ amplificandam meli-

meliusque, quam aliter fieri posset, illustrandam, sapientiores haud difficulter docebit. Minoris enim dignitatis res viventes, quas plantas vocamus, maxima ex parte intra annum & brevius suam absolvunt propagationem stupendamque multiplicationem. Quæ majores fieri & durare diutius, pluribus usibus adhiberi debent, ad id ipsum quoque longiori indigent ætate & majori ad incrementa quælibet obtinenda annorum numero. Sic & bestiæ omnis generis citius & copiosius nascuntur pleræque & adolescunt, & emoriuntur rursus quam homines, tanquam ignobilioribus finibus destinatæ. Perfectioresque majores & longiori ævo destinatæ pariter nonnisi majori annorum numero id perfectionis assequuntur, quod capere valent. Mirum igitur non est, nobilitatem humanæ naturæ itidem optime per gradus & lente ad illam adspirare præstantiam, qua omnes bestias antecellit & antecellere debet.

§. 279.

Vnde repentina civium instauratio petenda?

Si qua necessitas urgeat citiorem numeri civium adquisitionem vel redintegrationem, aut in ipsa civitate, aut extra ipsam in aliis civitatibus ea erit quærenda, pactoque peragenda. Etenim si quis civitati obortus sit defectus hominum, ad obtinendam salutem ipsius necessariorum, is erit sapienter tollendus (§. 247.). Quare si id modo naturali, lentius procedente (§. 278.), fieri nequit, propter necessitatem citius supplementum urgentem: opera danda erit, ut illud supplementum alio quodam modo obtineatur. Cum per se pateat, illud in hoc casu ex adultis hominibus petendum esse: illi quæri non poterunt, nisi vel intra vel extra illam civitatem; ideoque in alia quadam civitate utrumque autem non nisi pacto fieri poterit (§. 701.). Ea propter si qua necessitas urget repentinam numeri civium instaurationem, ea aut in ipsa civitate aut extra eandem in aliis civitatibus erit quærenda, pactoque consequenda.

Si opus esset illustratione hujus disjunctionis, ponamus hortum esse rigida hieme majori parte arborum frugiferarum orbatum.

tum. Quoniam tamen aliqua pars arborum reſtat, atque intereſt domini, ut repente reparetur damnum arborum fœcundarum, nemo aliter ſtatuere poterit, quam reparationem peti non poſſe, niſi vel ipſomet, vel ex alieno horto locove, aptas arbores ſuppeditaturo. De poſteriori caſu quis eſt, qui dubitaret? Priori ratione id fieri poſſe patebit, ſi cogitemus ſupereſſe arbores aut ſeminarium, quibus ſurculi feliciter inſeri poſſint, aut unde ablaqueando haberi poſſint novæ arbores fructus ſuos propediem daturæ. An in civitate aliqua ratio ſuperſit, ſine auxilio alieno, urgente neceſſitate, jacturam civium aliquatenus reparandi, jam erit inquirendum.

§. 280.

Venia ætatis merentibus conceſſa.

Ex ipſa civitate reparari jactura civium actutum poterit, ſi venia ætatis detur his, qui non multum abſunt ab ea ætate, quam lex in civibus admittendis requirere ſolet; eamque merentur. Etenim non ſolent ad civitatem admitti, niſi qui eam adepti ſunt ætatem, in qua tantum non omnes maturo gaudere ſolent judicio (§. 219. *not.*). Non ſolent tamen deeſſe, qui merentur citius admitti, quia viribus mentis & corporis vulgarem hominum indolem ſupergrediuntur. Licet ergo horum cauſa exceptione non ſit opus, dum nulla id urget neceſſitas; aliter tamen ſtatuendum erit urgente hanc exceptionem neceſſitate (§. 279.). Quamobrem, urgente neceſſitate repentinam jacturæ civium reparationem, fieri illa actutum ex parte poterit venia ætatis his conceſſa, qui eam merentur etiam propterea, quod non multum abſunt ab ea, quam lex requirit, ætate uſitata.

Solet quoque ob privatas rationes venia ætatis iis indulgeri, qui illam merentur & expetunt. Majori igitur jure ob rationes publicæ ſaluti innexas venia ætatis concedenda erit illis, quibus civitas & indiget, & recte uti ut civibus poteſt. Nec opus eſt ut expectentur ipſorum preces, ſed ſponte oblato hoc beneficio invitari vel adigi poterunt, ad jus civitatis adquirendum.

§. 281.

§. 281.

Cum incolæ non ſint cives, nec horum liberi, quos inquilinos dicamus, ut liberti & libertini diſcernantur (§. 202.), neque civium boëthi aut tirones, neque mercenarii & ſervi (*not. ibid.*): illi quoque citra neceſſitatem civium numero non ſunt adſcribendi. Vrgente tamen duro neceſſitatis telo, merentibus id præ cæteris idoneis viris ex horum numero civitatem recte donari, variis comprobatum eſt exemplis. *In caſu ergo neceſſitatis idoneos quoque incolas & inquilinos, civium boëthos, mercenarios libertos, milites & ſervos in civium numerum copioſius recipiendos eſſe largimur.* *Cooptatis incolis, boëthis mercenariis ſervis.*

Non abhorret ab uſitato cives augendi modo praxis, adjutores ſeu ſocios opificum, artificum, mercatorumque inter candidatos civitatis referri, eademque potiri, quando civitas eorum deſideriis gratificandum ducit. Nil novi ergo tunc contingit, quando eorum ſolito major copia in numerum civium recipitur. Quod cum pariter incolis inquilinisque, item mercenariis, militibus & ſervis, a mancipiorum ſorte diverſis denegari non ſoleat: & ex his majorem ſolito multitudinem in civium ſortem evehi urgente neceſſitate excuſatur facile, ſi qua opus ſit excuſatione. Non ignorantur caſus & tempora, ubi vel mancipia manumiſſa & civitate donata ſunt exigente id civium penuria. Manſere tales, ut par fuit, in infimo civium ordine, ſaltem in inferiore aliis, prout res & ratio ſuaſit. Ex medio ordine ob eandem quoque rationem in ſuperiorem ſeu nobilium & patriciorum ordinem allegi & transferri conſueverunt, qui pro legibus civitatis tanti ſunt, ut eo adſpirare poſſint. Quod exemplo reip. Venetæ & aliarum planum eſt, quæ antea recenſuimus, & præterea paſſim occurrunt.

§. 282.

Vti inter viros dantur animi effeminati, ita inter feminas viriles occurrunt virtutes viresque & habitus corporis. (*Wolfii Politicæ P. II. C. II.*) *Virorum loco an & fe-*

minæ adhibendæ? Neque civium viduæ desinunt esse cives, quanquam publice non possunt quidquam agere sine autore, sed propter sexus infirmitatem & rerum forensium ignorantiam in perpetua veluti tutela habentur. Quia tamen prostant imperia & regna, quibus feminæ præfuere & præsunt etiam nunc; quia feminæ quondam fortiter contra hostes pugnarunt, & quædam virili vestitu animoque insciis commilitonibus & præfectis milites egere: *non omnino absonum esset, si casu necessitatis virorum loco legeretur ex mulieribus fortioribus exercitatus in armis Amazonum more sagatus exercitus, cui & feminæ esse duces atque præfectæ artis militaris satis peritæ.* Quæ si fortitudinis merito civibus intersererentur, foretne idem ac si milites donarentur civitate? Si miscerentur in prælio viris virili sago indutæ, quando pauciores essent, nescio an id longe deteriori loco esset habendum, quam dum feminæ literatæ disputant aut docent inter viros eruditos eorundemque more, præscriptis tantum libidinis & lasciviæ vitiis.

Multa habentur in historiis antiquis de Amazonum exercitibus, rebusque fortiter gestis, quæ in medio relinquo, & propter argumenta, quæ non sunt hujus loci, fere fabulis accensendis puto, natis fortassis ex quibusdam feminarum virilium factis, quibus cætera attexere in promtu fuit. Docere simul voluisse videntur autores illi, ad quos usus sexus sequior saltem in necessitatis casu adhiberi posset. Reprehendi præter alios & monachos a quibusdam constat vel propterea, quod milliones virorum, procreanda sobole non ob rationes physicas, sed ordinis leges avocantur, quibus quidem religiosarum in cœnobiis numerus non æquatur, nec optandum est, ut æquaretur, etiamsi earum numerus non sit exiguus. Sed disceptandum aliis relinquo, un militum numerus multo sit minor futurus, qui pariter in cœlibatu vivere coguntur. Equidem alii respondent, non esse hos cœlibes adeo steriles, ut non multa fœcunditatis suæ specimina ubivis terrarum relinquant. Non contradixerim rerum restimo-

moniis, longe tamen infra matrimoniorum prolem positis; sed illud interrogarem, possentne milites pacis tempore præsertim tam frequentibus gaudere matrimoniis, ut furtiva illicitaque venus, numen exercitui iratum & adversum pariens severe proscriberetur, & exercitus ab ipsis militibus propagaretur augereturque, ne aliunde legendis ære haud exiguo militibus opus esset? Sed unde inquis tot uxores alerentur? aliæ domi laboribus femininis, ut vulgo fit; aliæ in exercitu lotrices & coquæ essent; aliæ stipendia sagatæ mererent, quarum animus virilis; sive ut cohortes separatæ, sive potius ad latera maritorum suorum se mutuo defendendo, & ad præclara incitando. Facile experientia ostenderet, utrum virtuti augendæ & vitiis cavendis satius esset.

§. 283.

Aliunde emigrantes recipiendi.

Deinde ad repentinam civium adquisitionem faciunt præter privilegiorum illecebras ipsæ emigrationes civium ex aliis civitatibus. De invitamentis per privilegia in hoc casu eadem valent, quæ supra exposita sunt (§. 250. *seqq.*). Quæ privilegia eo seu majora esse debent, seu plura, quo major advenarum convenarumque frequentia desideratur, & ut longe lateque innotescant, promulgatio eorum procuranda (§. 466. *P. I. Polit.*). Enimvero non facile sic tanta obtinebitur copia civium, quam si ut olim integrarum gentium migrationes dabantur, ita jam emigratio numerosior quacunque de causa contingat, & emigrantes pro civibus recipiantur. Quare cum erga exules & emigrantes misericordia sit exercenda (§. 150. *seqq. Jur. Gent.*) si repentina civium copia opus sit, emigrantes atque exules ex aliis civitatibus eo lubentius erunt recipiendi, quo minus delictorum & criminum rei deprehenduntur (§. 465. *P. I. Polit.*).

Est quidem & illis exulibus, qui criminis aut delicti causa seu aufugerunt, seu proscripti sunt, jus alicubi habitandi (§. 14. *Jur. Gent.*) ob quod & recipi possunt, nec ibi puniendi sunt (§. 151. *ibid.*), modo spes emendationis non decollet (§. 148. *seqq. ibid.*).

ibid.). Inprimis tamen vel inſontes, vel ob culpam & errorem ejecti e civitate, aut ſponte emigrantes recipi merentur. Cujusmodi caſus haberi ſolent, quando milites copioſe finito bello dimittuntur, nec in ea civitate habeant, unde ſubſiſtant; ſi ob calamitatem publicam, v. c. ſummam annonæ penuriam, inundationem regionis, peſtem &c. abeundum ipſis ſit; ſi religionis cauſa ab adverſariis non videntur eſſe tolerandi. Cujusmodi emigrationes Salisburgenſium in recenti memoria verſantur. Priſtinæ vero migrationes gentium plurimæ non ad ſupplendum civium cujusdam regionis numerum inſtituebantur, ſed potius ad expellendos cives antiquos aut trucidandos eorumque ſedes & fortunas occupandas comparatæ erant, nec reducendæ ſunt in cultiorem terrarum orbem.

§. 284.

Aut abundantes contractu aliunde quærendi.

Nonnunquam contractu intervemente alia civitas alii abundantes ſibi cives tradere poteſt, ſi is ſapienter ineatur. Quando enim civitas abundat civibus, numerus civium illius eſt minuendus, quia juſto major ipſi non eſt profuturus (§. 239 & 241.). Quocirca ſi abundantes cives alii civitati permittere velit, id ipſi liberum erit & conſultum. Fieri id poterit contractu donationis, aut permutationis, verbi cauſa ea lege initæ, ut ſi quo caſu in poſterum illam abundare, & alteram laborare penuria civium contingat, par pari ſit referendum; aut alio de quo conveniri poterit, contractu. Sapienter igitur, ut e re eſſe videtur, ineundus foret contractus, ad abundantem alterius civitatis aut plurium copiam nanciſcendum.

Donatio civium civitati deficienti optatior cæteris adquirendi modis continget, ſi illa adquiri poſſit. Commodatio ad tempus conceſſa etiam benefica erit cenſenda, neque indicata permutatio, aut ſimilis alia, multum a donatione recedet. Oneroſior foret emtio, ſi a barbaris nationibus captivi, aut mancipia venalitiario more aliis vendantur; ubi tamen aliter conſuli civitati non poterit, ſuo uſu non caritura.

§. 285.

Quando perſuadenda ſedium derelictio?

Si qua terra aut inſula habitata periculum ab inundatione aut terræ motibus vulcanisque vomentibus extremum paſſa habeatve metuendum, ejus cives commode invitari & perſuaderi ad eam derelinquendam poterunt a civitate, cui cives deſunt. Rarior quanquam hic caſus, & per ſe perſpicuus non plane ſilentio prætereundus fuit. Neque enim omnes modi, civium defectum tollendi, poſſunt eſſe ejusdem cenſus, copiæ & frequentiæ, neque ubivis locorum obvii; ſufficit ſuis locis temporibusque illos eſſe reip. ſalutares. Id quod de hoc noſtro nemo infitias ibit.

§. 286.

De ſupplendo defectu particulari.

Quod generatim de civium penuria tollenda dictum eſt, idem quoque de defectu in quolibet vitæ genere ſupplendo tenendum. Indiget enim civitas omnis varii generis civibus, ordinariis & extraordinariis (§. 216. & 222.), imperantibus & ſubditis, nobilibus & ignobilibus, ſacri ſæpiſſime, oppidani & ruſtici ordinis (§. 225.), nec non militaris (§. 236). Si ergo contingat, ut vulgarium quidem civium copia ipſi ſuppetat, quanta indiget ſalutis ſuæ cauſa; ſed in hoc vel illo peculiari vitæ genere v. c. in metallis & mineralibus e terræ gremio indagandis, eruendisque, in re nautica & ſtruendis navibus, in alia denique ſcientia & arte ipſi vel deſunt prorſus, vel excellentes magiſtri, alios erudituri: nemo dubitat, quin & hujusmodi civium defectus ſive aliunde accerſitis ſupplendus ſit ſecundum §. 283. *ſeqq.*, ſive indigenæ præmiis excitandi ſint & peregre mittendi, ad diſcenda ea, quibus opus eſt ad ſalutem publicam, & ad æmulandos ea in re exteros (§. 367. & 422. *ſeqq.* *P. I. Polit.*).

Quis neſcit, hoc pacto Petrum I. Ruſſorum imperatorem feliciter multa inſtituiſſe utilia in amplo Moſcoviæ imperio, quibus olim deſtituebatur? Quæ & poſteriori tempore ſuccedentes

ipsi in imperio non continuarunt tantum, sed & amplificarunt, & subinde amplificare pergunt. Neque aliter ad alia regna traductæ sunt artes & scientiæ exterorum, antea in ipsis ignotæ. Qua via insigni cum successu hactenus inita, eundum erit quoque in posterum civitatem suam aucturis iis civibus, unde salus publica majora capiat incrementa.

§. 287.

Defectus veræ religionis civium similiter tollendus.

Si in rebus vulgaribus quæ desunt civitati comparanda sic esse, ut diximus, nemo diffitetur, & primariæ saluti civium primaria debetur cura civitatis (§. 50. *seq. P. I. Polit.*), numquid dignius civitatibus fieri posset, *quam si præter curam salutis secundariæ quælibet & veræ religionis tum naturalis, tum revelatæ foret studiosissima*, rejectisque sectarum præjudiciis *unicæ litaret veritati, ut erroribus solide refutatis sensimque diminutis, quibus decet, modis humanissimis, concordia quanta posset obtineretur usquequaque?* Neque enim aliis opus esset subsidiis, quam ut sinceræ salutaris religionis studio illius doctores audirentur placide, legerenturque, & mitterentur indigenæ ad exteros, ubi illa floret, ut eam, velut olim scientiæ & artes philosophicæ, mathematicæque, ad quas mechanicæ referuntur, secum domum referant, suosque cives illius ardore inflamment, & cupidos illius imbuant, uti olim factum est, scientia solida & virtutibus se ipsas cæteris civibus commendaturis (§ 372. *seqq. P. I. Polit.*).

Mirumne videatur, in rebus ad salutem secundariam facientibus, civitates facile conspirare in scientiis & artibus eo facientibus discendis & in suam civitatem adsciscendis, in gravioris vero momenti rebus circa modum salutis æternæ adipiscendæ tanta regnare & tam funesta civitatibus dissidia! Quæ dissidia quum evidentissime monstrent tum contradicentes sibi invicem sententias idem illud esse, quod forent dissidia in rebus ad salutem secundariam facientibus, v. c. si qua civitas scientias & artes damnaret, ejusque professores puniret, quas plurimæ aliæ

aliæ valde salutares esse experiuntur: uti hæc dissidia merito tolluntur, sublatis ignorantiæ & errorum caliginibus offusis, ita illa quoque simili ratione essent eliminanda. Neque enim hæsitari potest, inter ea, quæ sibi contradicunt, plura quam unum verum esse non posse.

§. 288.

Unde justo minor civium numerus non liqueat?

Quia illa civium copia justo minor est, quæ non sufficit ad omnia illa consequenda, quæ major eorum numerus saluti publicæ præstare posset (§. 239): quamdiu praesens civium copia sufficit ad omnia ea præstanda, quæ major præstare posset, tamdiu illa justo minor non erit censenda. Quare si annis fertilibus tanta esset annonæ abundantia, ut multo plures cives inde ali possent, non sequitur ullam civium copiam esse justo minorem pronuntiandam: cum abundantia reservanda sit in annos steriles, & quæ reservari nequeunt vendenda sint, ut pecunia aliis usibus necessaria adquiratur, vel ut alio tempore annonæ penuria emtione aliunde sublevari possit. Ex his igitur, & generatim *ex rationibus infirmis temporariisque justo minor civium numerus æstimandus non est.*

Plures dari possunt rationes instabiles, quæ videntur justo minorem civium numerum arguere, atque fallunt. Ponamus, quenquam illum ideo talem statuere, quia alibi in æquali regione multo plures florent cives; sed ipsum non attendere ad illas rationes, cum internas tum externas, quæ illuc ibi faciunt, alibi vero desunt. Nonne neglecta dissimilitudo rationum falsum pariet judicium? Neque enim idem civium numerus cuicunque civitati justus est (§. 237.) etsi regiones forent æquales (§. 234.). Cives validiores, robustiores, & cultiores unius civitatis cætera alteri paris ad multo plura præstanda sufficient, quam major numerus alterius civitatis debilior incultiorque inde quoque ineptior ad civitatem beandam tuendamque. Ita si belli tempore civitas parva sibi non sufficiat contra hostium insultus,

ejus cives ob hanc rationem temporariam non erunt numeri justo minoris, sed aliis modis sibi consulere debebant (§. 138. P. I. Polit.).

§. 289.

Criteria justo minoris civium numeri.

Si data civium copia constanter impar sit debito flori naturæ artisque ibi excolendæ, eique defensioni, quam justus numerus esset præstiturus, ea justa minor erit statuenda. Justus enim civium numerus sufficit singulorum naturæ & artium thesaurorum florentissimæ culturæ, constantique ab hostibus securitati (§. 246.). Hinc qui non sufficit dictis communibus bonis consequendis, is erit justo minor (§. 239.). Sed ea civium copia, quæ constanter impar est debito flori naturæ artisque ibi excolendæ, eique defensioni, quam justus numerus esset præstiturus, ea non sufficit suo fini consequendo. Si ergo data civium copia constanter impar est debito flori bonorum naturæ & artis consequendorum, eique defensioni, quam justus civium numerus esset præstiturus, illa non nisi justa minor & inopia erit statuenda.

Ne obscurum videatur, quod de constanti imparitate hic perhibetur, cum status civitatis semper sit mutabilis & inconstans: notandum est in ipsa vicissitudine status civitatum, quod plerumque obtinet, seu medium quoddam servat inter mutationis extrema rarius incidentia, pro constanti norma habendum esse. Ad hoc enim respiciendum, & huc comparanda sunt instituta perpetui usus. Quæ ab his aliquando recedunt in quodam seu defectu seu excessu; illa ubi occurrunt, facilem reperient medelam. Quod ut quodam exemplo explanetur, esto ordini sacro tam paucos esse consecratos, ut vel nimio labore brevi tempore conficiantur viribus fracti & exhausti, vel si ab illo abhorreant & muneris sui partes negligant, male erit civibus, per ruditatem deficientemque diligentiorem inspectionem exhortationemque degeneraturis in suam non tantum, sed & civitatis perniciem. Conf. (§. 286.).

§. 290.

§. 290.

Percurrendo rationes, quibus justo minori civium numero medendum est (§. 279. *seqq.*), patebit, illas sæpe non esse in potestate civitatis, quæ illa reparatione indiget. Proinde quanta fieri potest cura cavendum est, ne opus sit hisce remediis. Quod continget, si causis occurratur, unde isti defectus nascuntur. Scrutandæ ergo sunt causæ istiusmodi civium jacturæ, illisque sapienter fores obstruendæ sunt. Quæ cum in conservando perpetuandoque justo civium numero jam sint exhibitæ cum suis antidotis, relinquitur, *iisdem modis, quibus justa civium frequentia prorogatur perpetuaturque, simul caveri, ne defectus debitæ civium frequentiæ facile oboriatur, & quatenus evitari nequit, simul suppleri eundem.* *Faciunt huc itidem modi justam frequentiam civium perpetuandi.*

Si justa est civium frequentia, eadem simul justa minor esse nequit (§. 27. *Ontol.*). Quare quisquis curat, ut justa illa sit & maneat, is simul curat, ne sit & evadat facile justa minor. Modi igitur obtinendi & perpetuandi justum civium numerum non possunt non simul esse modi cavendi, ne evadat justo longe minor, ita scilicet, ut tantæ omnium saluti, quanta haberi potest valde impar evadat. Neque enim statim vulgarium civium qualiscunque jactura civitati perniciosa est, sed ea demum, per quam constanter salva manere & fine suo potiri nequit.

§. 291.

Abundans civium & incolarum numerus ipsa abundantia sua saluti publicæ officit. Abundans enim civium incolarumque numerus tantus est, ut per eum nec singulorum nec universorum saluti satis consultum esse possit (§. 239.). Ipsa igitur ejus abundantia impedit salutem publicam, & qua singulorum, qua universorum saluti adversatur seu obstatur, quo minus ea ita obtineri possit, ac per numerum justum. Sic propter abundantiam civium & incolarum eorum salus tanta esse nequit, quanta esse posset ac deberet (*ibid.*), ideoque abundans ci- *Civium abundantia saluti nocet.*

vium numerus ipſa ſua abundantia ſaluti publicæ & privatæ impedimento eſt & nocumento.

Aeque nimium rebus humanis nocet ac parum, vel æque exceſſus obeſt ac defectus, ubicunque juſta requiritur menſura & proportio. Quæ cum in civium numero pariter requiratur (§. 231.), manifeſtum eſt, in civium numero quoque abhorrendum eſſe ab eo, quod nimium eſt. Cujusmodi eſt omne id, quod impedit, quo minus tanta eſſe poſſit civium omnigena proſperitas, quanta in juſto civium numero haberetur. Quod ſi clarius oſtendendum eſt, ponamus juſtum civium eſſe n, et exceſſum illius $\frac{n}{4}$. Deerit ſic juſto numero quarta pars redituum, ſi illi pro parte quarta acceſſioni huic cedunt. Jam quidem ditioribus decrementum quartæ redituum partis non afferet multum detrimenti, quia hoc reliqua abundantia opum facile ſarcietur. Si tamen diu duret id detrimentum, quotannis $\frac{1}{4}$ decedens ſenſim divitias notabili ſumma minuet, & ubi copia parum exceſſûs habuit, prorſus tollet. Ei quippe, cui $\frac{1}{4}$ redituum quotannis abundavit, nihil nunc ſupererit, ſed conſumet omnes. Cui $\frac{1}{8}$ ſuperfuit, ei jam quotannis deerit pars octava. Hinc ſi illa pars octava deſit neceſſitati, ipſi quovis die octavo erit cum ſuis jejunandum aut mendicandum. Quibus quarta pars redituum in mediocri ſtatu deeſt, iis neceſſariorum vitæ præſidiorum $\frac{1}{4}$ deerit, ut quarto quoque die ipſis ſit eſuriendum. Quibus eſurire non libet, illi ditioribus moleſti erunt expetendis vitæ præſidiis, aut furtis vel violentis modis, latrociniis &c. Et quid de pauperibus fiet, quibus ne quidem neceſſaria in juſta civium copia ſuppetebant. Patetne ſic civitatem nec ſingulorum, nec univerſorum ſaluti recte proſpecturam eſſe, ſed ſubinde deterioribus involvi fatis & interituram, niſi abundantiæ medela paretur.

§. 292.

Civium abundantia ſapienter minuenda. *Si civium incolarumque numerus abundat, is ſapienter eſt minuendus.* Si civium atque incolarum numerus abundat, is eſt juſto major (§. 239.), ideoque ipſa ſua abundantia ſaluti civitatis

tatis obstat (§. 291.). Dum abundantia nocet saluti, & impedimenta salutis vitanda sunt atque abroganda (§. 195. *P. II. Phil. pr. un.*) abundantia erit tollenda. Atqui justus civium numerus in civitate est necessarius (§. 230. *seqq.*). Eo usque igitur tollenda e medio est abundantia, donec justa relinquatur frequentia civium (§. 260.). Quod dum fit, numerus sapienter minuitur. Planum igitur est, si civium numerus abundat, eum sapienter esse minuendum, vel ad justum numerum esse reducendum.

Non nisi justa civium copia fini civitatis consequendo sufficit (§. 230.). Numerus ergo, qui justo est major, eidem non sufficit sed officit. Curandum igitur ut justus evadat. Sed hoc fieri nequit, nisi tollatur abundantia, eaque sola. Sola ergo abundantia sublata, justus restabit numerus, vel reducetur numerus antea justo major ad justum. Qua in re sapiens diminutio numeri abundantis unice consistit, scilicet ut sublatis abundantibus minor eo usque fiat, donec sit justus.

§. 293.

Criterium abundantiæ civium.

Abundantia civium & incolarum vera non erit, nisi quando civitas propter solam abundantiam impar est omnium atque singulorum debitæ conservationi fortunationique. Abundantia enim civium & incolarum continet eorum numerum justo majorem (§. 239.). Sed solus justus eorum numerus est is, qui sufficit fini civitatis ex asse consequendo, & cujus saluti propterea par est civitas (§. 230.). Si vero se imparem sentit civitas tanto civium numero, uti par est, beando, nec justis civium querelis medelam æquam reperire potest; omnino hoc rerum statu, viribus civitatis insuperabili, cives in ea abundabunt. Vera igitur civium incolarumque abundantia non aderit, nisi quando civitas propter solam abundantiam impar est omnium atque singulorum debitæ conservationi fortunationique.

Alias removeo causas fortuitas, dum solam nuncupo abundantiam. Neque enim nunc ago de illis casibus, ubi cives quidam violato officio suo se indignos civitate præbuere, ut vel e vita, vel e civitate exturbandi sint. Si istiusmodi scelera admitterentur, eo tempore, quo civitas abundat civibus, merito istiusmodi purgamentis per pœnam liberaretur, itaque aliquatenus sapienter quoque numerus civium minueretur. Sed quoniam idem illud fieri quoque tum debet, quando vel justus vel justo minor est civium numerus, ex longe alia ratione, quam quam non minus cum salute publica cohærente; proprie illud non pertinet ad præsens negotium, ubi una civium abundantia sapientem eorum diminutionem requirit. Criterium ergo nimiæ civium frequentiæ ejusmodi adducendum fuit, e quo illa plane liqueret. Ostensum enim supra est (§. 243.), cavendum esse, ne judicium de justo vel injusto civium numero a veritate aberret. Quare uti justi numeri criterium (§. 246.), justo minoris (§. 289.), ita hic justo majoris exhibendum fuit, e quo & civibus singulis & universæ civitati illa abundantia fiat indubitata.

§. 294.

Cives abundantes non sunt detrudendi in statum deteriorem. *Durum esset, nec justitiæ sapientiæque consentaneum, si cives aliique abundantes in deteriorem sortem ideo detruderentur, ut reliquis melius consultum esset.* Sunt enim cives & incolæ tales, quorum saluti ex pacto, quo jus civitatis incolatusve consequuti sunt, est a civitate consulendum (§. 203. seqq.). Neque, ut nunc eos consideramus, ullatenus officio suo defuere, ut propter delicta vel crimina pœnam meruissent, per quam in deteriorem sortem essent dejiciendi sola officientes abundantia (§. 291.). Ea propter æque sunt innocentes ac cæteri cives, itaque afficerentur injuria a civitate eos in pejorem sortem redigente, quod & justitiæ & sapientiæ e diametro repugnaret (§. 926 seqq. P. I. Jur. nat.). Quare cum civium numerus abundans non nisi sapienter sit minuendus (§. 292.), sapientia autem inter-

inter licita præfert quæ cæteris sunt meliora (§. 678. *seqq. Psychol. rat.*) ad quod & naturalis obligatio adest (§. 192. *P. I. Phil. pract. univ.*): utique durum foret, nec justitiæ sapientiæque consentaneum, si cives abundantes ideo in deteriorem statum detruderentur, ut reliquis eo melius consuli posset.

Sic repugnaret officio civitatis erga abundantes cives & incolas, si illi in statum incolarum advenarumque, hi in statum peregrinorum detruderentur aut ejicerentur ex civitate. Hoc enim modo non nisi peregrinis, & sub conditione ad tempus tantum admissis receptisve injungi discessus e civitate potest. Civibus autem perpetuum jus civitatis incolis perpetuus incolatus promissus est pacto, quo sunt recepti (§. 6. & 8. *P. VIII. Jur. nat.*). His ergo pactum est servandum, quamdiu ipsi suis partibus proborum civium incolarum inquilinorumque non desunt.

§. 295.

Diminutio civium ipsorum consensu facienda.

Sapiens numeri civium diminutio fieri non debet, nisi ut ipsis melius ipsorum consensu consulatur, quam fieri in præsente ipsorum statu posset. Civitas enim est societas mutuo consensu civium & incolarum inita (§. 201.). Pactis cum standum sit, nisi mutuo consensu dissolvenda censeantur (§. 798. & 840. *P. III. Jur. nat.*): civium quoque pactum cum civitate non nisi mutuo consensu erit dissolvendum. Quia ratio ineundi pacti cum civitate communis boni fruitio fuit, quod cives conjunctis duntaxat viribus, sibi invicem præstare possunt (§. 35. *P. I. Polit.*): dissolvendi ejusdem ratio justa vix alia aut melior esse potest, quam ut ipsis melius, atque in præsenti ipsorum ex pacto emergente statu fieri posset, consulatur (§. 294.). Eapropter sapiens numeri civium diminutio fieri non debet, nisi ut ipsis sponte consentientibus in alio statu melius consulatur, quam fieri in præsenti statu posset.

Imminutio civium frequentiæ postulat, ut numerus civium minor evadat, ac jam habetur. Quæ si continuetur, donec justus evadat, sapiens dici meretur (§. 292.). Si ista ratione saluti civitatis prospicitur, æquum est, ut non minus saluti civium prospiciatur. Quod fieri nequit, quam ut præsens illorum status mutetur in meliorem, ipsisque ita arridentem, ut illum sponte malint subire, quam in præsenti manere, aut alium quemquam præoptare. Ita enim sapienter utraque mutatio, & diminutio onerosi numeri obtineatur.

§. 296.

Abundantia vel est temporaria vel perpetua.

Distinguenda est abundantia civium temporaria a perpetua. Temporaria enim non durat nisi tantisper, quantisper ejus causæ fortuitæ subsistunt, iisque sublatis vel cessantibus cessat. Perpetua quæ erit, habet causas constantes, neque humana ope amovendas. Illa non nisi brevi tempore dari potest, quo elapso finitur, nec quidquam superflui numeri tum restat. Hæc semel posita causis naturalibus perpetuatur, nisi fortuita intercedat diminutio, haud facile metuenda admittendave pro arbitratu.

Si qua oboriatur sterilitas annorum, atque annonæ caritas & inopia ingens cives premat, ut multi vix ac ne vix quidem vitam conservare possint præ alimentorum defectu, adeoque pars fame aut contractis ex insolito alimento morbis contagiosis intereatur, efficiet illa tanquam causa fortuita civitatem ad tempus imparem, alendis fortunandisque civibus suis, quorum numerus propterea tunc censebitur justo major. Sed cum hæc sit nubecula propediem transitura, non opus erit, ut civitatem valde turbet aut angat. Cessantibus enim superatisque illis causis, numerus superfluus dici nequibit. Si vero inundatione maris aut aquarum aliave ratione magna pars terræ sterilescat, ut alendis incolis impar evadat, nec ope humana reparari damnum possit: manebunt ejusmodi deficientis alimonii causæ, nisi for-

fortuita rursus contagia aut pestilentia tantum numerum hominua e vivis eripiat, ut residuus civitati fiat justus.

§. 297.

Modi minuendi temporariam abundantiam.

Quia imminutio civium fieri non debet, nisi ut ipsis consentientibus melius consulatur (§. 295.), *si temporaria* tantum hujusmodi *diminutione opus sit* (§. 296.), partim permittendum illis pauperculis, qui interim cum suis migrare aliorsum velint, ubi melius subsistant, ut *libero gaudeant discessu*, liberoque reditu; æque ac peregre abeuntibus studiorum aut artium & opificiorum colendorum causa id eodem casu & alias indulgeri consuevit; partim procurari ipsis alibi interea temporis *jus hospitii* potest. Præterea si alia civitas interim egeat auxiliis, concedi his potest, qui *sponte militiam sequi* & se patriæ causa in illa perficere cupiunt, vel stipendia merendo, vel suis sumtibus suoque periculo militando. Si majoribus indigeat copiis in bello, & conducere exercitum velit, recte *illi locabitur* tantus *militum numerus*, quanto nunc civitas non indiget. Si qua civitas amica indigeat civium supplemento, illud ipsi ex abundatia alterius *commodari ea lege potest*, *ut* posthac in pari casu *vicem reddat*. Neque oberit in eodem casu quidquam, si illi *liberaliter cives donare* velit. Si in aliquo vitæ genere tantum abundant cives, in alio deficiunt, cujus generis abundantia alibi habetur; *permutatione abundantes utrinque* imminuentur vel & ad justum numerum revocabuntur. Quidquid enim in hujusmodi contractibus mutuo consensu ita conveniet, ut civium abundantium saluti consulatur, id licite fiet & sapientiæ legibus erit conformandum.

In Comitiis Spirensibus A. 1570. proceres Germaniæ in decreto §. denselben testantur sub aliis principibus & regibus etiam extra Germaniæ limites militare Germanis semper liberum fuisse: daß es im heiligen Reich deutscher Nation von Alters eine löbli-

löbliche Gestalt deutscher Freyheit gehabt, um Ehr und Ruhm mit ritterlichen Thaten fremden Potentaten ohn alles Bedingen des Vaterlandes und dessen Zugehörigen zu dienen. Quæ libertas tamen merito limitata est, ne contra patriam, nec in ejus damnum locum habeat, nec invito superiore liceat, quod in eodem decreto notatur. Propter annonæ caritatem olim Jacobus cum familia sua concessit in Aegyptum; Elimelech abibat in regionem Moabiticam; Sunamitis quoque jussu Elisæi 2 *Reg.* VIII, 1-6.

§. 298.

Quid in casu dubio consultius sit?

Quam diu ignoratur, sitne causa abundantiæ civium perpetua futura, nec ne, utendum est partim iisdem modis, quibus temporariæ abundantiæ medemur, partim luxu proscripto frugalitati ab omnibus litandum & egenis quantum fieri potest subveniendum. Ingruunt enim sæpe tempora, ubi calamitates publicæ multos cives perimunt, quorum jactura tum per abundantes reparari illico potest, si illi in civitate commorantur. Consultum igitur & e re civitatis est, si cives abundantes quamdiu commode fieri potest, in ea retinentur, quamdiu ignoratur, sitne causa abundantiæ brevi tempore cessatura, aut sitne avertendæ calamitatis publicæ causa opus futurum, ut per abundantes nunc, sequutura imminutio civium suppleatur. Quare illi modi, quibus abundantia temporaria sapienter minuitur cum spe recuperandi dimissos (§. 297.) & in dubio hoc casu locum sortientur.

Quoad cæteros vero, qui remansere, opera danda est, ut amotis causis, quibus attenuantur, vel sua culpa deteriores fiunt conditionis, meliori sorte fruantur (§. 296). Quapropter luxus est proscribendus, quatenus facit ad exhauriendos in æmulatione ditiorum mediæ sortis homines, & frugalitate in ejus locum surrogata & severe custodita horum res in meliori loco collocandæ sunt. Opum vero affluentia tum in pauperum operas mercenarias provocandas sustentandasque, tum in liberaliter utendos ejusmodi egenos, qui labori sunt imp

res. Nulla enim usquam datur civitas, quæ omnis calamitatis expers eodem ſemper flore rerum ſecundarum gaudeat. Sed uti in ſecundis non eſt ſuperbiendum, & quod tunc ſupereſt, reſervandum in futuras adverſitates: ita quoque in adverſis rebus animus non eſt deſpondendus, ſed patienter ferendo ſperanda ſunt meliora.

§. 299.

Rationes colonias inſtituendi & demigrationes.

Ubi perpetuæ emergunt rationes civium abundantiæ, ibi vel coloniæ eo erunt mittendæ, ubi iſtæ civibus uſui ſunt futuræ, vel jus liberæ emigrationis iis concedendum, quibus in civitate proſpici nequit. Perpetuæ enim cauſæ ſunt conſtantes, neque humana ope tolli poſſunt, ubi ſunt (§. 295.). Inde abundantia ſublata ſunt removendæ, qua nocent civitati (§. 291): quia alias civitas impar manet omnibus beandis (§ 293). Sed ſi civitas abundantes cives mittit in colonias, duo lucratur commoda, dum & par evadit fortunandis civibus potioribus, quos retinet, & ſimul meliori ſorte donare valet eos ſeu tenuiores cives, ſeu emeritos milites, quos in coloniam mittit, eo ſibi addictiorem, & ad amplificanda civitatis commoda aptiorem futura (§. 296.).

Si vero coloniæ locum non habeant, in aliis civitatibus ſibi abundantes domicilium & ſedem fortunarum quærere poterunt ut mutuo conſenſu pactum civitatis tollatur (§. 296.), concedendum ipſis erit, qui alibi meliora ſperant, jus diſcedendi & libere emigrandi. Quibus enim favit fortuna, ut lautioris ſint conditionis, ii diſcedere nolent, etiamſi poſſent (§. 257.). Quos vero aut offendit fortuna, aut nondum benigne adſpexit, illorum abitus civitatis emolumento ſervit, tantum abeſt, ut detrimento eſſe poſſet, quod relicta bonorum parte eſſet penſandum. Immunis igitur abitus ab omni detractu imminutioneque bonorum diſceſſuris eſt indulgendus. Ergo jus liberæ atque etiam viaticis adjutæ demigrationis civibus

abundantibus vel offerendum, vel precibus ipſorum tribuendum eſt.

Athenienſes Cherſoneſum colonos miſiſſe, memoriæ prodidit *Nepos c. 1. Miltiadis*. Cujus generis cum magnus numerus eſſet, multique ejus demigrationis peterent ſocietatem, ex his delecti Delphos deliberatum miſſi ſunt, qui conſulerent, quo potiſſimum duce uterentur. Nam tum Thraces eas regiones tenebant, cum quibus armis erat dimicandum. His conſulentibus nominatim Pythia præcepit, ut Miltiadem ſibi imperatorem ſumerent. Id ſi feciſſent, incepta proſpera futura. Hoc reſponſo Miltiades cum delecta manu claſſe Cherſoneſum eſt profectus . . . Ibi brevi tempore tota regione, quam petierat, potitus, res ſumma æquitate conſtituit, loca caſtellis idonea communivit, multitudinem in agris collocavit, crebrisque excurſionibus locupletavit &c. En coloniam non ſine inſigni periculo ad bellum potius, quam ad pacata loca miſſam, & feliciter propoſitum ſibi Peloponeſum ſubjiciendi conſecutam! Romani pariter permultas celebratiſſimasque condidere colonias, imperium ſuum amplificantes, ſuis civibus coloniarum fidem firmantes, eas ad romanos mores fingentes, & una cives ſuos fortunantes, tum in coloniis, tum Romæ caritatem annonæ minuentes. Solebant eum in finem eligere *triumviros coloniæ deducendæ*, peritos rerum romanarum & autoritate pollentes. Hi deſignabant diribebantque areas, domos, agros, conſtituebant leges, curiam & magiſtratus. Harum coloniarum aliæ erant romanæ, quarum cives erant municipes, paresque civibus romanis Romæ quoque; aliæ latinæ, quæ jure Latii h. e. immunitatis a tributo capitis & ſoli gaudebant inferiori romano; aliæ italicæ &c. infimi generis. Sed Julius Cæſar omnibus dedit jus civitatis romanæ. Sic *Gellius noct. att. L. XV. c. 13.* Coloniarum, inquit, alia neceſſitudo eſt. Non enim veniunt extrinſecus in civitatem, nec ſuis radicibus nituntur, ſed ex civitate quaſi propagatæ ſunt, & jura inſtitutaque omnia Populi romani, non ſui arbitrii habent. Quæ tamen conditio cum ſit magis obnoxia & minus

libe-

libera, potior tamen & præstabilior existimatur, propter amplitudinem majestatemque Populi romani, cujus istæ coloniæ quasi effigies parvæ, simulacraque quædam esse videntur, & simul, quia obscura obliterataque sunt municipiorum jura, quibus jam per ignorantiam uti non queunt. Coloniæ immunes dicebantur, quæ nulla pendebant tributa; stipendiariæ vero erant tributariæ & militares, bello occupatæ &c. Si in hunc casum emigrationes religionis causa reservarentur, promtiorem haberent excusationem, cæteris & hac in re ad liberum jus emigrandi conformatis.

§. 300.

An minuendi civium numeri causa bellum gerendum?

Si civitas bello infestatur, abundantes commode in bello adhibeantur, ut in hostico alantur, & alii re feliciter gesta ibi fortunarum sedem reperiant, alii extinctorum loca supplere possint; propter minuendum vero civium numerum bellum ordiri injustum, nefas; dubium periculosum foret. Bello civitatem contra injuriam hostis defendere, officio est consentaneum (§. 629. *Jur. Gent.*). Quod cum sine multis militibus, eorumque vitæ periculo geri non possit (§. 610. *ibid.*): cives abundantes, qui aptiores & promiores cæteris sunt ad militiam, eo rectius ad bellum gerendum adhibentur, cum iidem quoque ex justo, & justo minori numero alias petendi essent. Accedit, quod iis hoc casu rectius in bello consuli potest, quam si nullum esset bellum. Non enim tantum alimenta ex hostium ditione quærere, sed & fortitudine ac felici exitu belli ad honores & fortunam adspirare possunt, ad quam alioqui nullus ipsis aditus fuisset.

Injustum bellum esse, quod infertur nulla nec facta imminente injuria bello digna, constat ex (§. 618. *Jur. Gent.*), idque illicitum & nefas esse per ipsum nomen patet (§. 1111. *p. I. Jur. nat.*). Quare nec homines in civitate abundantes ad suscipiendum bellum injustum adhiberi & invitare civitatem debent.

Si caufa belli fit jus controverfum, id bello decidere non licet (§. 632 *Jur. Gent.*). Sed fi cauffa belli eft dubia, ea redit ad jus controverfum. Ergo fi cauffa belli dubia, ideoque ipfum bellum dubium, decifio ejus bello obtineri nequit. Quoniam jus controverfum transactione eft componendum, fi qua pars nullo modo in transactionem æquam confentire velit, bello quidem adigenda ad transactionem effet, modo rationes felicem ejus exitum fperare jubentes adfint (§. 622. *feq. ibid.*). Quoniam vero illis non deficientibus belli exitus tamen incertus nec fat probabilis manet, ob alias rationes hominibus fæpe ignotas; vel in hoc cafu, ubi transactio tantum extorquenda eft, multo magis ubi transactio æqua refpicitur, bellum erit periculofum, ideoque potius evitandum & differendum fapienter (§. 265.).

§. 301.

Vti imminuenda fobolis procreatio!

Minuendi abundantis civium numeri caufa matrimonia quædam per fe ceffabunt, ob defectum fubfidiorum familiam alendi, alia quoque inhiberi poffunt in gradibus confanguinitatis per fe non illicitis, aut alibi permiffis; illegitima veri fobolis procreatio acrius inhibenda eft. Quemadmodum deficientis copiæ civium procreatio fobolis erat augenda rationibus civilibus (§. 270-274): ita abundantis copiæ hominum caufa impedienda atque imminuenda eft copiofior fobolis procreatio. Hoc jam ex parte per fe fluit ex ipfa hominum abundantia, quatenus illa vitæ præfidia, & modum honefte rem faciendi minuit, inde multis obftat, quo minus matrimonium inire, ejusque onera ferre poffint. Ex parte id promovetur, cives applicando ad hujusmodi vitæ genera, in quibus tantum quisque fuæ vitæ fubfidia confequi valet, uti plerumque fit in ftatu militari aliisque fimilibus vitæ generibus: item prohibendo gradus quosdam cognationis, qui alibi & ali-

& alias in eadem civitate permitti solent; aut & prohibendo matrimonia inter homines diversæ religionis, &c.

Quatenus vero ob easdem rationes effusior fieri potest licentia illegitime coëundi & sobolem illegitimum cumulandi; eatenus civitatis interest, ut illicitus concubitus, per se prohibendus, eo acrius & severius inhibeatur, pœnis in eum finem exasperatis, & pro meritorum ratione irrogatis Si sic copiosior sobolis procreatio impediatur, cum homines, qui abundant, morte sensim consumantur, facillime abundantia civium corrigetur, & ad justum numerum redigetur brevi tempore, ut his subsidiis non amplius sit opus futurum.

Constat ergo multis modis licitis obtineri posse, ne abundantia hominum civitati noceat, ut minime opus sit illicitis crudelibusque modis, quibus olim Pharao contra Israëlitas grassatus est, enecari jubens omnem prolem Hebræorum masculam. Exod. I, 16. Neque melioris commatis foret expositio infantum olim frequentata. Pariter abhorreret a lege divina vetitum ex matrimonio suscipiendi prolem præter unum aut alteram: quia concubitus solius libidinis causa introduceretur, legi naturæ repugnans (§. 240. *P. VII. Jur. nat.*). Abhorreret ab eadem castratio sexus masculini, aut turpis pæderastia, præpostera venus & sodomia; abhorreret sexus sequioris deductio in statum sterilitatis, procuratio abortuum, destitutio & privatio opis in partu, aliaque commatis ejusdem.

§. 302.

Fœderatorum civium, qui dicuntur, quia nec cives sunt, nec incolæ, mentio tantum obiter facienda. Dicunt politici scriptores civem fœderatum, qui ex fœdere jus civitatis in quibusdam est consecutus; aut extraneum, qui jus civitatis habet etiamsi in illa non habitet. E quibus abunde patet, non esse illum civem sed peregrinum, fœderatum tamen seu fœdere aliquid beneficii adeptum, quod non nisi civium esse consuevit. Vero *Hypomnema de civibus fœderatis.*

ergo nomine fœderatus eſt appellandus, & municeps quodam modo, ſaltem privilegii cujusdam civilis particeps. Quod vero illi fœderati nec cives ſint, nec incolæ civitatis, ex eo patet, quia ne quidem conſtans domicilium in civitate habent, ſed quando negotiorum ſuorum cauſa inſtar advenarum privilegiariorum ibi ſunt. Dici ergo melius poſſunt advenæ fœderati & privilegiarii.

Bodinus de Rep. L. I. c. 6. narrat, ejusmodi civitatis communicationem ex fœdere mutuo dari inter Bernenſes & Genevenſes, qua ſi quis civitate ſua deſerta, alteram adire & in ea domicilium conſtituere velit, confeſtim civis illius fiat, ſine peculiari cooptatione. In eundem cenſum referebantur civitates hanſeaticæ, ex fœdere eo gaudentes privilegio, adhuc vigente, ut natus in una fœderata civitate plenum habeat aditum & immunem ad jus alterius civitatis præ cæteris adipiſcendum, tanquam fere eſſet indigena. Helvetiorum fœdus ſimilia his quædam uſurpat. Antiquitus indidem cives Gedanenſes, Thorunienſes & Elbingenſes ex fœdere gaudebant jure mutuo merces ab extraneis ibi tanquam in ſua civitate domum vehendas emendi, ſuas vero allatas divendendi, non tamen peregrinis extra nundinas, ſed civibus, aut & eas deponendi. Thorunienſes v. c. vendunt ſuas Elbingæ & Gedani in nudinis, prout lubet, aut deponunt, quarum emtor nunc non reperitur; viciſſim emunt ab Elbingenſibus, aut exteris ibi in nundinis obviis, & Gedani ſimiliter quibus indigent, & quas ipſi ab Elbingenſibus & Gedanenſibus, vel in nundinis quoque a peregrinis ibi emerunt, eas ſecum domum deportant. Non eſſe fœderatos hoſce municipes, patet ex §. 222. & 229. Neque eos cives privilegiarios eſſe apparet, quia non ſunt cives ſed advenæ privilegiarii (§. 222.) & temporarii (§. 413. *P. VIII. Jur. nat.*). Sed hæc de numero civium ſapienter curando. Sequitur cura efficiendi, ut tales ſint cives, quales ad ſalutem publicam ex aſſe obtinendam requiruntur.

SECTIO

SECTIO III.
DE
SAPIENTI CURA MENTEM CIVIUM PERFICIENDI.

CAPUT I.
DE
Perficiendo civium intellectu, sive de perficiendis scientiis & artibus.

§. 303.

Quia non nisi tales requiruntur in civitate homines, quales saluti publicæ comparandæ ac tuendæ pares sunt (§. 231.); neque tales per se nascuntur & adolescunt (§. 252. *Oecon.*): solicitos nos esse oportet de modo homines ita formandi, uti in rep. requiruntur. Jam quidem parentum officium naturale huc comparatum est, ut liberos suos rite educare debeant (§. 263. P. *VII. Jur. nat.*). Sed teste experientia multorum liberorum parentes moriuntur, antequam eos educare potuerint; alii licet non moriantur, dissolute tamen vivunt & officio educationis desunt; alii per errorem educationem perverse instituunt; aliis tanta est egestas, ut sive vivant sive moriantur, impares sint liberis suis rite educandis. Præterea multi parentes per se non sufficiunt ad liberos suos in his instituendos, quibus opus est, tum quod ipsi eorum sunt imperiti, tum quod ipsis non vacat per alia omnino agenda. Quoniam vero in rep. curandum est, ut conjunctis viribus subsidia suppeditentur ad satisfaciendum officiis naturalibus, & ut eorum praxis facilior perfectiorque reddatur (§. 396. P. *VIII. Jur. nat.*):

Cur publica opus sit cura efficiendi homines tales, quales in rep. esse debent.

nat.): *manifestum est, conjunctis quoque viribus enitendum esse, ut cives & generatim homines in civitate evadant tales, quales postulat salutis publicæ comparatio conservatioque quam optima.*

Parentum educatio fere privata respicit, quæ quia etiam necessaria sunt in rep. ad honeste sibi paranda vitæ privatæ subsidia, ipsis merito relinquuntur, ea tantum adhibita directione, ne aberrent a scopo. Et tamen propter diversitatem ingenii liberorum, ne in his quidem parentes sufficere liberis suis per se possunt, quum sæpenumero ignorent aut male didicerint ea, quæ liberi melius sunt edocendi. Multo minus igitur ea intelligunt & docere possunt, quæ publicorum negotiorum ratio requirit, ut sciant & agere possint.

§. 304.

Quid ideo explorandum?

Explorandum est, quænam generatim, & speciatim pro indole civitatis in ea salutis publicæ causa conjunctis viribus instituenda sint. Etenim in qualibet civitate conjunctis viribus enitendum est, ut homines in illa evadant tales quales postulat salutis publicæ optima comparatio conservatioque (§. 303.). Sed quæ postulat salus publica, vel communia sunt in qualibet civitate attendenda, vel propria, quæ peculiaris civitatis indoles requirit (§. 285. *seqq. P. I. Polit.*). Hæc vero differunt non tantum toto genere rerum publicarum; sed etiam ratione specierum, quæ sub illis continentur, sive simplices spectentur sive mixtæ, & ratione singularium determinationum, quæ in rebuspp. individuis occurrunt. Quare cum nesciretur, quænam instituenda sint conjunctis viribus, nisi perspecta haberentur (§. 943. *Ontol.*): Omnino explorandum est, tum quæ generatim, tum quæ speciatim sigillatimque pro indole civitatis in ea salutis publicæ caussa conjunctis viribus instituenda sint.

Notum satis est ex antecedentibus, diversa dari & genera rerum publicarum simplicium & mixtarum, & species; & unius cujusque speciei rectæ pariter atque corruptæ innumeras dari posse

poſſe varietates ſingulares, e diverſa regionum climatum & rerum ibi obtinendarum, hominum quoque indole ſtatuque oriundas. Vnde elucet, non poſſe eadem omnibus convenire, niſi quorum ratio omnis in genere contineatur; reliqua utique petenda erunt ex indole ſpeciei aut individuo propria, ideoque different & differre debent, prout illa exigere deprehendetur.

§. 305.

Generatim bona opus eſt liberorum educatione.

Generatim bona educatio parentum in quavis civitate neceſſaria eſt, ut liberi tales evadant, quales ad ſalutem publicam requiruntur & ut eas diſcant veritates, artes & ſcientias, quæ jam & privatæ & publicæ rei magno uſui fuere. In ſtatu naturali bona educatio ſobolis neceſſaria eſt, ut liberi vitam hominis vivere poſſint (§. 255. P. *VII. Jur. nat.*), & ut pares evadant officiis erga Deum, ſe ipſos & alios præſtandis, uti par eſt & præſcriptum lege naturali (§. 255. *P. VII. Jur. nat.*). In ſtatu civili eadem quoque valent, ſed præterea quoque proles ita educanda eſt, ut vitam quoque civis, uti par eſt, vivere, ſalutemque publicam conſervare & amplificare poſſint (§. 303.). Quod quum cuilibet civitati conducat, ideoque curandum ſit, dubium eſſe nequit, generatim bonam educationem parentibus in quavis civitate incumbere, ut ejus ope liberi ipſorum tales evadant, quales ad ſalutem publicam requiruntur.

Actum eſt data opera *in Oecon. Sect. II. c. 2.* de bona liberorum educatione, quæ modos exhibent, eandem ad felicitatem privatam accurrandi. Neque illa præcepta per ſtatum civilem ullo modo tolli poſſunt, ſed potius perfici debent, quantum conjunctis viribus fieri poteſt. Vti vis unita fortior, ſic fructuoſior quoque ſociata plurium in perficienda educatione opera eſſe ſolet. Ipſa quoque vita civilis parentum rite inſtituta ſuo exemplo ad diſcendam vitæ civilis rationem facem præferre debet. Liberi enim uti vitam hominis, non niſi inter homines, ita civilem non niſi in civitate intueri, imitari & rite adornare poſſunt.

Veritates, artes & ſcientiæ, quæ jam inventæ ſunt, aliisque & hominibus & civitatibus profuiſſe intelliguntur, procul dubio aliis quoque & privatis hominibus & civitatibus æque in poſterum prodeſſe poſſunt. Ea propter opera danda eſt, ne ignorentur, ſed potius diſcantur & cum fructu exerceri poſſint. Liquet ergo liberos docendos eſſe veritates, artes & ſcientias ſalutares, ut eas diſcere, quas didicerunt, exercere, ſaltem de illis vere judicare poſſint, ne ab aliis nefarie decipiantur, ſeducantur, aut damno afficiantur. Veritates ergo, artes & ſcientiæ, quæ aliis magno uſui fuere in futuros ſimiles uſus in rep. docendæ ſunt, & a liberis diſcendæ.

Perfacilis eſt ratio diſcendi utilia, ſi adſint aut haberi poſſint, qui doceant. Sed perdifficilis aut vires ſuperans ſi proprio marte eſſent inveſtiganda. Hinc conjunctis viribus procuranda eſt liberis tam facilis via ad ſuam aliorumque felicitatem.

§. 306.

De promovendo parentum officio.

Quæ privata parentum induſtria fieri poſſunt, ut tales evadant ipſorum liberi, quales requiruntur ad ſalutem publicam, ad ea tum obligandi ſunt, tum adjuvandi boni; pravi autem parentes impediendi ſunt & terrendi, ne officio ſuo deſint, aut ſi nolint obſequi, pro meritis ſunt puniendi. Nimirum quia exploratum habetur, generatim bonam educationem parentum in qualibet civitate eſſe neceſſariam, ut tales evadant ipſorum liberi, quales ſalus publica requirit (§ 305.): bona liberorum educatio per parentes in civitate, quantum fieri poteſt, promovenda eſt (§. 303.). Hoc autem fieri aliter nequit, quam ſi parentes ad illa rite obligentur, quæ privata ipſorum induſtria obtineri poſſunt, & proni ad officium ſuum in eodem adjuventur, nec ab aliis impediantur; cæteri autem officium ſuum negligentes a pravitate ſua abſterreantur, & ſi obſequi nolint, pœnis ſubjiciantur pro meritis (§. 395. *P. VIII. Jur. nat.*). Opus ergo eſt, ut parentes ad

bonam

bonam liberorum ſuorum educationem obligentur, & proni ad illius obſervationem, juventur excitenturque, ut quæ privata induſtria ad eam conferre poſſunt, ex aſſe conferant, nec eo in ſtudio a quoquam impediantur; pravi vero a neglectu officii ſui abſterreantur, & ſi nihilo ſecius eidem contraria deſignent, puniantur quantum meruere.

Eſt enim legis naturalis, ut quilibet homo omnem adhibeat facultatum ſuarum uſum, qui ad perficiendum mentis & corporis ſui ſtatum, & ad arcenda his contraria requiritur (§. 173. *P. I. Jur. nat.*). Quæ vero homo quilibet ſibi debet, eadem debet quoque aliis, præſertim ſuis (§. 608. *ibid.*). Quamobrem parentes quoque omnem tenentur facere uſum facultatum ſuarum ad perficiendum mentis & corporis liberorum ſuorum ſtatum, & ad avertenda ea, quæ his ſunt contraria (§. 609. *ibid.*) & (§. 637. *P. VII. Jur. nat.*). Quod ut eo certius faciant obligandi ſunt civilibus momentis, & ut eo melius id peragant, non tantum liberandi ſunt ab omnibus impedimentis, quæ objici ipſis ab aliis poſſent; ſed adjuvandi quoque, ut eo facilius perfectiusque id peragere poſſint.

§. 307.

Ea liberis in educatione præſtanda ſunt, quæ a parentibus ipſis privata induſtria præſtari poſſunt (§. 306.). Sed loquitur experientia, ad perficiendam mentem liberorum & rationis uſum iisdem comparandum, ante omnia requiri uſum ſermonis, ſaltem quoddam ſermonis analogum. Opera igitur conjunctim danda eſt, ut *parentes liberos doceant loqui, & res quasque ſuis appellare nominibus in lingua vernacula.* *Diſcenda eſt vernacula.*

Fortaſſe nonnullis ſupervacuum videatur & indignum publica cura, quod hic præcipitur de ſermone vernaculo. Privata cum educatio illius neceſſitatem utilitatemque inculcat ut ſponte parentes id agant, nullaque ad hoc opus ſit autoritate publica. Fatemur, ob rationes privatæ vitæ non facile negligi hoc officium educationis, nec difficultate in plerisque omnibus laborare,

nec ſumtu egere. Interim illud non eſt cenſendum leviculum, cum primordia uſus intellectus & rationis contineat. Non enim poſſe res recte nominari absque ratiocinio, liquet ex (§. 354. ſeqq. Pſychol. empir.). Quare dum liberi res recte nominare diſcunt, ſimul diſcunt primum uſum rationis, cujus tum ſunt capaces. Quod & ex iis patet, qui inter feras adoleverunt, nec loqui didicerunt. Illi enim ſimul uſu rationis manifeſto caruere, donec loqui cœpere. Vnde patet, ſi qui parentes id officium liberis præſtandum negligere quacunque de cauſa velent, poſſe eos publica autoritate adigi ad vitandam ſupinam ejusmodi negligentiam. Neque ideo nihil attinuit, de his verba facere, quia perquam rarus eſt iſte officii neglectus. Eſt & raris occurrendum ſalutis publicæ nocumentis. Quod confirmat vicarius ſignorum aliorum uſus, iis inculcandus, qui ſurdi & muti ſimul ſunt, ſi tam ſibi quam aliis prodeſſe in civitate debent (§. 254. *Oecon.*).

§. 308.

Cui rationis uſui vernacula inſerviat?

Vernaculæ habitus vulgo adquiſitus rudi tantum & confuſo rationis uſui inſervit. Etenim non aliter vernacula diſci ſolet, quam ut res oſtendantur, ſuisque nominibus frequenter appellentur. Sed res oſtenſæ ſenſibus obeuntur, itaque confuſe animo concipiuntur, inde non niſi confuſæ ideæ & notiones nominibus auditis & pronuntiatis tribuuntur (§ 688. *Logic.*). Sed confuſæ ideæ & notiones ſuppeditare nequeunt, niſi confuſa judicia, nec hæc niſi confuſa ratiocinia (§. 362. 374. & 378. *Pſych. empir.*). Quæ cum rudibus hominibus uſitata ſint, nec propter confuſionem tollere ruditatem poſſint: perſpicuum eſt, vernaculæ habitum vulgo adquiſitum rudi tantum & confuſo rationis uſui inſervire.

Conſtat inter omnes, maximam hominum partem eſſe rudem, qui non obſtante ruditate ſua homines tamen ſunt. Sed eſſe homines non poſſent, niſi ratione gauderent uterenturque. Quomodo vero uterentur ratione, niſi ratiocinarentur? Sed ſi diſtincte

diſtincte ratiocinarentur, eatenus non forent rudes. Ruditas ergo hominum in confuſa adquieſcit ratiocinandi facultate & conſuetudine: uti eruditio diſtinctam requirit rerum cognitionem & ratiocinationem. Inde habitus vernaculæ vulgo adquiſitus intra confuſam cognitionem ſubſiſtens, ſufficere nequit niſi ad rudem tantum rationis uſum vulgaremque.

§. 309.

Ad quid valere poſſit rudis ille uſus rationis?

Confuſus ille rationis uſus ratiocinandique habitus valere per ſe nequit niſi ad operas pueriles vulgares arteſque opificiarias & his gemellas ſenſibiles addiſcendas. Confuſus enim rationis uſus ſimul eſt rudis (§. 308.), ideoque diſtinctus ſimul eſſe nequit, cujusmodi eſt perfectior & eruditus illius uſus habituſque. Dum vero rudis eſt tantum & vulgaris ille rationis uſus ac argumentandi habitus, per ſe quoque valere nequit niſi ad alia vulgaria & puerilia illius ope adquirenda. Cum hujus generis ſint operæ vulgares, arteſque opificum aliorumque his affines quarum error ſtatim in ſenſus incurrit; apertum eſt, confuſum rationis uſum, & rationes connectendi habitum, per ſe valere non poſſe, niſi ad operas pueriles, populares, arteſque plebejas & manuarias addiſcendas.

Quotidie id uſu venire videmus, ut confuſe cogitandi & colligendi habitus ſibi ſemper ſimilis maneat, nec per ſe ad altiora adſpirare poſſit. Hinc proficiſcuntur omnia illa vitæ genera, quæ non obſtant, quo minus illis utentes rudibus accenſeantur. Eſt quidem artifex vulgaris & opifex ſuæ operæ ſuæque artis peritus, ſi eam debite callet; ſed eruditus propterea dici nequit, eo quod confuſa tantum gaudet illius cognitione & argumentandi habitudine. Verbi cauſa confuſe novit, quomodo aurifex, quomodo vel in ſe, vel in affrictu ad lapidem lydium conſpiciatur aurum. Inde metallum ſibi oblatum adſpicit, flectit & affricat ad lydium lapillum; concluditque ex colore ei affricto id eſſe aurum, quod tamen extus comparatum cum veriori noto tantum huiusmodi eſt, neutiquam intus, uti Corona Hie-

ronis, quæ colorem auri ostendebat, lapidemque lydium ferebat. Per se igitur confuse cognoscendi ratiocinandique habitus non præstat nos ab erroribus immunes, nec nisi ad alia itidem confusa cogitata valere potest, quæ regnare deprehenduntur in vulgaribus operis artibusque, ne mercatura quidem excepta. Si ad alia progressus est faciendus, oportet, ut accedat distincta cognitio seu ore seu scripto ab aliis nobiscum communicata, cujus ope ad alia similiter distincte & verissime perspicienda manuducamur.

§. 310.

Quid circa ignobiliores artes conjunctim curandum?

Et in his artibus ignobilioribus discendis adjuvandi sunt parentes publica cura, ut qui eas recte & æquo pretio doceant, præsto sint in civitate, item ut parentes liberos applicent debite, & pacto satisfiat utrinque. Diversa enim sunt liberorum ingenia, neque omnes ad parentum vitæ genus vel apti vel feruntur, vel reip. expedituri essent, quod per se patet. Accedit, quod neque sufficiunt cuncti parentes liberis, ea vel docendis, quæ ipsis sunt discenda, vel alendis tantum & vulgariter educandis (§. 303.). Inde quia conjunctis viribus in civitate subsidia sunt subministranda ad satisfaciendum officiis naturalibus (§. 396. P. VIII. Jur. nat.): & in artibus ignobilioribus, quibus eget civitas, discendis adjuvandi sunt parentes publica autoritate, ut qui eas recte & æquo pretio doceant, præsto sint in civitate.

Præterea cum inutiles essent civitati accersiti magistri idonei, nisi parentes liberos idoneos illis darent arte ista imbuendos: rectoris civitatis est, obligare parentes, ne liberos otiari aut inertes adolescere patiantur, sed vt eos dent magistris exasciandos. Pariter obligandi sunt & magistri, ut vi pacti initi recte doceant, & tirones eorumque parentes, ut pareant magistris & recte discant donec absolverint discenda, neque corruptores & depravatores evadant non tolerandi in civitate (§. 230. P. VIII. Jur. nat.). Si quæ lites oboriantur &

& querelæ, neglecti ab alterutra, aut utraque parte officii, juſtitiæ & æquitati ut ſatisfiat, curandum eſt rectori civitatis.

Miſera foret civitatis facies, ſi in artibus plebejis negligeret eam procurare rerum & abundantiam, & præſtantiam, qua omnes egent juvanturque: inde enim, quæ domi habere poſſet, non ſine tædio, dedecore & majori ſumtu aliunde petere cogeretur. Quare publica opus eſt cura ut in quolibet vitæ genere, utut ignobiliori, habeantur tamen qui in illo tum rerum naturalium tum artificialium abundantiæ præſtantiæque, quanta dari poteſt, operam dent, nec negligant officium, quod civitati præſtare poſſunt debentque. Si tales præſto non ſint, publica cura aliunde ſunt arceſſendi, propoſitisque præmiis invitandi, ut alios idoneos cupidosque perfectiori agendi & operandi genere imbuant. Quo enim melius opera peraguntur & elaborantur, eo ornatiora erunt, durabiliora & utiliora omnibus atque honorificentiora. Nec tantum recte illa ſunt docenda, ſed & æquo pretio, hoc eſt modico & facile parabili; quod contingit, dum complures ſimul docentur & ſymbolas conferunt. Immo in artibus vulgaribus, ob paupertatem tironum pretium conſiſtere debet in operis, quæ certo annorum numero ſunt præſtandæ pro alimentis, veſtimentisque.

§. 311.

Quomodo illæ tradantur?

Vulgo ſufficit, confuſe has artes doceri ac diſci, paucis nempe præceptis, exemplis vero pluribus, eorumque imitamentis perfrequentibus, iisque emendatis ſubinde. Quæ enim in artibus ignobilioribus diſcenda ſunt & dein exercenda, ea manuum miniſterio, aliorumque organorum corporis motibus nituntur abſolvunturque. Sed illa omnia in ſenſus incurrunt, eorumque ope diſcerni poſſunt, quemadmodum lippis notum eſt tonſoribusque. Quare non opus eſt, niſi ut tirones geneſin rei animo comprehenſuri, paucis præceptis doceantur nomina rerum & operationum, nonnunquam & rationem quarundam, ut jubeantur attendere ad ſingula quæ fiunt, dum res formatur (§.

687.

687. *Logic.*), & dum hæc memoria tenent, adigantur ad crebram imitationem, & quæ male facta ſunt, aut ſi fieri poteſt, corrigantur, aut reprehendantur, vel rejiciantur, ut rectius agere diſcant, aut ſi quam negligentia meretur, pœnam luant.

Adeſt in hoc modo docendi & diſcendi aliquid diſtinctionis, ita tamen, ut multum confuſionis reſtet. Diſcernunt quidem tirones, & multo magis eorum magiſtri res, quibus indigent, ſuisque appellant nominibus. Diſcernunt quoque actiones ad geneſin operum artis neceſſarias ſimili modo. Tenent, quæ didicere, actionum ordinem & nexum ſervandum, ne ſcopo excidant. Sed parum vel nihil explicare & demonſtrare valent eorum, quæ agunt, & quæ inſunt operibus ſuis. Inde vel magiſtri artis ſuæ Syſtema condere nec audent, nec poſſunt, & tantum non omnes negarent, id fieri a quoquam poſſe. Receptus inde ubique gentium eſt hic modus clare quidem ſed confuſe diſcendi, tenendique artes ignobiliores propterea, quod 1) rei ditati & captui plebejo is apprime convenit, & dum illa manebit, aliter habere non poterit; 2) exercitium harum artium quotidianum requirit, ut iſta potius quomodocunque memoriæ infixa ſint, quam ut diſtincte in libris perſcripta proſtent, & ignorentur; 3) exempla & imitamenta compendio ſunt inſigni cuo in rebus practicis præſertim facilioribus. Hic enim ſi unquam illud valet, longum iter per præcepta, breve per exempla, ſi nimirum attente conſiderentur nec tantum imitanda ſumantur, ſed & imitatio ſubinde magis magiſque perficiatur. De modis perfectiora conſequendi, dicetur poſthac.

§. 312.

Ubi confuſus rationis uſus non ſufficiat? *Quo majoris vero momenti ſunt res diſcendæ, eo minus confuſa earum notitia ad ſalutem publicam ſufficit, & eo quoque exquiſitiore cura indigent earum cognitio conjunctis viribus promovenda.* Levioris enim momenti res & artes obtineri quidem confuſo rationis uſu poſſunt, utpote ad quas is utcunque ſufficere poteſt (§. 309

(§. 309.). Quapropter cum confusus ille habitus non nisi ad operas artesque vulgares sufficiat, sequitur eundem ad operas artesque non vulgares minime suffecturum esse. Sed ejusmodi sunt res majoris momenti, ab hominibus salutis publicæ causa discendæ. Quo majoris igitur momenti sunt res discendæ, eo minus confusa earum notitia sufficit.

Sed quo minus in earum confusa notitia adquiescendum est, eo major opera danda est distinctæ earum cognitioni. Hujus adquisitio ideo perfectioribus indiget magistris, majoribusque sumtibus, quibus illi indemnes præstantur. Cum vero pleraque civium pars paupertate laboret, saltem tenui gaudeat patrimonio, tot impendiis impari: conficitur, conjunctis viribus operam esse navandam, ne cuiquam sumtus graves fiant, qui illarum rerum scientia est instruendus. Constat igitur, quo majoris momenti sunt res addiscendæ, eo exquisitiori cura opus esse, ut earum cognitio in promtu habeatur, & habitu eas tractandi perficiatur.

§. 313.

Quæ scientiæ & artes sint provehendæ.

Scientiæ & artes nobiliores, ad salutem publicam necessariæ deprehensæ, conjunctis viribus sumtibusque in civitate sunt provehendæ pactisque & legibus stabiliendæ. Quo enim majoris momenti sunt res discendæ, eo exquisitior cura adhibenda est, ut unitis viribus promoveantur (§. 312.). Sed nullæ res discendæ sunt majoris momenti, quam scientiæ & artes nobiliores, ad salutem publicam necessariæ, cum salus publica omnium suprema lex & mensura sit in civitate (§. 86. *P. VIII. Jur. nat.*). Nihil ergo liquidius est certiusque, quam scientias artesque nobiliores, salutis publicæ gratia necessarias, conjunctis viribus sumtibusque in civitate esse provehendas perficiendasque.

Quia subinde multa pro civitatis sæculorum & ingeniorum indole mutantur saltem variare possunt, ea, quæ rata esse

& obſervari debent pactis legibusque ſunt matura deliberatione prævia definienda & ingeniis, locis temporibusque accommodanda. Neque enim omnia omnibus placere pro diverſitate captus & nationum poſſunt. Neque optima factu quæ ſint, illico prævidentur ubique. Longa ergo dies, aliorumque temporum & locorum uſus ſubinde meliora ſuggerere, aut & reformare recte inſtituta ſed degenerantia & depravata docent. Interim quo prudentior eſt civitas, quoque appetentior ſalutis omnigenæ, eo magis curabit, ut quæ in his ab arbitrio pendent, quam optime & inſtituantur, & emendantur, & pactis legibusque idoneis ſtabiliantur (§. 192. *P. I. Philoſ. pract. univ.*).

Vti ignobiliores artes exiguo tantum intellectus uſu indigent, & corporis habitu potiſſimum peraguntur: ita nobiliores præſtantiam & culturam mentis potiſſimum requirunt (§. 791. *Oecon.*). Quibus mixtæ aliquatenus adjungendæ ſunt in gradu tamen inferiori (§. 796. *ibid.*). Quatenus in his item in illiberabilibus & ſordidis eximia opus eſt inventione aut emendatione, eatenus præſtantiori opus eſt intellectu ejusque cultura ad iſta reperiunda & ad captum vulgarem accommodanda.

§. 314.

Quæ ad illas referenda ſint in artibus ignobilioribus?

Ad artes nobiliores merito referuntur ſublimiora, in artium ignobiliorum detectione, emendatione & directione ad ſalutem publicam neceſſaria. Sublimiora enim in artibus vulgaribus inſignem requirunt ſcientiam & ſapientiam in rebus non tantum illis, quarum cultura aut uſus amplificari debet, verum etiam in multis aliis rebus privatis & publicis, ad quas illæ ſunt exigendæ. Vbi ſint illa ſublimiora, non niſi profundiori ſolidiorique perſpicaciæ pervia, facile perſpicitur ſi attendas ad inventionem eorum, quæ in his ſunt ignota, vel ad emendationem eorum, quæ meliora eſſe poſſunt, quæ pariter meliorum inventionem requirit, vel ad directionem illarum ad ſalutem publicam,

quæ

quæ ſublimem regendi artem ſcientiamque regiam exercet. Quæ cum præſtantiam mentis ejusque culturæ non vulgarem poſtulare, nemo infitias ſit iturus, qualis non niſi in nobilioribus nobiliſſimisque artibus habetur (§. 370. *Ethic.* & 30. *Polit.*): patet luculenter, ad artes nobiliores merito referri ſublimiora in artium ignobiliorum detectione, emendatione & directione, ad ſalutem publicam requiſitis adhibendisque.

Relinquitur hinc, primordia artium quoque vulgarium eguiſſe non vulgari uſu & habitu rationis, ſaltem quatenus ad tale præſtantiæ faſtigium perduci debuerunt, quale admittunt. Vti enim hodieque nova deteguntur ab illis, qui ſublimiori gaudent ſcientia & arte inveniendi pollent, deinde jam inventa revocantur ad regulas & praxes confuſo intellectus uſu & habitu capiendas exercendasque: ita olim cæteras artes humanas inventas eſſe excultasque, facillima aſſequimur conjectura. Neque id negare audent, qui in iisdem vulgatis poſtea artibus vitam terunt conſumuntque, quando in eam incidunt aut deducuntur quæſtionem, quomodo illa plane ignota potuerint detegi & in iſtam redigi formam, qua jam ſunt uſitata. Quantæ nunc v. g. facilitatis eſt ars vulgatiſſima animi ſui ſenſa eloquendi ita, ut ab aliis dicta bene capiantur? Et quantæ difficultatis eſſe debuit illius artis grammaticæ inventio, emendatio, perfectioque? Quare nulla ars tam vilis & abjecta cenſenda eſt, quæ non præſtanti ingenio & arte invenienda fuerit. Proprie rerum omnium inventio divinæ eſt originis, maxime ſublimis, cujus non nihil ſuo tempore hominibus communicatur.

§. 315.

Quid circa delectum vitæ generis curandum ſit?

Sunt & nonnullæ partes rectoris civitatis in regendo vitæ generis delectu, ne inepti, nec juſto plures certo vitæ generi deſtinentur. Qui enim ad ſcientias & artes perficiendas apti ſunt, ii omni modo juvandi ſunt, ut iisdem vacare poſſint (§. 427. *P. VIII. Jur. nat.*). Similiter qui ad certum vitæ genus apti ſunt, illi omni modo adjuvandi ſunt, ut idem ſequi poſſint, inprimis

tamen illi, qui præclari quidpiam in eo ſunt præſtituri, parum apti vero ab eodem arcendi (§. 428. *ibid.*). Licet igitur parentum ſit, liberos convenienti vitæ generi deſtinare, cui ipſorum facultates reſpondeant (§. 331. *Oecon.*); quia tamen id eſſe debet ejusmodi, cui non tantum apti ſint, ſed & in quo ſe utiliores aliis præſtare poſſunt (§. 719. *P. VII. Jur. nat.*), & parentes aut ignorantia, aut vanitate quadam affectuum errare ea in re ita poſſunt, ut resp. inde detrimentum ſentiat: rectoris civitatis eſt, cavere ne id fiat, dum ea facere obligatur, quæ ad bonum publicum promovendum requiruntur, ea vero impedire, quæ eidem adverſantur (§. 84. *P. VIII. Jur. nat.*). Quocirca recte ſciſcimus, eſſe nonnullas partes rectoris civitatis in regendo vitæ generis delectu, ne ſcilicet affectu & errore parentum ad certum vitæ genus deſtinentur, qui ad illud ſunt inepti, multo aptiores utilioresque civitati in alio vitæ genere, ad quod aptiores ſunt, futuri.

Præterea quia publica juſti civium numeri procuratio ejusmodi requirit inſtituta, quibus juſtus civium numerus obtineatur perpetueturque (§. 249), & juſtus eorum numerus in quolibet vitæ genere eſt perpetuandus, qui idem ſequuntur (§. 425. *P. VIII. Jur. nat.*): rectoris civitatis partes circa delectum vitæ generis regendum etiam ad numerum pertinent definiendum, ne ſcilicet parentes, ignorantia quadam aut errore inducti, plures certo vitæ generi adſuefaciant, quam quibus indiget juſti numeri perpetuatio, & quibus beandis civitas par ſit. Licet igitur non inepti eſſent futuri ad illud vitæ genus, cui deſtinantur; tamen vel ideo, quia illorum exitu e civitate, ſi fortunandi ſint, civium numerus perperam minueretur, vel manentes in civitate fortunari in iſto vitæ genere non poſſent, in alio & ſibi & reip. magis expedituri: rectoris civitatis eſt, cavere ſua autoritate, ne plures juſto illi deſti-

destinentur, sed vel ineptiores ad illud, aptiores vero ad aliud, alii huic destinentur; vel pariter quidem apti ad plura vitæ genera illi dedicentur et adhibeantur, in quo sibi & reip. utiliores sunt futuri.

Obstat interdum parentum quorundam imperitia, ut non nisi suo vitæ generi liberos consecratos cupiant, aliorum aut ignari, aut sibi nimium suffeni; interdum aliorum affectus, v. c. odium, quo in alia vitæ genera feruntur, suo tantum bene cupientes, filios ab alio discendo absterrentes, filiasque a matrimonio in alio vitæ genere avocantes; avaritia, qua lucrosiori vitæ generi inhiant, eique liberos dicatos unice cupiunt; ambitio, qua si ipsi adscendere altius nequeunt, liberos tamen aliis anteferri, & ita participes fieri filiorum aut & filiarum elocatarum autoritatis, honoris & potentiæ gestiunt. Quæ si Rector civitatis observet contra commoda publica invalescere, omnino ipsius est, indicatis rationibus ostendere, quam male ita rei privatæ & publicæ consuleretur, ideoque severe prohibere, ne id fiat, addita pœnæ convenientis comminatione, illis vel parentibus, vel tutoribus, vel magistris, qui contra hanc legem sint quidquam designaturi. Exempli loco esse possunt plures justo opifices certi generis, aut mercatores, qui ipsa multitudine nimiaque copia se invicem perderent & alios, & violatæ fidei ignominiam non suo tantum ordini, sed & civitati contraherent, uti olim græca vel punica fides macula & approbrium gentis facta est, quæ commercia non minuit solum, verum & sæpenumero ruinæ dedit. Similis ratio esset juvenum, qui inepti ad studia vel suo vel parentum fastu feruntur, aut & justo majori numero literis operam navant, ut deinceps sibi invicem impedimento, aliis vero oneri, ipsique eruditioni dedecori sint, quando saltem hoc objici ipsis potest; nullius usus esse studia famelicis, cum in alio vitæ genere qui didicit, quæ debet, fortunæ suæ faber facile fiat. Ne quid dicam de monachorum & monialium copia, persæpe otiosa, aliisque onerosa.

§. 316.

Vti habilitas ſit exploranda?

Quinam apti ſint futuri, de eo magiſtrorum judicium ex captis debite experimentis pro conſcientiæ religione eſt ferendum, interpoſita circa iniquitatis querelam ſuperiorum deciſione. Quodammodo quidem parentes audiendi ſunt, quibus de cauſis liberos certo vitæ generi aptiores judicent, ut intelligatur, rectene uſi ſint officio ſuo (§. 331. *ſeq. Oecon.*), an cœcum liberorum imperium, aut præjudicia ſequantur. Quia tamen errare poſſunt parentes, & haud raro errorum cauſis indulgent (§. 315.), liberi vero frequentius erroribus ducuntur, ſi illis indulgeant parentes: veniendum a magiſtris eſt in rem præſentem, ut explorent ingenium, & obſervent, uti ſe primordia dent. Captis enim tirociniorum experimentis hi pro ſua peritia & dexteritate rectius, quam quisquam, judicare poterunt, quid ſperandum de illis ſit, quid minus? Qua in re ut eo incorruptius ſe gerant, pro conſcientiæ religione adſtringendi ſunt, ne in ferendo judicio ſuo a veritate recedant ſub mulctæ metu ſolvendæ, ſi per alios ejusdem artis magiſtros juratos redarguerentur. Ne quid igitur affectibus detur, locus erit relinquendus parentum eorumve vicariorum querelæ de iniquitate judicii, ſi quis immerito rejectus videatur, ſub alia mulcta, ſi judicium præcedens confirmaretur. Oborta quadam diſſenſione non nullius momenti, aut ambiguitate, ſuperiorum deciſione res erit definienda, & mulcta exigenda, vel prænumeranda in caſum querelæ damnatæ.

Vt plurimum relinquitur hoc judicium privatis ſeu parentibus, ſeu tironibus, neque curatur, quomodo illi ſibi, quoque modo publicæ conſulant rei. Satis videtur proviſum huic, ſi ad magiſterium adſpirantes ſpecimina artis ſuæ edere jubeantur. Quæ vero ſi non ſint, qualia eſſe debent, res redit ad reprehenſionem quandam & mulctam, quæ ſi ſolvatur, nihilominus magiſterio donatur ſatis eo indignus. Suo enim periculo id tantum

tum fieri creditur, cum tamen alii multum inde damni sentiant, qui modis quibuscunque inducuntur, vel & publica autoritate adiguntur, ad emenda non alia quam civium opera. Quæ damna in plurimos redundantia, utique essent avertenda, & averterentur procul dubio curatiori exploratione habilitatis, & speciminum publicorum necessitate, cum præmiis pœnisque conjuncta; nec non æmulatione in gradibus præstantiæ. Si enim præstantiores in sua arte magistrorum socios major, cæteris minor merces statueretur, & opera præstantiora carius, cætera quanto sunt vilius essent emenda ac vendenda; id utique non posset non universis expedire, fraudibus autem dolisque adversum tenere.

§. 317.

Vnde constare possit de justo numero?

Justus vero tironum boëthorumque numerus judicandus est tum ex numero magistrorum justo, tum ex horum indigentia illorum ad labores suos absolvendos. Justa enim magistrorum frequentia æstimatur pro re civitatis nata ex rerum uti naturalium ita artificialium cultura ad usus quam amplissimos sufficienti (§ 233.); & ex florenti eorundem pariter ac cæterorum civium statu (§. 245. seq.). Quam obrem cum laboribus opus sit ad opera quam optime efficienda, & viliores operæ per tirones, præstantiores autem, quibus solus magister non sufficit, per adjutores artem probe callentes, qui boëthi appellantur, efficiendæ sint; liquet pro laborum præstandorum copia numerum tironum, sociorumque esse definiendum, uti a quovis magistro in sua officina, ita quoque ex horum opitulatorum numero per idoneam annorum seriem notato & illius medio assumto a rectore civitatis, ejusque vicariis. Quam diu nempe idem manet civitatis rerumque & commerciorum status, tamdiu quoque idem sufficiet numerus. Mutato autem statu publico in melius, majori; in deterius, minori opus erit horum opitulantium numero, quantum scilicet mutationis ratio requirit.

Gene-

Generatim igitur ex magistrorum justo numero, eorumque indigentia de justa tironum boëthorumque copia erit statuendum.

Ob incerta rerum humanarum fata non tam stricte inhærendum est numero medio reperto, ut nihil ultra illum indulgendum sit. Sufficit enim, si opera detur, ne eadem civitatis facie manente facile infra istum numerum consistat sodalium & tironum frequentia. Quanquam enim aliunde arcessi solent, quando desunt, hoc tamen extra casum necessitatis consultum non est. Lucrarentur tunc peregrini, quod indigenis debetur, & denegari possent, aliamve ob causam fastidire exteros. Proinde si magistris, quærentibus tirones vel sodales, hi nollent æquis conditionibus subvenire, vel magistratus autoritate imperari posset, ne id fiat, nec immorigeris id impune cedat. Aliquanto major numerus eo facilius concedendus est, quod mors & contagia inopinato sæpe multos civitati eripit aliorum auxiliatores, quo casu commodum accidit civitati, si ex abundantibus sint, qui loca vacantia supplere possent indigenæ, & patriæ amantes. Præterea quoque nihil nocet ars illis, qui deinde aliis reip. operis destinari possunt, e g. qui militiæ aliquamdiu nomen dent, & vacantibus horis suam artem commilitonum commodo exercent; vel inde donati aut quomodocunque dimissi denuo arte sua honeste vivere possint.

§. 318.

Quid circa scholas privatas curandum?

Est quidem ditioribus permittendum, ut liberos suos privatim artibus & scientiis imbui curent, modo caveatur, ne quid ibi doceatur, quod publicæ saluti repugnaret. Obligantur enim parentes ad perficiendos liberos suos, quantum possunt (§. 642. *P. VII. Jur. nat.*), neque est, cur exspectent ab aliis, quod ipsimet liberis suis per se vel alios præstare possunt (§. 332. *seq. P. I. Phil. pract. univ.*). Ditiores vero parentes abundant opibus, ideoque possunt liberis suis institutionem in scientiis artibusque, si non per se ipsos, saltem per præceptores privatos quos domi suæ alant (§. 432. *P. VIII. Jur. nat.*). Ea propter cum opera danda sit in civi-

civitate, ut qui ad legem naturæ ſervandam proni ſunt, juventur, nec ab aliis impediantur (§. 345. *ibid.*): parentibus quoque locupletioribus permittendum eſt, ut liberos ſuos privatis præceptoribus imbui curent ſcientiis & artibus ad quas idonei deprehenduntur: præſertim quando ea in re non niſi felicitatis liberorum ſuorum rationem habere intelliguntur, ſaltem habere ſibi videntur.

Quia vero ſalus publica ſuprema lex eſt omnium in civitate agendorum permittendorumque (§. 86. *P. VIII. Jur. nat.*); neceſſe eſt, ut privata quoque inſtitutio liberorum ſaluti publicæ conformetur. Hinc ſi innoteſceret, privata inſtitutione errores reip. pernitioſos invehi & diſſeminari contra leges civitatis; vel ſi injuria in ſcholas publicas tententur: ea utique permittenda in civitate non eſſent, ſed prohibenda potius, & omnino impedienda, prout ſalutis publicæ ratio flagitaret. Cavendum ergo, ne quid inſtitutione privata fiat, quod ſaluti publicæ adverſetur.

Male contra hæc adduceretur id, quod (§. 430. *P. VIII. Jur. nat.*) docetur, ſcilicet parentes vi compellendos eſſe ut publicæ inſtitutioni liberos ſuos committant. Patet enim illico, ſi omnia perluſtres, ibi non agi niſi de parentibus curam educationis liberorum negligentibus. Cujusmodi haud quaquam ſunt, qui curam privatæ inſtitutionis vel ipſi ſuſcipiunt, vel per alios ſuis ſumtibus liberis præſtant. Neque tamen hæc in detrimentum inſtitutionis publicæ vertenda ſunt, ut illa præter meritum contemnatur, calumniis oneretur, & ſic autoritas publica elevetur. Neque minus ferenda eſſet errorum peſtilentium, uti Atheismi & ſimilium, vel ad ſeditionem rebellionemque vergentium inculcatio diſſeminatioque (§. 473. *l. c.*).

§. 319.

Cur opus ſit ſcholis publicis.

Quoniam in primis ſcientiæ artesque nobiliores, ad ſalutem publicam neceſſariæ, conjunctis viribus ſumtibusque in civi-

(*Wolfii Politicæ P. II. S. III. C. I.*)

civitate ſunt provehendæ (§. 313.): *publica tributa ita ſunt inſtituenda, ut eorum, quantum ſufficit, deſtinetur impendaturque ſcholis publicis quam optime ad ſalutem publicam conſtituendis.* Qui enim ad ſcientias & artes perficiendas apti ſunt, illi omni modo juvandi ſunt, ut illis vacare poſſint (§. 427. *P. VIII. Jur. nat.*). Sed cum omnes fruantur commodis ex ſcientiis & artibus nobilioribus oriundis, omnes quoque pro opibus quidquam conferre debent ad ſumtus ſcholis publicis, in quibus doceantur (§. 433. *ibid.*), impendendos. Vt vero ſcopus ex aſſe obtineatur, non tam conſultum eſt, ut ſeorſum ſymbolæ pro ſcholis imperentur & colligantur, ne qui ſegniores ad iſtas ſint, aut temere opinentur, iſtos ſui cauſa non eſſe neceſſarios, quam ut ſub aliis publicis tributis comprehendantur. Præterea ob eandem rationem tot quoque adhibendi & dicandi ſunt ſcholis publicis quot ſufficere poſſint iis quam optime ad ſalutem publicam inſtruendis.

Eſſet quidem re ipſa perinde, utrum ſeparatim darentur illæ ſymbolæ, an conjunctim cum aliis, nec deſunt loca ubi ſeparata ſunt impendia ſcholaſtica a reliquis. Sed quia tenues eſſe ſolent, oneroſum & ſumtuoſum eſt, ratas illas ſeorſum colligere & querelis minutis inutilibusque circa earum collectionem fores aperiuntur. Quare cum non faciendum ſit, quod oneroſum ciuibus ſit, & quod uno actu fieri poteſt, fruſtra pluribus peragitur: præſtat hæc impendia cæteris imputari & exigi una cum iisdem, velut unicum, particulatim tamen diverſis temporibus ſolvendum, uti fieri conſuevit, ita ſimul cavetur, ne detrahatur ſcholæ publicæ obtentu ſumtuum in privatam inſtitutionem faciendorum.

Quoniam vero ſcholæ publicæ præſertim & curatius ad ſalutem publicam ſunt inſtituendæ, quam fieri privatim conſuevit, nec in illis tolerandum eſt, ut quidquam doceatur & fiat ſaluti publicæ adverſum (§. 318.). Ea de re præſcribendum eſt præceptoribus, qui id ignorare, aut modum docendi perverſum &

ineptum ſequi poſſent, & quid ipſis ſit docendum, & quomodo; & quid illis faciendum ſit fugiendumque, ut diſcentium & intellectus perficiatur & voluntas. Quare quæ compendia doctrinæ ipſis ſint adhibenda, explananda & in ſuccum & ſanguinem diſcipulorum vertenda, ipſis & injungendum eſt, & curandum atque in examinibus explorandum eſt, num fiat id, quod fieri debet. Si quid enim neglectum, aut ſecus ac par erat, factum eſſe deprehendatur, id reprehendendum & mature corrigendum erit. Eadem quoque ſalutis communis provehendæ ratio requirit, ut eligantur ejusmodi inſtitutionum compendia, quæ in ſcholis ſuperioribus non ſint dediſcenda, ſed quibus potius ſuperſtruenda ſint deinceps altiora. Spectari enim ſcientiæ & artes poſſunt & ſolent, ut ædificia in mente exſtruenda, quorum fundamentis rite jactis reliqua deinceps firma compage ſuperſtruantur, ut ſyſtema evadat immotum liberumque a metu everſionis.

§. 320.

De ædificiis ſcholarum publicarum.

Scholarum publicarum ædificia ubi requiruntur vel publicis ſumtibus ſunt exſtruenda conſervanda & reparanda vel privatis indemnitas præſtanda. Scholæ enim publicæ requirunt loca, in quibus publica autoritate inſtitutio liberorum peragatur (§. 433. *P. VIII. Jur. nat.*). Sed hæc loca tantum non ubique contra varia impedimenta ſtudiorum inprimis aëris injurias includenda & munienda ſunt ædificiis, in quibus docentes diſcentesque partim doceant & diſcant: partim habitare commode poſſint. Quæ cum multos ſumtus requirant, & ſcientiæ artesque nobiliores communibus ſumtibus provehendæ ſint (§. 313.): in aprico eſt, ſcholarum publicarum ædificia ſicubi requiruntur publicis ſumtibus in communes uſus eſſe exſtruenda. Si privatis exſtruenda eſſent, opera danda ut illorum cauſa indemnes præſtentur. Quoniam ædificia indigent conſervatione, eorumque, quæ vel læſa ſunt, vel collapſa, reparatione; ut omnes

quos possunt, usus præsenti & futuræ posterorum civitati præstent: eadem ædificia scholarum aut publicis quoque sumtibus conservanda sunt & quando opus est, restituenda (§. 319), aut privatis indemnitas est procuranda.

Data opera dixi, ubi requiruntur ædificia publicis scholis destinata: quia partim non omnium climatum eadem est ratio, partim copia tanta non habetur, quorum causa fierent, partim sumtus excederent vires. Judæis erant scholæ Prophetarum, qui modo sub dio e monte, navi, in deserto docebant, modo in ædificiis, quæ sibi discipuli struebant 2 *Reg.* VI, 2. *seqq.* 1 *Sam.* X, 10. *seq.* 2 *Reg.* IV, 25. *seqq.* I, 9. *Matthæi* III, 1. *seqq.* IV, 23. V, 1. *seqq.* XIII, 2. XV, 29. item in superiori ædium parte & cœnaculo *Act.* I, 13. XX, 8. Inter Græcos Plato docebat in nemoroso agello & villa Academi, Aristoteles in Lyceo, loco suburbii atheniensis, in quo milites exercebantur in artibus bellicis, ejusque ambulacro s. peripato *Cicero Acad. Quæst. I. c.* 4. pariter Stoici a stoa, porticu variegata, & Cynici a cynosarge, ubi docebant, denominati sunt. Inter Sinas Confutius legitur privatus scholam aperuisse tanto quidem applausu, ut ter mille discipulos nancisceretur. Post cujus fata Gymnasia in omnibus urbibus oppidisque instituta, ejus disciplina personant. *Vid. Bruckeri Hist. Philos. T. IV. p.* 860. *seq.* Vbi non nisi pauci instituendi sunt, ibi intra privatos parietes institutio fieri potest, quemadmodum & ibi privatæ scholæ habentur, ubi publicæ prostant. Ita plerumque puellæ domi suæ, aut in privata domo a magistra quadam instituuntur in artibus femininis, nendi, acu texendi, pingendi, faciendi funiculos, limbos, fimbrias egregie distinctas & denticulatas, & alia ornamenta muliebria; in his ne quidem opus est publico sumtu, cum privatam plurium institutionem facile comparent mediocres sumtus privati, singularem autem sumtus ditiorum, aut operæ inopum institutioni eo pacto æquiparatæ. In iis autem, quæ utrique sexui discenda sunt in pueritiæ annis sufficere possunt scholæ utrique sexui communes.

§. 321.

§. 321.

Scholæ publicæ vel sunt inferiores vel superiores. In Scholis enim publicis (§. 313.) junctim curandum est ut rudes erudiendi facilius & absque sumtu oneroso instituantur in iis, quorum notitia ipsis est necessaria & utilis (§. 429. *P. VIII. Jur. nat.*). Excolendæ igitur in illis sunt facultates cognoscendi (§. 53. *Psychol. empir.*). Hæ autem facultates vel sunt inferiores vel superiores, illisque cognitio rerum clara quidem sed confusa, his autem distincta adquiritur per veritates, artes & scientias, (§. 54. *seq. ibid.*) quæ aliis magno usui fuere (§. 305.). Facultates cognoscendi inferiores sunt facultates sentiendi, imaginandi, fingendi & recordandi. *loc. cit. cap. 2 - 5.* Facultates autem superiores sunt facultas attendendi, reflectendi, abstrahendi, intelligendi &c. *ibid. Sect. III. cap. 1. sepp.* Scholæ inferiores docent ea, quæ memoria comprehenduntur; superiores intellectu comprehendenda (§. 434. *P. VIII. Jur. nat.*). Elucescit ergo, scholas publicas vel esse inferiores vel superiores, & inferiores præcedere ac præparare ad superiores, quæ Gymnasia, athenæa, lycea dudum nuncupantur.

Sbolæ vel inferiores vel superiores.

Obligantur homines ad facultates mentis suæ perficiendas, & habitu iis utendi quam optime instruendas (§. 197. & 209. *seqq. P. I. Jur. nat.*). Sed in prosequendis officiis suis adjuvandi sunt in civitate & republica (§. 427. *P. VIII. Jur. nat.*). Ergo juvandi quoque sunt, qui animum suum rerum salutarium cognitione imbuere gestiunt, vt faciliori negotio, & sine multis sumtibus ad rerum illarum cognitionem pervenire queant. Faciunt huc Scholæ publicæ ita instituendæ, ut modo facillimo salutarium rerum cognitio adquiratur, earumque adquisitio ob symbolarum multitudinem exiguo sumtu comparari possit, vel in iis, quæ privatim docenda sunt; publicis sumtibus in publice, hoc est gratuito, docendis. Iam quæ discenda sunt, vel ope sensuum sunt observanda, & ope imaginationis revocanda in mentem,

tem, rebus vel maxime abſentibus, vel ope fictionis commini-ſcenda, & memoriæ mandanda. Inde Scholarum inferiorum munus verſatur circa imbuendam mentem ſalutarium rerum ob-ſervationibus accuratis, circa ampliandam imaginationem, per-ficiendum fingendi habitum, & circa memoriam amplificandam. Quæ memoria, quia præmiſſis facultatibus producta promte red-dere debet et recognoſcere, in Scholis inferioribus potiſſimum excollenda eſſe intelligitur. Hæc memoria quoniam non eſt niſi rerum confuſe perceptarum; ſenſitiva eſt, beſtiis commu-nis, nec confundenda cum memoria intellectuali: Deinde ad-quiescunt Scholæ inferiores in memoria imbuenda variarum re-rum cognitione confuſe, nec rationes tenent vel tradunt eorum, quæ memoriæ ſuggerunt ediſcenda & inculcant. Scholæ autem ſuperiores diſtinctam rerum & rationum, cur res ita ſint, ex-plicationem præſtant, ideoque excolunt intellectum. Scholæ inferiores noſtratibus dicuntur **niedrige Schulen**, vel **unter-Schulen** aut ſimpliciter **Schulen**; ſuperiores autem **Oberſchu-len** vel **hohe Schulen.**

§. 322.

Inferiores vel triviales res. ſunt vel vulgares.

Scholæ inferiores vel *triviales* ſunt, vel *infimæ ſeu vulga-*res. Hæ docent in omni vitæ genere cognitu ſalutaria, ſcili-cet legere, ſcribere, computare & religionis elementa. Illæ do-cent præparationem ad uſum facultatum ſuperiorum in erudi-tione tribus potiſſimum artibus liberalibus, gramatica, rheto-rica & poeſi præter hiſtoriam & elementa de Deo. Poſteriores ludi literarii dici ſolent, quoniam literarum primordia & præ-ludia tractant, & ita tractare debent, ut ludi inſtar addiſcan-tur jucunde, infimæ etiam ludi inde dicuntur. Hinc qui illis præſunt ludi magiſtri vocari conſueverunt. Plerumque Scho-larum nomine veniunt vel vulgares, vel triviales vel ambæ.

Triviales dicuntur ludi hi a trivio hoc eſt tribus primis arti-bus liberalibus & verbalibus Grammatica, rhetorica & poëſi. Sic *Juſtinus L. 21. c. 5.* ait: Dionyſius ludi magiſtrum profeſſus pueros

pueros in trivio docebat. Et *Horatius Art. Poët. v. 246.* caveant Fauni, ne velut innati triviis ac pæne forenſes aut nimium teneris juvenentur verſibus unquam. *Quintilianus* vero *L. I. 4.* in verbis, inquit, quis eſt adeo imperitus, ut ignoret genera & qualitates & perſonas & numeros? literarii pæne iſta ſunt ludi & trivialis ſcientiæ; alio nomine humaniora dici ſolent ea quæ in ludis trivialibus diſcenda ſunt & docenda (§. 277. *Oeconom.*). Quibus nonnulli rudimenta logicæ adjungunt. Quorum reſpectu in Scholis vulgaribus docenda ac diſcenda non immerito *humana* dicerentur, & ſi in gradibus pergere placeret, reſtarent pro ſuperioribus ſcholis *humaniſſima.* Dici etiam poſſet, in ſcholis infimis doceri plerumque pueros & puellas in trivialibus adoleſcentes, hisve ſimiles.

§. 323.

Quanta ſcholarum copia requiratur.

Scholarum inferiorum copia juſta in qualibet civitate eſt conſtituenda. In omni enim civitate cives propagantur per liberos, (§. 270.), ideoque magna adeſt liberorum copia, quorum educatio & inſtitutio ad vitam civilem conjunctis viribus eſt promovenda (§. 303. *ſeqq.*). Enim vero cum ubicunque magna eſt hominum copia, multi quoque procreentur liberi, & perpauci parentes cum iſta gaudeant facultate, quæ ad inſtituendos liberos requiritur, tum iſta ab aliis negotiis curandis vacatione: neceſſe eſt, ut ſuas partes aliis demandent. Perpauci vero tam locupteles ſunt, ut alere liberorum ſuorum præceptores poſſint: ideo communibus ſumtibus id faciendum eſt in ſcholis inferioribus. Quæ ſi vulgares ſint, vel in infimo civium genere requiruntur ad humanam præſtantiam utcunque tuendam; ſi vero triviales, in eorum commoda ſunt inſtituendæ, qui ſe literis conſecrare humanioribus decreverunt (§ 322.). Proinde pro copia eorum, qui vel in ſcholis vulgaribus ad legendum, ſcribendum, & arithmeticam vulgarem manuducendi, vel in trivialibus ad humaniora formandi & ad ſublimi-

ſublimiora præparandi ſunt. ſufficiens numerus ſcholarum in qualibet civitate eſt conſtituendus, conſervandus, augendusve.

Eædem rationes, quæ juſtum civium numerum poſtulabant, poſtulant quoque juſtum ſcholarum numerum. Intereſt enim ſalutis publicæ, ut in civitate ſint homines, & cives boni; cuiusmodi eſſe non poſſunt, niſi vel privata vel publica inſtitutione formentur. Quam ob rem cum multis rationibus Scholæ publicæ commendentur, ſuaque manifeſta & utilitate & neceſſitate & præſtantia gaudeant præ privatis: earum quoque numerus eiusmodi eſt procurandus, qui ſufficiat quidem ad earum ſcopum conſequendum, non tamen abundet, & ſuperfluas fruſtra tantum civibus oneroſas, complectatur.

§. 324.

Vnde æſtimandus ſit juſtus ſcholarum numerus?

Vulgarium Scholarum juſtus numerus in ſe æſtimari poteſt ex tot parentum copia, quot ſufficiunt ad comode alendum præceptorem liberorum ſuorum, vel communem ludi magiſtrum, ſuffeceruntque alibi in ſimili ſtatu. Scholæ enim in ſe ſunt inſtituta civilia ad liberorum communem diſciplinam comparata (§. 433. *P. VIII. Jur. nat.*), quarum juſtus in qualibet civitate numerus eſt conſtituendus (§. 323.), qui inde nec abundare debet, nec deficere (§. 239). Non deficiet is, ſi ubicunque tot adſunt parentes, quot ſufficiunt indemnitati, ludi magiſtri præſtandæ, pro opera in liberorum inſtitutione ponenda, ibi ſchola conſtituatur aut adſit. Non abundabit, ſi parentes commode eos, qui conſtituti ſunt, præceptores alere, vel indemnes præſtare poſſunt ob docendi operam, liberis impedendam. Superfluæ autem illæ erunt, quæ ibi non ſine inſigni parentum incommodo & damno condi atque ſuſtentari poterunt. Quia parium par, & ſimilium ſimilis eſt ratio determinandi (§. 220. *Ontol.*); ſi alibi ſimilis eſt parentum ſtatus, & perſpectum habetur, quot ſcholæ ibi ſuffecerint tot parentibus, nec oneri fuerint, colligi inde poteſt, quot alibi pariter ſint ſuffecturæ. Quare juſtus ſcholarum numerus inde

inde quoque poteſt æſtimari, ſi conſtet aliunde, quot parentibus, in ſimili ſtatu poſitis, ſcholæ alibi nec oneri fuerint, nec impares ſcopo.

Forte cuipiam aptius videatur, ſi liberorum potius, quam parentum numeri ratio habenda diceretur. Licet vero liberi in ſcholis ſint inſtituendi, tamen horum numerus paulo major aut minor parum ad rem præſentem facit, quia de ſumtibus agitur, ad ſcholas condendas conſervandasque neceſſariis. Hi vero a parentibus ſunt ſuppeditandi. Vnde horum rationem potiſſimum hic habendam eſſe diluceſcit. Neque liberorum numerus propterea negligitur, quia liberi a parentibus procreantur, & ſucceſſu ætatis eorum locum ſupplent.

§. 325.

Aliud principium idem dijudicandi.

Vbi templa habentur & verbi divini præcones, ibi concludi veriſimiliter poterit; totidem quoque ſcholas eſſe habendas, quot templa. Hoc caſu enim ſufficit illa civium multitudo ad alendum doctorem adultorum, majori ſumtu; quidni ergo ſufficeret quoque alendo ludi magiſtro? Et quum adultorum numerus par fere ſit liberorum numero, aut eo plerumque minor, ſi is indiget peculiari Eccleſiaſte, etiam hic præceptore egebit.

Si experientiam conſulimus, hanc regulam fere ubique vigere obſervabimus, niſi quoddam peculiare intercedat obſtaculum. Sed ipſum ejusmodi obſtaculum diſparem oſtendet rationem, qua regula firmabitur in caſibus quibuscunque liberis ab eodem. Ponamus v. g. ipſum ſacerdotem ſimul agere poſſe & velle ludi magiſtrum; aut eſſe inter parentes quemquam ſuos liberos inſtituentem, eodemque negotio ſimul & alienos docentem. Et patebit, ubi nil hujusmodi occurrit, ibi regulæ locum eſſe relinquendum.

§. 326.

Quid claſſes ſint in ſcholis.

Quia diverſa dantur genera rerum diſcendarum, ſeu comparandorum habituum mentis, qui adquiri non poſſunt, niſi

(*Wolfii Politicæ P. II. S. III. C. I.*) Fff

nisi ab iis, qui eorum sunt habiles, discipuli segregandi sunt in diversos cœtus, ut qui pauciorum sunt habiles, in cœtu inferiori, & qui plurium ac majorum sunt habiles in cœtu superiori contineantur & congregentur. Separati cœtus discipulorum e diverso gradu habilitatis oriundi, ideoque & ad peculiaria discendorum genera vel disciplinas adstricti, *classes*, & in Gymnasiis (§. 321.) curiæ civium vocantur, metaphora a romanis civibus petita, qui in 30 curias dirimebantur. Quælibet curia in certa domo congregabatur, quæ pariter ab ipsis curia dicebatur.

Classes quoque romanis Civibus erant quinque, a censu digestæ & institutæ, a Servio Tullio. Quæ mox ad scholas translata fuit distributio multitudinis. *Quintilianus* enim *L. I. c. 2.* non inutilem, inquit, servatum esse a præceptoribus morem qui cum pueros in classes distribuerant, ordinem dicendi secundum vires ingenii dabant; & ita superiori loco quisque declamabat, ut præcedere profectu videbatur. Hujus rei judicia præbebantur, ea nobis ingens palmæ contentio; ducere vero classem, multo pulcherimum. Classes quoque per metonymiam dicuntur conclavia & auditoria classium.

§. 327.

Classes in scholis necessariæ & æmulatio.

Scholæ vulgares trivialesque secundum genera rerum discendarum & profectus discipulorum recte in classes dispescuntur, & loca in classibus secundum profectus majoresque deligentiæ gradus merentibus assignantur. Vti ordo in omni rep. est necessarius (§. 236. & *seqq. P. I. Polit.*); ita quoque in scholis ordo ipsarum scopo conveniens est adhibendus. Sed scopus scholarum est inferiores mentis facultates excolere, & imbuere memoriam rebus salutaribus (§. 321). Quæ res in scholis vulgaribus sunt lectio, scriptio & computatio, præter primordia religionis (§. 322); in trivialibus vero grammatica linguæ latinæ, historia, rhetorica & poësis (*ibid.*) vernacula & latina. Sed per se liquet in his rebus dari progres-

progreſſus quosdam naturales, inter quos infimum locum tenet lectio, tum ſequitur ſcriptio, & quia arithmetica indiget & lectione & ſcriptione, excipit ſcriptionem arithmetica, & religio inchoanda per traditam cognitionem Dei, ipſiusque operum, creationis, conſervationis & gubernationis mundi & legum hominibus datarum. In trivialibus præcedit grammatica rhetoricam, & hæc poëſin, cum ſuis exercitationibus, quibus interſeri variationis & utilitatis cauſa merentur hiſtorica, geographica, genealogica fabulæ utiles, & ſimilia hiſcæ. Aſt ordo naturalis ac ſcholæ jubet, ut ea prius diſcantur, quæ inſerviunt cæteris facilius diſcendis (§. 829. *ſeqq. Logic.*). Quare ut facilius diſcantur & memoriæ infigantur, quæ prius diſcenda ſunt rerum genera, diverſis ſeparatisque opus eſt diſcipulorum cœtibus, qui claſſes vocantur (§. 326.), eatenus ſegregandæ, ne ſe invicem turbent & impediant, & eatenus conjungendæ, quatenus gradus diverſi profectuum in eodem genere diſcendorum incitationi inſerviunt æmulationique. Opus ergo eſt in ſcholis claſſibus, ſecundum genera diſcendorum, & naturalem in his ad ampliora progreſſum diſponendis ordinandisque. Enimvero quia in qualibet claſſe & quovis ideo genere diſcendorum varii dantur gradus profectuum in iisdem, minores aliis aliique majores; & majores ob oculos poſiti & oſtendunt quid amplius ſit diſcendum, item quod illud diſci poſſit, & quomodo diſcatur, iidem incitamento ſunt illis, quorum profectus ſunt minores ad enitendum diligenterque diſcendum, ut ſenſim ad illos adſpirare poſſint. Quare ſecundum profectus loca ſunt ordinanda, ut priora & ſuperiora loca occupent illi, quorum profectus ſunt majores; poſteriora vero & inferiora, quorum profectus ſunt minores Hinc ut quotidie incitamenta adſint, & æmulationem in diligentia promoveant, præmii loco certantibus in diligentia, qui in ea vi-

 cere

cere alios, recte jubentur illos præcedere & negligentioribus ſeu remiſſioribus præponuntur. Bene promovetur & conſervatur diligentiæ æmulatio, iſta locorum aſſignatione & variatione pro documentis diligentiæ facta; & quando aſſecuti ſunt tirones, quantum ſufficit in iſto genere rerum, ſeu in iſta claſſe, tum recte transferuntur ad proximam claſſem ſuperiorem.

Genera diſcendorum inter ſe certo gaudent ordine naturali, prout unum continet principia & rationem cætera facilius diſcendi. Prout vernacula in poteſtatem redacta, facilius eſt legere vocabula iam ex uſu loquendi nota, quam diſcere lectionem linguæ cujus vocabula prorſus ſunt ignota. Quæ difficilior via tunc eſt ineunda, quum facilior non datur. Quod uſu venit in linguis mortuis & plane ignotis eas diſcituro. Lectio rationem continet, literarum ductus & diverſitatem tenendi, unde ad illarum imitationem in ſcribendo facilis eſt progreſſio. Quem ordinem naturalem ſi ordo ſcholæ ſic ſequatur, ut ſimul memoriæ ſublevandæ ſtudeat: is ordo claſſium erit genuinus, atque ita recte ab inferiori claſſe fiet tranſitus adſcenſusque ad ſuperiorem, & quidem proximam, quia natura abhorret a ſaltu. Quod etiam de ſcholarum ordine eſt tenendum. Aemulationem diligentiæ, præmia illius in proëdria, ſcholæ publicæ ob multitudinem ingeniorum, & diſcipulorum eiusdem ætatis habent præcipuam, ideoque eadem recte utuntur ad commune bonum promovendum. Neque in iſta ætatula & pueritia ex illa certatione de loco ſuperiori, ambitio invaleſcet, ſi contra eam propoſita ſit pœna dejectionis de gradu, atque id premium non niſi modeſtis concedatur, a vana ambitione alienis.

§. 328.

Coniunctio ſcholarum inferiorum.

Trivialis ſcholæ claſſibus inferioribus recte inſeruntur ſcholæ vulgares, ut ambæ in unam coaleſcant. Sicut quoque Gymnaſia & ſcholæ triviales interdum conjunguntur. Omnis enim ſocietas unito auxilio plus valet, quam ſeorſum etiam in ſcholis (§. 1. *P. VII. Jur. nat.*). Etenim ſi eius claſſes 6 conſtituantur, ſexta continebit cœtum

cetum eorum, qui legere diſcunt ſeu vernaculam tantum ſeu quoque latinam &c. donec habitum bene legendi adepti ſint; quinta claſſis continebit ſcribere diſcentes, eo usque ut habitum nitide & recte ſcribendi vel calligraphiam & orthographiam obtineant; quarta claſſis docebit arithmeticam tirones donec illam calleant. Hæ ſunt claſſes ſcholæ vulgaris, quibus varietatis delectantis & utilitatis cauſa adduntur preces, diſcenda primordia religionis, muſicæ, verba latina, declinationes, conjugationes, & ſimilia. Reliquæ claſſes comprehendent diſcenda in ſcholis trivialibus, tertia videlicet grammaticam linguarum eruditis familiarium cum ipſius exercitionibus in analyſi & ſyntheſi faciliori ſtilo ac imitatione; ſecunda rhetoricam, cum tropis, figuris, & primordiis oratoriæ, additaque exercitatione in analyſi, ſyntheſi, & peroratione, ſeu recitatione concionum; prima denique poëſin cum ipſius praxi analytica & ſynthetica, v. c. in trajectis verſibus in ordinem redigendis, & pangendis verſibus, &c. Neque oberit hæc conjunctio vel docentibus vel diſcentibus, ſi claſſes rite diſcernantur conclavibus neceſſariis, ut illæ tantum in eodem conclavi doceantur, quæ parum a ſe invicem recedunt, vel diverſis horis ibi tractari poſſunt, aut iisdem a diverſis docentibus ſic, ne ulla claſſis per aliam impediatur.

Vſitata propterea ibi eſt hæc ſcholarum inferiorum conjunctio, ubi trivialibus opus fuit, uti in oppidis majoribus urbibusque. Vbi vero aut nulli aut perpauci ſunt literarum ſtudio capti ibi merito ſolæ vulgares ſcholæ ſeparatim habentur; & ſi quis literatus fieri cupit, is mittitur aliorſum ubi in vicinia ſchola trivialis habetur. Cæterum ubi magna eſt diſcipulorum copia, ibi & quælibet claſſis dividi poteſt in ſuperiorem, quam teneant provectiores in illo diſcendorum genere, & inferiorem, cui inſint tirones minorum profectuum cum initiandis, ut graduum in diligentia & profectibus eo melior haberi ratio poſſit.

Neque in paucitate diſcipulorum a re & ſcopo alienum eſt, ſi duæ vel tres claſſes ita in unam redigantur, ut diverſis horis aut horarum ſemiſſibus alii alia doceantur vel ab eodem ludi magiſtro, cæteris interim aliis diſcendis agendisque occupatis.

Si enim ſtudiis philologicis adduntur theologicæ catecheſes & principia philoſophica, quæ res tradunt faciliores & uſum rationis in logicis, pneumaticis ethicis, & faciliori matheſi, accedunt ad ſtudia trivialia ſaltem ex quadam parte elementari gymnaſtica ſtudia (§. 321.). Vel accedit trivio id, quod *Boëthius* vocavit quadrivium, ſubaudiens Mathematicum, videlicet Arithmetica, Muſica, Geometria, Aſtronomia. Satis enim patet, ſublimiorem, criticam & elegantiorem literaturam vel philologiam ad ea referendam eſſe ſtudia, quæ cum philoſophicis mathematicisque elementis Gymnaſiorum ordini tribuuntur (§. 329.), nec raro in ipſis academiis diſcuntur, tantum quam primordia academicorum e trivialibus ſcholis venientium.

Eſt & his compendiis ſumtuum publicorum ſuus paſſim locus relictus, & per claſſes, quæ ibi tractanda ſunt, in ordinem rediguntur, ut præter ſecundam & primam alia claſſis habetur, quæ ſuprema dici ſolet &c.

§. 329.

Gymnaſia & Academiæ. *Scholæ ſuperiores dirimi pro ſcopo ſuo conſueverunt in Gymnaſia & Academias* ſeu almas & ſummas. Etenim ſcholæ ſuperiores fini ſuo reſpondentes docent non niſi intellectu comprehendenda (§. 434. *P. VIII. Jur. nat.*), & qui in illis docent juvenes, profeſſores appellantur (§. 435. *ibid.*). Enim vero hi veritatum artium & ſcientiarum utilium, quæ proſtant (§. 305. & 321.), aut faciliores tantum, aut omnes docent ſublimes ſcientias, uſu receptas: vel aut inchoant tantum ſcientias, aut abſolvunt (§. 312. *ſeqq.*). Aliquæ tantum eæque faciliores ſcien-

ſcientiae traduntur, in Gymnaſiis, nec in illis abſolvuntur. Omnes vero traduntur abſolvunturque in academiis ſeu ſcholis ſummis. Gymnaſiorum quaedam tantum altiores criticas & elegantiores philologicas & philoſophicas tractant ſcientias, nec eas quidem omnes vel plene, ſed faciliora tantum earum & theologiae elementa, quae nuda dicere licet ſeu ſimpliciter Gymnaſia; alia vero omnes etiam ſuperiores tractant ſcientias & tantum non abſolvunt; ſi vero abſolvunt, magiſtros tamen creandi jure deſtituuntur. Haec *Gymnaſia academica* merito appellantur.

De illis valent verba: in iis adoleſcentes ad ſtudia academica praeparantur; de his: immo etiam docentur, quae in academiis doceri ſolent (§ 435. *P. VIII. Jur. nat. in not.*).

Olim frequenter, nunc rarius Gymnaſia vocantur academiae, quae in privilegiis priſtinis *ſtudia generalia* ſalutantur. Vnde tum ſtudium particulare vel paedagogium alteram velut claſſem Gymnaſiorum notabat. Gymnaſia Academica & Archigymnaſia appellantur, uti Romae, Tremoniae, caet. & ſcholae illuſtres, v. c. Daventriae, Amſtelodami, item Groningae & Franequerae, antequam ibi academiae inſtituerentur. Clarius tamen Gymnaſia academica audiunt Gedani, Sedini, Coburgi, Stadae, caet. Cujusmodi ſint Gymnaſia Hamburgi, Lubecae, Elbingae, Thorunii, Altonaviae, Bernae, Tiguri, Hammi, Poſnaniae, Leopoli, Gerae, Gothae, Gorlitii, Bregae, Serveſtae, Suſati, Sigenae, Stralſundiae, Steinfurti, Leucopetrae, Stargardiae, Bremae, Rigae, Revaliae, Sittaviae, &c. ex definitionum applicatione patet. Indidem quoque pateſcit, quid ſtatuendum ſit de ſcholis provincialibus, Grimenſi, Misnenſi, Portenſi, caet. nec non de *academiis*, quae vocantur *equeſtribus*, & praeter ſtudia gymnaſtica docent exercitia nobilium equeſtria. Cujusmodi dantur Berolini, Dresdae, Viennae, Lignitii, Lüneburgi & alibi.

Gymnaſiis academicis non tantum habentur Profeſſores Linguarum eruditis utilium, Eloquentiae & Poëſeos, Philoſophiae & Ma-

& Mathematum, ſed & facultatum ſuperiorum Theologiæ, Jurisprudentiæ & Medicinæ. Quapropter nec niſi Profeſſores ſaltem Doctores & Magiſtri legentes ex academiis evocari ad obeunda hæc munera ſolent. Cum ergo tales iis ſint Profeſſores, quales ipſismet academiis ſeu univerſitatibus; a ſuperiorum voluntate pendet, utrum velint, ut ſtudioſis omnia tradant, quæ traduntur in academiis, itaque abſolutis eorum ſtudiis & examinibus publice inſtitutis, digni reperti muneribus publicis adhibeantur. Rationes rem ita inſtituendi eſſe exiſtimo, 1) ne pecunia ſtudiis academicis impendenda præter rem exteris detur, nihil tale reddentibus, cum civium & Profeſſorum commodis pro ſcopo civitatis debeatur. 2) Vt diſciplina domeſtica liberi melius avocari a pravo conſortio & profuſione patrimonii poſſint, quam apud exteros fieri poteſt, ubi licentia & ſeductio non paucos corrumpit. 3) Vt examinibus ſuperiores ipſi intereſſe, & ſi velint examinare pro lubitu poſſint, ſaltem quando non vacat, e teſtimonio, pro religione conſcientiæ & fidei ab examinatoribus dato, certi ſint collatores, quinam mereantur præferri, nec ne? 4) ad removendam omnem compacti ſuſpicionem, examen partim ſæpius e. g. ſingulis ſemeſtribus ſtudiorum academicorum, inſtitui poteſt; partim ultimum, quo velut adepti & magiſterio digni declarantur, tradi poteſt aut plane diverſis a Profeſſorum collegio viris aut addi illis alii poſſunt, qui pariter ac ipſi examinare queant, quæcunque velint. 5) Paſſim jam receptum eſt in civitatibus, ut ſicut in rebus aliis, quæ domi diſci poſſunt, apud exteros non ſint quærendo, ita & ſtudiorum cauſa nummi ne quidem peregrinando ad exteros exportandi ſint, ſed linguæ exoticæ ab earum magiſtris, reliqua ex libris optimæ notæ plenius diſcantur, quam ex vulgari peregrinatione fieri poteſt, nec reduces peregrinos mores & vitia potius quam virtutes, & quæ in civitate noſcenda atque agenda ſunt ſecum referant. Nec ſunt hæc plane inuſitata, ſed paſſim in cœnobiorum ordinibus ſtudia abſolvuntur, inque illis digni reperti adhibentur ad quævis munia ipſam adeo ſummi pontificis dignitatem. E Gymnaſiis academicis paſſim, & Ha-

lenſi

lensi reformato peti admovendos ad munera publica constat, & posterius confirmat von Dreyhaupts Beschreibung des Saalkreises *P. II. p. 207. seqq.* varia quoque prostant exempla eorum, qui ex Gedanensi Athenæo & domi & foris, tum ad munera scholastica, tum ad juridica minoris momenti, tum ad ecclesiastica fuere admoti, & pastores sacri in pagis & oppidis evasere.

§. 330.

Quæ esse debeat Professorum docendi libertas?

In Academiis & Gymnasiis academicis liberum esse debet Professoribus soliditate & integritate conspicuis, utrum scientiæ artisve suæ approbatum publice compendium in docendo sequi, an ipsi perfectius edere vel compendium vel systema malint? Professores enim docent in scholis superioribus, vel juvenes ad scientiam rerum scitu necessariarum & utilium perducunt (§. 435. *P. VIII. Jur. nat.*). Iidem ea probe callere debent, quæ ab ipsis sunt docenda, & dono docendi gaudere (§. 436. *ibid.*), & in Gymnasiis rudis tantum profitentur faciliores scientias artesque humaniores, in academicis vero & difficiliorum scientiarum vel superiorum facultatum elementa (§. 329.). Quæ deinceps in academiis absolvuntur seu quoad integrum systema exhibentur, tanquam in scholis summis (§. *eod.*). Quapropter si Professores solide callent quæ docere debent, si dono docendi excellunt, pariter ac integritate cæterisque virtutibus; egregiæ & pleniores cæteris, quæ prostant, institutiones ab illis proficisci possunt, aut si satis bonæ sint usitatæ, ex iisdem meliores eligentur ab iisdem. Quare cum optima quæque de illis sperari possint, sive ipsi compendia doctrinæ eligant ex venalibus, sive meliora, vel & integra systemata edant: permittendum ipsis est, in Academiis & Gymnasiis academicis, utrum malint facere, modo actu præstent quod optimorum approbationem mereatur.

Illæ quidem scientiæ & artes, quæ vix aliam admittunt mutationem, quam in stilo & methodo, duce antiquo compendio satis superque approbato, æque bene docentur, ac si novum nihi-

nihilo melius adhibeatur. Ita Euclidis elementa recte docens & discens, æque proficiet, ac si recentiorem epitomen Geometriæ in manus sumsisset. Res enim manent eædem, & ab Euclide rite demonstrantur. Licet ergo in scholis inferioribus compendia satis approbata præscribi possint præceptoribus, ut illa tantum recte doceant (§. 319.) cum ibi pleniora non desiderentur, nec facile dari possint a præceptoribus: non tamen opus est, ut in Gymnasiis & Academiis idem metuatur, nisi ubi docentium imperitia, vel methodus præpostera manifesto se prodit. Quare si sint Professores soliditate & virtute integerrima conspicui, idem ipsis licere debet, quod aliis viris solidæ eruditionis laude celebribus, ut scilicet sua doctrina non præsentes tantum auditores imbuere, sed & multo plures absentes, & post fata sua superstites, libris suis, sive compendia sint doctrinarum sive systemata, erudite, & simul lucrari quidquam ex pretio illorum, qui emtores, reperere, possint.

§. 331.

Divisio academiarum.

Scholæ almæ vel privilegiis publicis ejusmodi sunt instructæ, ut non subsint nisi majestate præditis; vel illis carent, & subsunt magistratui civili, qui summus non est. Illas dicere solent privilegiarias, has nudas: vel illas recentiores, has veteres, aut potius illas *eximias* vel egregias, has non exemtas seu *gregales*. Eximiæ vel omnibus, quibus possunt, gaudent privilegiis, vel quibusdam tantum prouti e re publ. visum est (§. 313.). Priores recte dicimus *universitates*, subaudiendo literarias; posteriores academias, nomine generali vel restrictiores. Quæ exemtæ non sunt, nomen sortiuntur a magistratu dependente cui subsunt, v. c. electore, duce, principe, comite, urbe, atque uti eximiæ; vel gaudent privilegiis creandi magistros artium & scientiarum, vel iis destituuntur.

Germani eximias vocant privilegirte hohe Schulen, gregales schlechte hohe Schulen. Possent etiam priores dici unmittelbahre, posteriores, mittelbahre, ratione supremæ potestatis, cui sub-

subsunt, quemadmodum nobiles urbes, pagi Germanici imperii dantur utriusque generis, unmittelbahrer Reichs-Adel, unmittelbahre Reichs-Stádte und Dörfer, und mittelbahre. Quod ex hoc discrimine in academiis nascantur alia atque alia, id patebit e sequentibus. Veteres academias destitutas fuisse illis privilegiis, quibus recentiores præditæ sunt, controversia vacat. Sive enim Babyloniorum Chaldæorumque, magos & sideralis scientiæ autores chaldæos ex *Strabone Lib. XV. p. 580.* afferas, quibus ait peculiarem habitationem esse in Babylonia constitutam, tanquam Philosophis indigenis & Astronomiam plurimum colentibus, quorum sectas astronomicas *pag. 509.* duas nominat Orchenos & Borsippenos, cæteras omittens (Borsippa vero dicit urbem Dianæ & Apollini sacram); sive Ægyptiorum sapientes a quibus Moses est institutus *Actor. VII. 22.*; sive Persarum fora libera vel scholas, ad quas cuivis Persæ liberos suos mittere licebat, ut apud magistros publicos institutis liceret inter ephebos adolescere, quod illis haud fas erat, qui hujus institutionis cursum non tenuerant, & qui inter ephebos legibus præscripta præstiterant, illi virilem adepti ætatem soli poterant magistratorum honorumque participes fieri, teste *Xenophonte in Cyropæd. L. I. p. 7.*; sive Confutii scholam Sinensem; Palæstinæ Kiriath Sepher *Josuæ XV, 15.*; sive Judæorum Abel *2 Sam. XX, 18. seq.* & scholas propheticas; sive Pythagoræ hemicyelium; sive Druidum Specus & nemora; sive Indorum Gymnosophistas; sive ipsius Platonis Academiam, cæteraque Græcorum Gymnasia laudes: non tamen ostendes usquam vestigia ejusmodi Privilegiorum, quibus recentiores academiæ effulserunt, & iam passim exsplendescunt. Quidquid vero de Alexandrina, Romana, Berytensi, & Constantinopolitana academia dicatur, nonnulla quidem ipsis privilegia v. c. examinandi eos, quibus facultas de jure respondendi concedenda esset, & immunitates quasdam datas esse deprehendimus. Sed nec Parisina, nec Bononiensis tales ab initio & per longum tempus fuere, quales postea factæ sunt, hodieque sunt. *Limnæus Jur. publ. L. VIII. C. I. n. 16.* docet, nunquam Parisinam Academiam ju-

ris romani Professionem habuisse, nec Aurelianensem Theologiæ &c. Revera Aureliæ non datur nisi una facultas juridica, cujus sex sunt Professores. Accessit quidem postea seminarium Theologicum, sed ab academia sejunctum plane, æque ac Collegium Societatis Jesu humaniora tradens & Philosophiam. Similes academiæ unius tantum facultatis olim plures fuere, ubi Salernitana medicæ fere facultatis fuit. Edimburgi juridica facultas non esse fertur. Altorfina Academia ab anno 1575. usque ad annum 1678. caruit privilegio creandi Baccalaureos & Magistros. Doctores vero & Licentiatos Juris ac Medicinæ jus demum adquisivit A. 1622. Destituitur vero jure creandi Doctores Theologiæ. Sic Argentinensis Baccalaureos & Magistros creavit ab anno 1566. Doctores vero demum ab anno 1621. Constantinopoli fuere A. 425. tres oratores, deni Grammatici, quinque Sophistæ, unus Philosophus & 2 Juris Doctores. In Russorum academia Moscuensi Jurisprudentia nunc demum doceri cœpit, Medicina & Theologia necdum ibi docentur.

§. 332.

Dividuntur privilegia academiarum.

Privilegia academiarum & universitatum duplicis sunt generis, alia *civilia*, nempe alia *literaria*, *ambo aliis consona* in*stitutis*. Referuntur enim privilegia primo ad statum civilem: quia extra dubitationis causam positum est, majestatem ipsis tribui non posse, certe non esse tributam, ideoque eas cuipiam in civitate subesse. Idem comprobat ipsa privilegii natura, inferens concessionem juris cujusdam certo personarum ordini factam, quo cæteri carent (§. 853. *P. VIII. Jur. nat.*). Jus privilegia concedendi ad jura majestatis pertinet (§. 855. *ibid.*). Concedi autem privilegia solent vel illis, qui non subsunt nisi majestate gaudentibus, vel eadem destitutis. Priori casu nascuntur privilegia civilia summa, nempe non obtemperandi nisi summa præditis potestate, quæ faciunt academias universitatesque eximias (§. 330.). Si vero academiæ non sunt exemtæ jurisdictioni inferiori, carebunt summis civilibus privile-

vilegiis. Gaudere tamen poterunt æque ac eximiæ privilegiis civilibus inferioribus quibusdam, & literariis, conferendi ſcilicet honores adquiſita intellectus cultura promeritos, una cum jure privatim alios ſimiliter erudiendi. Quia hæc ſunt præmia rei literariæ ſeu eruditioni propria, literaria dici merentur iſtiusmodi privilegia. Sunt ergo duplicis generis privilegia academiarum, civilia nempe & literaria.

Neque inuſitata in civitate ſunt hujusmodi privilegia. Cui ignotum eſt, non paucos dari in civitate, qui nulli ſubſunt alii, præterquam majeſtate gaudenti, eximii merito dicendi ratione eorum, qui hujusmodi jure deſtituuntur? Quotquot nempe dantur v. c. in regno, qui ſoli ſubſunt regi, tot dantur academiarum civilis exemptionis ſimillimæ exempla. Præterea nullis denegatum eſt, aut denegari potuit artificibus opificibusque civitatis jus adſciſcendi tirones, eosdemque inſtruendi & perficiendi eo usque, ut omnia tandem calleant, quæ in iſta arte ſunt reperta exercendaque (§. 309. *ſeqq.*). Quid cauſæ ergo fuiſſet, academiis denegandi quod ne illiberalibus quidem aut ſordidis artibus potuit recuſari? Ambo igitur academiarum privilegia aliis conſentiunt civitatum inſtitutis.

§. 333. a

Quid ſint dignitates academicæ, & tituli graduſque?

Inter privilegia literaria *Dignitates academicæ* vocantur, honores adquiſita intellectus culura promeriti, unde hæ dignitates non ſunt hæreditariæ ſed perſonales. Quoniam merita alia ſunt majora, alia minora: opus quoque fuit *graduum* diverſitate, ut ſcilicet aliæ dignitates eſſent inferiores, aliæ ſuperiores, aliæ ſummæ. Quæ dignitates literariæ cum ſuis nominibus appellandæ & diſcernendæ fuerint, & tituli ſint vocabula, quibus ſignificatur præſtantia in meritis erga remp.

 (§. 763.

(§. 763. *P. VII. Jur. nat.*): titulis quoque opus fuit academicis, quod est in academiis promerendis conferendisque.

Quemadmodum dignitas civilis est præcellentia cujusdam supra alios in rep. (§. 205. *P. VIII. Jur. nat.*): ita quoque dignitas literaria, academica præsertim est præcellentia in parta intellectus perfectione, vel in parta habilitate constanti absolutaque. Quæ cum naturaliter ab illis tribuenda sit, qui earum rerum, in quibus conspicua est, sunt intelligentissimi; quorum judicium sequi eos par est, qui earum minus sunt periti: infert utique honorem, qui & in nostro casu ab intelligentibus pro meritorum ratione confertur, & a summo imperio ratihabetur. Hi honores dum præmia esse debent virtutum & ex eis in remp. profectorum meritorum; non minus iisdem animi nobilitas decorari meruit, ac civili nobilitate aliarum virtutum præstantia. Quia scientia & artes nobiliores ad salutem publicam sunt necessariæ, conjunctisque viribus in civitate sunt provehendæ (§. 313.), & opera danda, ut qui in virtutibus excellunt & meritis eminent, in quovis vitæ genere fortunis quoque circiter adæquentur (§. 565. *P. I. Polit.*): commodum quoque accideret Reip. si antiqua meritorum adæquatio pro æquitate sua usque quaque inter gentes cultiores vigeret. Antiquitus autem artium & scientiarum Doctores in muneribus publicis nobilibus æquiparabantur in aulis, rebusque (v. c. Genuensi) Canonicalibus, præsulatu & pontificatu. In auditorio JCtorum Pragensi legitur: Ex præmissis concludendum, ut Magistri & Doctores publici, qui per 20. annos continuos docuerunt in aliqua famosa universitate, ipso quidem iure efficiantur duces & comites simul, & propterea ob utramque dignitatem dicantur illustres, cum alias simpliciter duces & comites, tantum dicantur spectabiles. *Middendorp. P. II. p. 285.*

§. 333. b

Tres gradus academici. Dignitatum academicarum infimus gradus est laurea baccifera, a qua *baccalaurei* vocantur; medius est candidatorum

rum summi honoris, vulgo *Licentiatorum;* summus est magisteriorum unde *Magistri & Doctores* appellantur. Scilicet qui insignes profectus ostendunt, primo: qui fere digni sunt Magisterio, Candidati medio, & qui absolverunt scientias, aliosque æque perficere valent, summo gradu ornantur.

Laurea olim victores Delphis & triumphantes Romæ coronari solebant. Duo ejus genera tradit Cato, Delphicam & Cypriam. Pompejus Leneæas adjecit, quam mustacem appellavit, quoniam mustaceis subjiceretur. Hanc esse folio maximo, flaccido & albicante. Delphicam æquali colore viridiorem, maximis baccis atque e viridi rubentibus teste *Plinio H. N. L. 15. c. 30.* Quia laurus Apollini dicata erat, apollinea vocatur *Ovidio Fastor. VI. 91.* Procul dubio, quia laurus semper viret, & milites triumphantis currum sequentes laureati erant: translata fuit laurea ad præmium primum bene in castris musarum militantium perpetuumque decus ipsorum denotandum, cum Apollo musis, quas Cicero humanitatem & doctrinam interpretatur, præesset. Novæ dignitati novum nomen tribuerunt, &, cum latinius laurigeros vel laureatos dicere potuissent, baccalaureos dicere maluerunt. Vnde Galli suum *Bachelier* & Angli suum *Batchelour* formarunt. Horum igitur est, in arte dicendi examinibus, disputationibus, aliisque speciminibus haud vulgares ostendere profectus, si prima laurea coronari velint. Postquam deinde majores adepti sunt profectus in scientia rerum, ut propemodum digni sint summis honoribus, idque speciminibus idoneis prælectionum disputationumque comprobarunt, candidati eorum, vulgo Licentiati creantur, & alios docendi licentia h. e. facultate donantur. Regiomonti tamen sunt & illi Candidati Juris quibus facultas juris privatim docendi, habita disputatione pro facultate legendi, tribuitur. Vid. D. *Arnoldus P. I. Hist. acad. Regiom. p. 219.* Denique ubi perfecti, iisque pares facti sunt, qui summis fruuntur honoribus, præstitis præstandis creantur Magistri & Doctores suæ scientiæ. Neque tamen ubique primus gradus usitatur, sed passim nullus aut raro ipsi

est

eſt locus; neque neceſſum eſt, ut ſeparatim iſti gradus & aliquot annorum intervallis adquirantur. Qui enim eo usque ſtudia abſolverunt ſua, ut ſummis honoribus capeſſendis digni ſint, illi eodem actu ſolemni ad ſummum gradum, quo ſe dignos eſſe probarunt, evehuntur. Neque opus eſt, ut qui primum, vel medium adepti ſunt gradum, ſummum quoque adſciſcant, cum hæc res ſit arbitrii. Sunt & in artibus ignobilioribus his gemella. Qui enim pæne omnia didicere quæ ipſis ſunt diſcenda, tirocinia artis ſuæ propemodum abſolviſſe dicuntur, ſeu prope edocti (bald ausgelehrte). Deinde renunciantur abſoluti a tirociniis (ausgelehrte, oder Geſellen). Hæc prima quaſi laurea eſt ipſorum. Poſt hanc perficiuntur ſubinde ulterius, ut candidati magiſterii (Meiſterknechte, Altgeſellen) dicantur. Tandem ipſo magiſterio præſtitis præſtandis condecorantur, evaduntque magiſtri (Meiſter). Quia veri magiſtri artem ſuam probe callent, poſſunt ſolentque eam & alios docere, inde doctorum nomen enatum eſt (Lehrmeiſter). Sed quia & ſocii boëthique magiſtrorum idem plerumque facere jubentur & conſuevērunt: ratio liquet, propter quam & candidatis magiſterii facultas docendi alios ea, quæ norunt, concedatur; & doctores creati olim magiſtris inferiores exiſtimati ſint, unde manavit formula: nos magiſtri & doctores &c. Cæterum magiſtrorum nomina etiam in re literaria ſunt perantiqua, uti Epicuri pater ludi fuit magiſter, & Ariſtotelis magiſter Plato; nec minus magiſtri bonarum artium antiquitus etiam doctores dicti fuere, a docendo. Primus vulgo fertur fuiſſe Gregorius IX, qui bulla ſua magiſtros Pariſiis creari juſſerit; ſed talem bullam ignorat *Bullarium romanum* nec vita Gregorii hæc habet. Potius *Bulæus in Hiſtoria univerſitatis Pariſinæ T. II.* oſtenſtit, ſæculo XII. ante ejus tempora Magnates & Cardinales (Titulo Magiſtrorum eſſe ornatos & compellatos, uti M. Melchiorem & M. Petrum Tuſculanum, Cardinales. Prima ibi fuit facultas; neque in priſcis Academiis alii fuere quam artium magiſtri & doctores, honoris cauſa dicti. Numerabantur autem quia artes liberales ſeptem, Grammatica, rhetorica, poëſin complectens, arithmetica, mu-

ſica, dialectica, geometria & aſtronomia, quibus dein addebantur hæ tres philoſophicæ, Ethica, Phyſica & Metaphyſica. Vid. *Anton. a Wod Hiſt. Acad. oxon. Lib. II. p. 1618. & 32.* Lectiones Theol. grammat. & rhetor. arithmet. & muſicas, nec non geometricas & aſtronomicas Alfredus Rex circa annum 879. inſtituiſſe & ſtipendiis penſaſſe fertur. *ibid. p. 30.* Ita Oxonii & Cantabrigiæ Rectores primorum ſæculorum non fuere niſi artium magiſtri, qui etiam nunc in Comitiis academicis ſoli jure ſuffragiorum gaudent. Hi ſummo tum erant in honore & doctoribus Theologiæ præferebantur, qui Anno 1151. Lutetiæ creari cœpere & magiſtri diu ſunt appellati; donec omiſſis artibus liberalibus inepti affectarent magiſterium in Theologia, ideoque ne impares muneri admitterentur, decerneretur, ne quis gradum Theologiæ capeſſeret, niſi qui progreſſuum in artibus documentum & honores adeptus alios pene docuiſſe & rexiſſe intelligeretur. Quod circa annum 1253 inſtitutum callide eo adhibitum fuit, ut Theologia cum Jure & Medicina longe anteire cæteras facultates artium facultatem judicarentur, & ex trito verſu diceretur: *dat Galenus opes, dat Juſtinianus honores; ſed genus & ſpecies cogitur ire pedes.* Qui excellebant in artibus earum Magiſtri & doctores appellabantur. Qui facultate quadam docendi artem ſuam alios donabantur, dicebantur baccalaurei v. c. Grammaticæ, rhetoricæ, muſicæ. Vnde & Doctores ac Magiſtri Muſicæ in Anglia creantur. Idem *Woodinus Lib. I. p. 216. 246.* Druidas ſimili fere ratione de Deo, rerum natura, mundi & terrarum magnitudine, de animorum immortalitate, juventuti undique ad eos confluenti tradidiſſe, omnesque controverſias civium decidiſſe autor eſt *Cæſar. L. 6. de Bello Gall. c. 17-19.*

§. 334.

Facultates Academicæ vel ſuperiores ſunt vel ſtant inferiores.

Succeſſu temporis diviſæ ſunt ſcientiæ, quæ in Academiis docentur, in duas facultates, *ſuperiores* nempe & *inferiores*, non ratione facultatum mentis (§. 321.), ſed pro arbitrio rationе uſus, quem cultoribus ſuis in civitate more recepto præ- (*Wolfii Politicæ P. II. Sect. III. C. I.*)

ſtant (§. 333. b). Superiores nimirum dicuntur facultates, quæ ſuperiorum facultatum habitibus majorem uſum in honoribus reditibusque publicis prout lubuit conſecutæ ſunt. Inferiores autem ſuperiorum principia tradunt & ornamenta, quæ nunc tantum minora cultoribus ſuis emolumenta afferre conſueverunt. Poſſet etiam dici, ſuperiorum neceſſitatem ad ſalutem publicam ſtatutam eſſe majorem, ob decerptos & ſubreptos primævis uſus potiores, quam inferiorum, licet hæ ad illas præparent animos & illarum baſes ſint fontesque.

1) In ſtatu integritatis homines, ad omnes felicitatis humanæ partes creati, omnibus donis divinis ex æquo utebantur, licet præcipua æternæ ſalutis cura & ipſis fuiſſet. Poſt lapſum pariter quisque debebat ſuæ operari felicitati, manſitque reſiduarum virium cauſa arbiter electionis boni & mali, ſuæque faber fortunæ *Deuteron.* XXX, 19. Debent illæ facultates mentis & corporis, & habitus iisdem parti communibus uſibus & propriis ſapienter ſecundum leges divinas impendi, neque temere vel contemni vel poſtponi, ut Chriſtianos Paulus quoque inſtruit ratione membrorum corporis 1 *Corinth.* XII, 12-26. Vnde qui plus in omnibus valebat, actu cæteris præficiebatur, ut exemplo eſſet, v. c. ut primogenitus inter liberos primus eſſet in imperio & ſacerdotio, modo id mereretur *Geneſ.* XVII, 18-21. XXVII, 29. 36. *ſeq.* XLIX, 3. 8. Deinde Moſes tanquam Deus proponebatur Aaroni facundo Pontifici ſummo *Exodi.* IV, 16. Cum in Chriſto primæ ſummi imperii & ſacerdotii doctorisque divini partes unitæ eſſent *Joan.* XIII, 13. noluit tamen apoſtolos ſuos dominari & primas affectare partes *Luc.* XXII, 25. *ſeqq.* reprehendit quoque Phariſæos πρωτοκλισίαν & πρωτοκαθεδρίαν captantes cum titulo doctorum & magiſtrorum *Matth.* XXIII, 2. & 6. *ſeqq.* Sicut organa corporis ſingula ſuis uſibus deſtinata adhibenda ſunt: ita & facultates animi, tanquam Dei dona ſuis ſunt adhibenda uſibus, nec aliæ aliis temere præferendæ aut ſpernendæ, qui contemtus in Deum redundaret autorem, ſingula ad

ad gloriam suam sapientissime conferentem & largientem. Efferentes se citra rem turpiter se dant coram Deo, hominibusque. Si consideremus, quæ in superioribus habentur facultatibus, & naturæ viribus debentur, non sunt illa nisi pars usuum philosophiæ, scilicet Theologiæ naturalis, Juris naturæ, & Physicæ. Revelationem excipio, cujus donum est supernaturale, quo superbire velle idem esset, acsi mendicus stipe donata superbiret; præsertim cum non solis Theologis sed omnibus datum sit, salutis adipiscendæ causa, & quisque non aliorum sed sua fide sit beandus. *Rom.* I, 17. suaque nequitia damnandus. *Rom.* II, 12. *seqq.* Pariter quisque suus esse debet judex & suus medicus, ne indigeat aliis, per se id intelligens & agens, quod agere debet. Est ordine opus, ut omnia decenter fiant, est & graduum meritorum ratio habenda; sed notum est, quomodo illa obtineantur in rebus aliis, salva dignitate rerum & personarum, salvaque virtute, ne fenestra vitiis aperiatur. Quod quia Judæorum Rabbinis usu venerat, merito damnabatur a sapientissimo salutis humanæ reparatore suisque discipulis interdicebatur.

2) Olim alia fuit studiorum divisio in academiis, ut vel circa verba vel circa res versarentur, quarum facultatum prior *Philologia*, posterior & præcipua *Philosophia* dicebatur. Hoc discimus ex *Strabonis Geograph. Lib. XIV. p.* 463. ubi, tantum, inquit, Tarsensibus studium rerum philosophicarum & disciplinarum, quas encyclias vocant, incessit, ut superaverint Athenas, Alexandriam, & si quis alius locus nominari potest, ubi *Philosophorum* & *Philologorum* scholæ habentur. Et paulo post appellat, quam hic vocat εγκυκλιον παιδειαν, omnis generis circa orationem S. liberalium artium scholas. (σχωλαι παιδαγωγαι των αλλων περι λογον τεχνων). Tum Juris disciplina petebatur a Philosophis, qui & ipsi fuere legislatores, uti Solon, Lycurgus, cæteri. Nota est Evathli & Protagoræ pactio de didactro, quæ celebri locum dedit litis forensis labyrintho, teste *A. Gellio noctium Att. Lib. V. c. 3. & 10.* Tum *Plato* recte præcipiebat, felicem esse remp. in qua aut Philosophi regnarent, aut imperantes recte philosopharentur. *L. V. de Rep.* Ita Alexandri M.

formator fuerat Ariſtoteles. C. Jul. Cæſar operam dedit Apollonio, clariſſimo dicendi magiſtro, ac Eloquentia præſtantiſſimorum gloriam æquavit, autore *Suetonio c. 4. & 55. in ejus vita.* Idem de *Auguſto c. 84.* Eloquentiam ſtudiaque liberalia ab ætate prima & cupide & laborioſiſſime exercuit. Mutinenſi bello, in tanta mole rerum & legiſſe & ſcripſiſſe, & declamaſſe quotidie traditur. Neque deinceps in ſenatu, neque ad populum, neque apud milites locutus eſt unquam, niſi meditata & compoſita oratione, quamvis non deficeret ad ſubita extemporali facultate. *cæt. Cap. 85.* Multa varii generis compoſuit proſa oratione, ex quibus nonnulla in cœtu familiarium velut in auditorio, recitavit. . . Quæ volumina cum jam ſenior ex magna parte legiſſet fatigatus Tiberio tradidit perlegenda. Item hortationes ad Philoſophiam, & aliqua de vita ſua, quam 13 libris Cantabrico tenus bello, nec ultra expoſuit. *cæt.* Titum, Trajanum, multosque alios omittentes, *Marcum Antoninum, Philoſophum* dictum, & reliquos eruditione inſignes, ſua ſponte animo obverſaturos eſſe, nulli dubitamus. Principia vero & fundamenta ſuperiorum dari in inferioribus, patebit ex earum explicatione jam addenda.

§. 335.

Diviſio facultatum inferiorum.

Inferiores facultates aut *circa ſermonem expoliendum* occupantur in proſa & verſa ſeu ligata oratione; aut *circa res ſingulares* in Hiſtoria & antiquitatibus omnis generis; aut circa ſcientias philoſophicas & mathematicas tanquam *res communes.* Quia Philoſophia Mathemata, velut alteram partem complectitur, & philologia non minus indiget diſcuſſionibus philoſophicis, omnes hæ facultates uno philoſophicæ facultatis ambitu & nomine comprehendi conſueverunt. Cernitur hinc ratio Profeſſorum Linguarum O O. & Græcæ, Eloquentiæ & Poeſeos, Hiſtoriarum, Logicæ, Metaphyſicæ, Phyſicæ Juris Naturæ, Moralium, Oeconomicæ, Mathematum inferiorum ſuperiorumque. Hæ tamen Profeſſiones alibi aliter aut connectun-

ctuntur, aut ſeparantur, aut in eadem Academia alias aliter pro Perſonarum ſtudiis diſtribuuntur, ut circiter octo usque ad Profeſſores Facultatis ordinarii habeantur, præter extraordinarios, titulo & ſpe ſucceſſionis aliqua gaudentes. Cæterum Facultas philoſophica creat Magiſtros & Doctores Philoſophiæ, & in Anglia quoque ſeparatim Doctores Muſicæ. Poëtæ olim in ludis Capitolinis certarunt carminibus, & laurea donati ſunt qui vicerant alios, unde laureati dicti fuere. Quæ ſolennitas ſubinde ampliata eſt, ut laureati fere ſint, ſaltem exiſtimentur, quaſi magiſtri & doctores poëſeos eſſent creati. Dixi fere ſint, cum a peritis is honor eſſet tribuendus. Vnde contemtum parit, ſi gratiæ potius quam meritis tribuitur, pari fere modo, ac doctores bullati, qui olim a comitibus palatinis creati ſunt, aliisque ludibrium debuere. Facili negotio Facultas philoſophica dirimi potuiſſet in philologicam, quæ linguas eruditioni inſervientes cum critica, hiſtoriam, Oratoriam & Poëſin contineret; philoſophicam ſtrictius dictam, & mathematicam.

Præter antiquitates ad Hiſtoriam quoque referuntur mythologiæ, Geographiæ civilis, Genealogiæ, Chronologiæ, Heraldicæ, diplomaticæ, lapidariæ, numismaticæ, gemmariæ, inſtitutiones, & polyhiſtoria, ac ſigillorum, ſtatuarum, inſcriptionum, hieroglyphicorum & emblematum peritia. Multitudo Profesſorum Philoſophiæ procul dubio debetur majori cum numero diſciplinarum, tum ipſius uſui per omnes cæteras facultates diffuſo; cum mathematicarum diſciplinarum numerus ſit ſat copioſus, ſive puram ſpectes Matheſin, ſive applicatam. Quid alii de quadripertita facultatum academicarum diviſione ſentiant, videſis in *Ludwigii* Diſſ. de eadem, & *Dieterici non adæquata eruditionis in 4 facultates Diviſione.* Cæterum Profesſoribus Facultatis philoſophiæ tanquam ejusdem cenſus Eruditis paria ferme ſolent dari ſtipendia, & locus aſſignatur in Facul-

tate eo ordine, quo muneri ſuo ſunt admoti. Oxonii datur Profeſſor Arabicæ linguæ uti & hebrææ.

§. 336.

Superiores Facultates ſunt theologica, juridica & medica.

Superiores vel præcipuæ facultates numerantur tres, *theologica, juridica & medica.* Aut enim verſantur circa ſalutem æternam, aut circa temporalem, quæ vel ſalutem publicam quærit, vel vitæ ac valetudinis conſervationem. Cura ſalutis æternæ adipiſcendæ vel veræ religionis pietatis & rerum divinarum propoſita eſt Facultati theologicæ. Cura proſperitatis publicæ item legum explicatio deſtinata eſt facultati juridicæ, ut ſuum cuique jus tribuatur. Cura vero corporis, ſeu ſanitatis, morborumque profligandorum, Facultati medicæ eſt relicta. Eæque Facultates, quo definivimus illas ordine, ſe invicem excipiunt: quoniam per ſe liquet ſalutem æternam potiorem eſſe temporali, & hujus ſalutem publicam recte præponi ſaluti privatæ corporis. Hinc quarto demum loco ſuccedit Facultas philoſophica, ſive Artium Facultas.

Vbi vera religio non habetur, ſed vel plane nulla eſt, vel idololatria duntaxat & inanis ſpecies religionis, ibi mirum non eſt, ſi quæ academiæ habentur, in illis hujusmodi cultiorem facultatum, quas vocant, academicarum ordinem non dari. Interim non erit a re præſenti alienum, hic annotaſſe Muſeum Alexandrinum, quod Academiæ inſtar habendum eſſe ſupra innuimus, partem regiarum fuiſſe præditam deambulatione (ἐχον περιπατον), exedra, maximaque domo. Huic muſeo præfuit ſacerdos, olim a regibus, poſtea ab imperatore conſtitutus, memorante *Strabone L. 17. p. 546.* Sacerdotes autem legebantur e Philoſophis, maximoque habebantur in honore, adeo ut ex eorum probatiſſimis reges eligerentur. Apud Aegyptios raſi erant capite, ornati corona gemmis diſtincta. Faciebant docebantque ſacra, & præerant juri dicundo fere ut apud Judæos. Vnde quidpiam prærogativæ Præfecto collegii alexandrini,

drini, & ſacerdotio pagano fuiſſe apparet. Fuit, ubi juridica facultas in duas ita dirimebatur, ut doctores in decretis ſeu Juris Canonici eſſent in ſecunda, & Legum ſeu Juris civilis in tertia facultate. Tum facultas philoſophica quinta dicebatur, & diſerte quinque ſtatuebantur Facultates. Vid. *d'Acherii Spicilegium Tom. 6. p. 500. ſeq.* Superſunt illius inſtituti nonnulla veſtigia in Anglia ratione graduum Doctorum Juris. Verum ab eo non ſine ratione receſſum eſſe a plerisque omnibus, quilibet perſpiciet ingenio ſuopte.

§. 337.

Diverſæ Profeſſiones ſuperiorum facultatum.

Quælibet facultas ſuperior, ut inferior, in ſuas dirimitur diſciplinas & profeſſionum diverſitates. Ita Theologi utuntur Hiſtoria Eccleſiaſtica, Hermeneutica ſacra exegetica, Thetica, Polemica, homiletica, morali, & prudentia in caſibus difficilioribus conſiſtorialibus, paſtoralibusque. Jureconſulti ſuo indigent habitu interpretandi jure civili, canonico ſive ſacro, criminali, feudali, publicoque; porro ſuo habitu docendi, judicandi, conſulendi, lites in foro tractandi, ex actis referendi. Medicorum eſt Anatomia, Chirurgia, Phyſiologia, botanica, materia medica, chemia, Diætetica, Pathologia, Semiotica, Therapeutica ſeu methodus medendi & caſuum forenſium. Hinc varia naſcuntur doctrinarum genera & variæ profeſſiones methodum quoque diſcendi illas ſcientias continentes, quæ junctæ ſuam conficiunt facultatem. Vnde facultas vulgo non eſt niſi collegium Profeſſorum ejusdem facultatis. Quæ tamen paſſim parum non accurate nominantur, ſed v. c. Profeſſores Primarii, ſecundarii, vel Tituli de verborum ſignificatione & de diverſis regulis Juris judiciorum, contractuum, ultimarum voluntatum &c. nuncupantur. Numerus autem Profeſſorum Ordinariorum in aliis Academiis major eſt, in aliis minor, v c. tres circiter aut 5. rarius plures ordinarii, quibus accedunt extraordinarii, item adjuncti. Quia opus eſt, ut quælibet pars

ſcien-

ſcientiæ quam optime excoleretur; id vero fieri nequit, ſi modo ab hac parte ad aliam ſit transeundum, in qua parum præſtare valet, qui in alia plus præſtitiſſet: permittendum eſſet cuique doctori, ut in ea maneret ſcientia in qua plurimum feciſſet progreſſuum, & eam ſibi illico eligeret, dum docere incipit, ſaltem dum opportunitas naſcitur ſe ad eam accingendi, in quam ingenium præ cæteris fertur. Ordo, uti in philoſophica facultate (§. 336), & alibi, peteretur a tempore quo ſpartam ſuam ſunt adepti, & ſtipendia conſtituerentur æqualia, ne eorum incrementa incitarent ad ſtationem, cui bene præſunt, deſerendam.

Cretenſium rempublicam primis legibus Rhadamanti & Minoïs, Clariſſ. JCtorum inſtitutam fuiſſe, *Ariſtoteles* fatetur. Quarum cognoſcendarum cauſa Pythagores Cretam eſt profectus, & Lycurgus, poſtea Lacedæmoniorum legislator factus divini humanique jurisprudentiam in Cretenſi Gymnaſio percepit, *Luciano in Dial. de Gymnaſ.* ſub innuente; quas leges Plato tanti fecit, ut in ſuos libros de legibus eas referret. Plures ibi quam alibi fuiſſe perhibentur excellentiſſimi ſophiſtæ & Jovis prophetæ, legum magiſtri, ab eſu carnium abſtinentes. Maxima ibi inſtituendæ juventuti opera dabatur. Qui ingenio valere judicabantur, ex ærario publico alimenta, & ſingulos præceptores percipiebant, qui præter bonas artes, ipſas etiam leges cum concentu & ſuavi melodia tradebant, ut jucundius ediſcerentur & facilius memoria tenerentur. Rhythmos quoque in honorem Deorum, præcipue Jovis, compoſitos ad diſcendum præponebant, item fortium virorum encomia, & muſicam. Studioſi convivia a Minoë inſtituta frequentabant, in quibus a cœna illuſtrium virorum laudes celebrabantur. Huc ergo Solon & Thales ſtudiorum cauſa ſe contulerunt, Laërtio teſte. E quibus quædam antiquæ Theologiæ & Jurisprudentiæ veſtigia apparent; qualia quoque Corinthiorum *Cranium*, in quo Cynici philoſophabantur, & Rhodiorum Gymnaſium, ubi Poſſidoni-

donius, præter alios floruit artium professores, quos non piguit audire Pompejum M. Tiberium cuique Cicero suum de Consulatu librum corrigendum transmisit, teste quadam epistola ad Atticum data. Medicinam cæt. quoque non plane penitusque neglectam esse, docent exempla celeberrimorum virorum, Hippocratis, Aesculapii, Erasistrati, Herophili, Serapionis, item Medici Alexandri M. quorum alii ab aliis artem medicam hausere; tametsi nondum loci recordor, quo pateat, in academiis illam institutionem in arte medica esse factam. Certe id incredibile dici nequit. Antiquis Parisinæ, Aurelianensis &c. academiarum legibus memorantur Magistri Theologiæ & Medicinæ, & doctores in decretis, & legibus in *Dacherii spicilegio Tom. VI. p. 381. seqq.* Leguntur etiam olim seorsum creati Doctores Juris Canonici, uti etiam nunc in Anglia creantur. Ad Theologiam nonnusquam revocari solent Linguæ sanctæ seu Professores græcæ, hebraicæ, chald. syr. arab. linguæ, Historia sacra, cum antiquitatibus S. S. illustrantibus. Cæteræ sunt partim veteris, partim novi testamenti, vel certarum disciplinarum theol. professores. JCti alii solent esse Professores Institutionum, alii Pandectarum, alii Codicis, alii Juris Canonici; aut & digesti veteris, infortiati & novi; aut secundum jurium diversitatem. Medicinæ Professiones esse solent, anatomica, botanica, chemica, pathologica & therapeutica, cui jungitur chirurgica.

§. 338.

Quis sit Rector Magnificus?

Prout Rector civitatis vocatur, cui imperium in eadem debetur, & qui illud nomine omnium exercet (§. 42. *P. 8. Jur. nat.*): ita *Rector universitatis* est, cuius primæ sunt imperii academici partes, quique illud in eadem nomine omnium Professorum exercet. Vocari is solet *Rector Magnificus*, quo titulo olim Præfecti Prætorio & urbis honestabantur. Inde Rectori magnificentia academica tribuitur, veluti insigne ipsius peculiare. Translate Rector caput academiæ audit. Summi gradus *Rector magnificentissimus* est.

Agnoſcitur inde officium Rectoris, ſcilicet convocare concilium & academiam univerſam pro re nata, referre ad convocatos de negotiis gerendis, ſententiam ordine rogare, numerare ſuffragia, ſecundum plura concludere, & decreta exſequi aut expedire. Curare, ut ea, quorum memoria conſervari debet, in academiæ annales referantur; ut leges academiæ ſerventur, recitationes aliæque operæ publicæ diligenter obeantur, cum decanis providere, ne ſpargantur impiæ aut falſæ doctrinæ, ne diſputationes & exercitationes publicæ prætermittantur. Rationе ſtudioſorum ipſius eſt neminem adſcribere in numerum academicorum niſi merentem obligatumque ad leges ſervandas, judicia exercere cum ſenatu ex æquo & bono ſumma brevitate, leviora delicta carcere aut mulcta, graviora pro rei atrocitate aliis relegatione aut ſupplicio, niſi pacto vel legibus iſta cognitio ſit relinquenda. In rebus exigui momenti, ſua autoritate utatur ſecundum leges. Si locus vacet fato cujusdam, curabit quæ exſequiarum ratio & leges jubent; ſi vel eligendus vel commendandus quisquam loco dignus; vel electus adire ſpartam debet, legibus ut ſatis fiat ſtudebit & diem eliget idoneum. Neque minus tuendis privilegiis operam dabit decentem.

§. 339.

De primatu Rectoris. *Rector magnificus merito ſummis honoribus & primatu academico gaudet.* Ejus enim ſunt primæ imperii academici partes (§. 338.), quod & ipſe nomine omnium exercet. Quam ob rem uti bene merentes de rep. & literaria honorandi ſunt (§. 761. *P. VIII. Jur. nat.*): ita Rectoris magnifici primæ eſſe debent partes academici quoque honoris. Merito igitur ſummo in honore ponitur, merito titulo decoratur, quo nemo alius merito anteceſſor eſt, primicerius & præſes totius corporis academici, merito inde academico gaudet principatu, quamdiu muneri ſuo præeſt. Poſito inde rectoratu, ponitur & principatus, tranſitque ad novum rectorem, faſces academiæ adeptum.

Hujus

Huius principatus ergo Rectori dari ſolet pileus, quali principes utuntur, purpura pallii, ſceptrum argenteum duplex illi præfertur, traduntur illi libri academici, claves quoque rerum occludendarum, ſigillum academiæ, item paſſim jura creandi comites palatinos, poëtas laureatos &c.

§. 340.

Quis Rector Magnificus ſit conſtituendus?

Ordine aptiſſimo Rector magnificus certa lege petendus eligendusque eſt e numero Profeſſorum præcipuorum. Summis enim gaudere debet honoribus & principatu academico, ut dignitatem auctoritatemque totius corporis academici tueatur, & principis perſonam in illa referat (§. 339.). Quare quia quo majores ſunt honores, eo magis ſtudendum eſt, ut non niſi merentibus, qui eos rite ſuſtineant, tribuantur (§. 761. *P. VIII. Jur. nat.*): aptiſſimo ordine Rector magnificus non niſi ex præcipuis Profeſſoribus petetur eligeturque: ſaltem extra ordinem electo alii talis eſt adjungendus, cujus conſiliis & nutu is agat.

Conſultum interdum viſum eſt, propter ſpem augendæ dignitatis utilitatisque academiæ, Rectorem eligere Principem, Comitem aliumve inſignem virum, civem academiæ talem, qui par deprehenſus eſt decenter gerendi ſceptrum academicum. Enim vero, quia leges & ſtatuta academiæ, licet jurato promiſſa ſit ipſis cura ipſis ſatisfaciendi, vix poſſunt cuiquam ita percepta eſſe, ut licet velit, omnibus cuſtodiendis ex aſſe par ſit: merito ipſo Rectori extraordinario adjungi alius ſolet ordinarius v. c. qui abiit ab iſto munere, ut ipſi ab intimis ſit conſiliis & velut Prorector gerat gerenda.

§. 341.

Quomodo par facultatum ratio pro meritis haberi poſſit?

Quisquis ſtatuatur ordo inter facultates eruditionis, opera tamen danda, ut ſummi honoris cauſa pari dignitate, ob dona Dei & commoda, quæ reip. afferunt, cenſeantur, in eis excellentes & in unum corpus academicum coaleſcant. Vti nempe in aliis vitæ generibus generali quidem opus eſt ordine quodam civitatis, communi

consensu stabilito; eo tamen non obstante meritorum ratio habetur, & bene meriti ex gradu meritorum censentur (§. 565. *P. I. Polit.*): ita quoque in re literaria debito opus est ordine, ut omnia eo melius fieri possint (§. 241. *P. I. Polit.*). Attamen salutis publicæ ratio habenda (§. 334. *not.* 1.) jubet suum cuique tribuere, ideoque meritorum circiter parium præmia statuere æqualia (§. 766 *P. 8. Jur. nat.*). Quod fit, quando vel stipendiis & emolumentis gaudent, vel honoribus æqualibus, quotquot illis per se digni reperiuntur, uti in Democratiæ civilibus institutis (§. 564. *seq. P. I. Polit.*). Præsertim dotes virtutesque mentis excellentes, ut divinæ, pari censu sunt habendæ. Quam ob rem viri in qualibet facultate excellentes, propter merita in remp. summorum honorum causa pari fere dignitate sunt censendi, curandumque, ut quilibet eruditus pro sorte sua æque fortunas meritis augere possit, ac alius quisque in alio quovis genere vitæ (§. 566. *P. I. Polit.*). Quoniam quotquot statuantur facultates academicæ, illæ tamen se invicem juvare & perficere possunt ob sororium, quod inter inferiores superioresque, tum seorsum tum conjunctim sumtas, vinculum intercedit (§. 334.) præstat, omnes in eadem academia conjungi, quam alias in aliis dispersas esse quærendas (§ 328). Idcirco omnes facultates, vel omnia earum collegia, in unum corpus academicum, seu in unam universitatem merito ita coalescunt & consociantur, ut pariter excellere, Rectores magnifici fieri parique prosperitate singuli bene merentes uti fruique possint (§ 337).

De sororio scientiarum omnium, multo magis affinium & principia aliis subministrantium, vinculo multi multa sunt commentati, qui nobis otium de his dicendi fecerunt. Neque opus est, ut longinqua & minuta congerantur argumenta, cum propinqua suppetant & generalia, a nemine in dubium vocanda. Sunt animi divinæ originis, eorumque dotes. Versantur enim omnes

nes artes ſcientiæque circa res generi humano proficuas, earumque uſus eſt eo certior ampliorque, quo rectius earum indoles & ratio habetur explorata. Quid vero aliud continent ſcientiæ artesque, quam aliæ aliarum rerum indolem, rationes & uſum. Quo plures ergo habentur perſpectæ, eo plurium rerum gaudebimus peritia & uſu, in noſtra & eorum, qui noſtræ fidei ſunt crediti, ſalute procuranda; eo quoque majus erit noſtrum in res ipſas dominium, uti eſſe divino conſilio & in Dei gloriam debet. Ipſa vero conjunctio omnium collegiorum in unum corpus academicum, inque eandem univerſitatem, ſimilia pollicetur præſtatque ipſis inter ſe invicem emolumenta, ac reliquæ artes ingnobiles & quævis vitæ genera in ſe invicem conjunctis viribus ſibi præſtare ſolent. Iuvant ſe mutuo facultates, ornant, perficiunt, ad æmulationem provocant in præclaris rebus. Paritati conſulitur vel ſalariis paribus tum ratione meritorum ordinariorum, tum extraordinariorum; vel honoribus academicis etiam ſummis. Ita paſſim in univerſitatibus receptum eſt, ut Rector magnificus ordine ſolito, ſemeſtri ſpatio ſit Theologus, altero ſequenti ICtus, tertio Medicus, quarto Philoſophus, itaque quovis biennio redeat in orbem in iſta facultatum ſerie, niſi graves cauſæ urgeant exceptionem. V. c. Regiomonti ea Facultas præteritur, quæ deſtituitur tempore ſuſcipiendi muneris idoneo Profeſſore. Vid. *Arnoldi Hiſt. univerſitatis Regiom. P. II. p. 89. ſeq.* Reſtringitur ibi munus Rectoris ad duos primarios ſuperiorum & 4 primarios inferioris artium Facultatis Vt Pariſiis & Pragæ ita Lipſiæ munus ſemeſtre Rectoris non ad 4 facultates, ſed 4 nationes, Saxonicam, Bavar. S. Miſnicam Francon. & polonam devolvitur, ſi Profeſſores inde nati, vel ad illam legitime adſcripti adſint. His nempe modis obtinetur, ne quis facultatum contemtus invaleſcat, quando pariter & præeſſe & ſubeſſe viciſſim intelliguntur capitibus ordine ſtato e qualibet petendis. Paritatis illius declarandæ cauſſa nulli in aliam vel alias dandum eſt imperium. Inde & vidimus Genuæ Doctores & Magiſtros ad quævis munera adſpirare. Indidem alibi quoque gradus academici majores nobili-

tati civili sunt æquiparati, tanquam nobilitas literaria seu erudita. Quæ sententia utut non jejuna nitatur comparatione, cur tamen non multis placuerit haud difficulter perspicitur. Cæterum & illud huc pertinet, quod ICti, medici, & Philosophi consiliariorum nobilium, Baronum ordini propter merita insignia adscripti fuere uti exemplis priscis & recentibus variorum in Germania, Dania, Succia cæterisque cultioribus civitatibus comprobari potest. Pragæ & in Lipsiensium Privilegio 4 nationes per omnia æquales statuuntur. Quæ æqualitas eo rectius pateret, eoque magis superbiæ obstaret, si ea seu facultas seu natio, cuius Rector nunc præest, omnibus cæteris facultatibus anteiret; sequente ea, quæ proxime vel antecessit in Rectoratu, vel secutura est.

§. 342.

Etiam in Gymnasiis academicis.

Similis ordo Rectorum Gymnasiis academicis melius respondet, quam perpetuus Rector unicæ Facultatis. Etenim in Gymnasiis academicis Professores omnium facultatum habentur, uti in academiis (§. 329.). Proinde quod academiis convenire, ad provehendas omnes partes eruditionis in omnibus facultatibus academicis, & ad concordiam salutemque earum amplificandam profuturum esse intellectum, ideoque in tantum non omnibus academiis institutum, optimaque rerum magistra per tot sæcula confirmatum est, idem illud quoque Gymnasiis academicis expediturum esse, acutius ingenium nacti facile prospicere potuerunt, prospexeruntque. Tantum minoris momenti rationes alia persuadere potuerunt, uti in accademiis ipsis. Quæ sicubi admissa sunt, alia subinde poposcere remedia, adversus subnatos sensim abusus adhibenda, & vix unquam eo successu, quo gaudet vicissitudo. Neque enim rectius & in re literaria discitur, quid æquum pulchrumque sit, in rebus gerendis, quam si plures æmulationis studio exemplo suo id melius quam rationibus tantum ostendunt.

Si

Si perpetuus & ſemper eiusdem facultatis Rector habeatur, partim ipſe facile ſyſtemate inſatiabili effecto ſpiritus capit elatiores, ut ſe ſolum illis honoribus dignum judicet, ſe nimis efferat aliosque deſpiciat, & involet in ipſorum jura uſurpanda ſibi; partim ipſius ordo memor illius: nos poma &c. contemnat cæteras facultates, easque ſupplantare utcunque audeat. Vnde non poſſunt non oriri ſimultates primum, tum querelæ, diffidia & odia varia, malum proditura exemplum, & facile eruptura in graviora incommoda ipſiusque rei litterariæ nocumenta. Quæ mala haud raro augentur improba adminiſtratione muneris perpetui, multis nocitura, nec niſi pravis artibus pallianda ac ſuſtentanda. Senſerunt igitur pleræque omnes academiæ, & Gymnaſia academica, vices ſtatas & ambulatorias ad dignos quosque profeſſores rectoris eſſe præferendas, ubicunque libertas vigere & concordare in publica commoda debet.

Objiciat forte quisquam ſcholas triviales, in quibus perpetui habentur Rectores usquequaque. Sed is non attenderet ad diſparem plane talemque rationem, ac ſiquis oppiduli conſulem cum urbis maximæ conſule contendere, & quia is perpetuus eſſe poteſt, concludere vellet etiam hunc perpetuum eſſe debere. Scilicet ubi agitur de virtutibus intellectus ad ſummum faſtigium, quod in homines cadere & diffundi in plures cum inſigni civitatis emolumento poteſt, evehendis, ibi ſumma quisque libertate & pari ac cæteri ſpe incendi debet ad illud obtinendum. Eapropter ibi male deprimeretur ad ferendum jugum cujusdam Orbilii aut Ariſtarchi, ſibi quidem ſatis ſuffeni, ſed in aliis cœcutientis ineptientisque. Item ubi a Profeſſoribus auditores beneficiis ſunt ad induſtriam excitandi, ibi eorum diſtributio male Rectori crederetur ſoli aut ab eo ſibi vindicaretur. Sola academia Pariſina Rectorem habet perpetuum eumque Philoſophum. Sed nullus inter eos ne quidem Carteſius fuit, multo minus ſublimior eo Philoſophus. Conſulendus tantum eſt Hiſtoricus eius, ut cætera diſcas incommoda inde prognata. A quibus nihil perpeſſæ ſunt academiæ non niſi ſemeſtrem rectorem habentes. Narrat *Arnoldus L. II. p. 85. ſeqq.*

rationes

rationes, ob quas Regiomontani non perpetuum, sed annuum tantum Rectorem petierunt p. 88. sed frustra: quia præstare deprehensum est, ne justo diutius Rector magnificus, vel onere isto premeretur, vel avocaretur a munere docendi per impedimenta muneris sui, vel alii diutius sperare eundem gradum dignitatis cogerentur. In Gymnasiis academicis cum tanta nondum sit negotiorum moles, facilius annuos fasces Rector gerit, uti in Gymnasio Hamburgensi. Quod si quis academicum esse negaverit, is mecum rem non habebit, cui splendor Gymnasii hac in re sufficit, parum ab academico diversus, tametsi facultates superiores ibi nondum doceantur. Quantum a spe haud raro delapsos se senserint, qui vel Theologis optime committi posse perpetuas Rectoris partes censuere, id testantur & nonnulla prodita exempla, & plura anecdota, iis annumeranda, de quibus dici solet, mala non esse loco suo movenda. Attamen Coloniæ Rector est trimestris; Salmanticæ, Basileæ alibique annuus.

§. 343.

De senatu Professorio Rectori adjungendo.

Rectori academico aut Gymnasii academici recte adjungitur vel omnis vel certus Professorum peritissimorum numerus velut senatus, quorum ex sententia quæ fiat, omnes res majoris momenti altiorisque indaginis agat, ac rite reditus stipendiaque disponat. Rector enim academiæ, aut Gymnasii academici, nomine omnium Professorum cujuscunque facultatis imperio academico præest (§. 3.). Quamobrem ubi rarius conventu professorio opus est, neque magnus Professorum numerus habetur, ibi omnium sententia erit exploranda, & quod pluribus visum est, pro omnium voluntate habendum est, uti in qualibet alia societate (§. 79. P. *VII. Jur. nat.*). Vbi vero nimis frequenti opus est conventu, & magnus Professorum numerus, ibi cavendi neglectus horarum causa, quibus studiosi docendi sunt, paucis peritioribus vices semestres committendæ sunt, loco omnium cum Rectore sciscendi ea, quæ non summi sunt momenti.

Ergo

Ergo res paulo majoris momenti, altiorisque indaginis, in isto consessu, tanquam senatu professorio, excutiendæ sunt, definiendæque secundum eam, quæ pluribus arrisit, sententiam.

Vbi vero reditus habentur Professoribus assignati, aut stipendia, quorum administratio Professoribus est demandata: ibi eorum exactio, & acceptio procuranda est sic, ut nihil in officio negligatur, nihilque periculi metuendum sit. Quod cum rectius fieri nequeat, quam si administratio penes quemquam Professorum aut penes ipsummet Rectorem ita sit, ne quidquam contra voluntatem seu omnium, seu eorum, quibus illa cura delegata est, statuere de illis possit: apertum est, vel Rectori adjungendum esse seu omnem, seu certum numerum Professorum, sine quorum consensu & reditus communes & stipendia dispensare nefas sit. Adjungendus igitur est senatus Professorius Rectori, ideo quoque, ne quid redituum aut stipendiorum pereat aut male erogetur, sed senatus suffragiis in usus debitos impendatur.

Exemplo Regiomontanæ academiæ hoc illustraturi, afferemus ex D. *Arnoldi Hist. P. I. Docum. p. 129.* hæc statuta: universus academiæ senatus constat ex omnibus superiorum disciplinarum Professoribus cum Decano artium & 4. præcipuis Magistris, qui in academia publicos artium professores agunt. Hi in maximis negotiis omnes ad deliberandum vocandi sunt, & eodem, quo Decani, juramento devincti esse debent. Sine eorum consilio & autoritate nullum decretum publicum a Rectore fiat. Sententiam in senatu rogati, ordine & placide dicant; omnesque dissidiorum causas & occasiones summo studio vitent &c. add. *p. 140. seq.* In quod plurium sententiæ convenerint, id firmum ratumque habetor. Quia monetur in exordio statutorum posteriorum p. -- hoc corpus statutorum selectum & matura deliberatione formatum esse ex statutis Tubingensibus & Wittebergensibus: liquet, hoc exemplum simul plurium

inſtar eſſe poſſe. Cum in academiis, ab ſtudioſorum multitudinem, & ſenatus habendi neceſſariam frequentiam, male conſultum eſſet ſtudioſis tot horarum impedimentis publicis, paucis tantum membris conſtare ſenatus academiæ ſeu concilium debet, ne reliqui Profeſſores a recitationibus ſuis avocandi ſint præter neceſſitatem. Regiomonti 6. ſuperiorum & 5. philoſophicæ facultatis ſenatores conficiunt ſenatum academicum, in quo Rector primus ſententiam dicit, & ſi paria ſibi opponantur ſuffragia, Rector altero ſuffragio ſuo decidit cauſam *p.* 141. *l. c.* Leviora autem negotia Rector cum Decanis tranſigit. Vitembergæ concilium efficiunt 4. Decani cum Rectore Magnifico & Protonotario. Res fiſci autem Rector cum 4. facultatum Senioribus curat, & in gravioribus cum corpore academico univerſo.

§. 344.

Rectori rationes geſtæ adminiſtrationis ſunt reddendæ.

Rectori in academiis Gymnaſiisque academicis non proprio nutu ſed ex conſenſu Profeſſorum, ipſi adjunctorum res communes ſunt gerendæ, & ſi quid pecuniarum adminiſtrandum habet, eisdem rationes ſunt reddendæ, ut ſecundum leges erogari poſſint. Neque enim Rector eſt animal impeccabile & falli neſcium, ſed uti homo nihil humani a ſe alienum putare debet. Præterea non fruſtra ipſi adjuncti ſunt collegæ periti & prudentes, ſed eum in finem, ut in rebus difficilioribus ad eos ut pares cauſam referat, cum illis quid optimum factu deliberet, eorumque ſuffragiis numeratis ex plurium conſenſu decernat decernenda (§. 343). Non ergo ſuopte judicio uti debet, niſi in rebus eidem relictis, ſeu levioris momenti & legibus definitæ fuerint, ſeu moræ impatientes (§ 243. & 175 *ſeq. P. VIII. Jur. nat.*); ſed ex conſenſu Profeſſorum, ipſi in rebus communibus gerendis adjunctorum, pro majori ſuffragiorum numero ſententiam dare obligatur. Quocirca ſi vel optime omnia adminiſtravit, tamen ipſius intereſt, ut id ſciant collegæ, aut generatim illi, quorum fidei iſta cura præter ipſum eſt commiſſa. Injungere id

id ipſum ſolet lex academica, & pactum paſſim juratum, quo faſces rectoris ſuſcipiuntur. Sed & his non adhibitis, naturalis ratio & æquitas adminiſtrationis bonorum alienorum, cujusmodi ſunt Rectori adminiſtranda relicta, flagitaret rationes reddendas iis quorum intereſt, ut ſciant, rectene an male gesta ſit adminiſtratio (§. 701. *P. IV. Jur. nat.*). Si quid bonorum, redituum, mulctarum, & pecuniæ pro inſcriptione in album academiæ &c. adminiſtrandum accepit, diligenter curandum eſt, ut ſolvantur, accipianturque debita, & accepta aſſerventur, donec communi conſenſu ſecundum leges erogari debent, vel ut conſtet, ipſum legitime erogaſſe, quæ ſolus erogare poteſt.

De M. Aur. Antonino, Romanorum imperatore refert *Capitolinus c. 8.* ipſum priusquam rem arduam ageret, cum optimatibus conſultaſſe; & ſiquid ipſe diverſum a plerisque ſentiret, dixiſſe, æquius eſt, ut ego tot & talium amicorum conſilium ſequar, quam ut illi meam unius voluntatem ſequantur. Quare & hoc ſymbolo uſus eſt: conſulendum, & conſilio parendum; attendens ad illud *Livii L. IV. 5.* eum, qui de ſua unius ſententia omnia gerit, ſuperbum magis, quam ſapientem judicandum eſſe. Idem pecuniæ publicæ, quantum per honeſtatem licuit, pepercit, nunquam ea abuſus, ſed abſtinens ab ea tanquam aliena. Quæ ſi in imperatoris, majeſtate effulgentis & abſoluti, laudibus ponuntur; num de Rectoris academici officio cum in ſententiis adjunctorum ſibi collegarum audiendis & obſervandis, licet a ſua ſententia diſcedant, tum in rationibus rite geſtæ adminiſtrationis reddendis, aliter ſtatui poterit a quoquam? Certe detrectans id agere, quod debet, non ſolum ſuſpectum ſe redderet turpis aut ambitionis, aut perverſæ adminiſtrationis, cujus in jus vocatus meritas lueret pœnas. Rector academiæ Regiomontanæ jurat, ſe rationes bona fide relaturum ad ærarium.

§. 345.

De facultatum Decanis collegiisque. Quia quælibet facultas academica varias continet disciplinas & scientias (§. 335 & 337.), ideoque complures Professores jure tribuendi gradus academicos in sua facultate præditos (§. 332. *seq.*): mirum non est, quamlibet facultatem peculiare collegium constituere in universitate, quod res suas sibi habens, suo quoque utitur præside, quem *Decanum* dicere consueverunt. Inde cuilibet collegio sua sunt statuta, de modo res suas rite tractandi, uti de gradibus conferendis, deque reditibus inde consequendis sua æraria; nec non sua jura respondendi de rebus ad suam facultatem pertinentibus, de quibus afferuntur quæstiones discutiendæ; sua sigilla, quibus responsa & testimonia, documentaque confirmantur, ut plena ipsis tribui possit fides. Decani munus semestre postulat censuram librorum suæ facultatis edendorum; convocationem ad consessum, enarrationem rei, primum suffragium, & si paria emergant, secundum decidens; expeditionem decretorum, responsorum, literarum &c. curam diligentiæ in recitationibus suæ facultatis; præsentiam in Disputationibus, earumque primam nonnusquam impugnationem &c. Censura imprimendorum, responsum, impertitioque graduum aliquod ipsi afferunt emolumentum; cætera gratuita sunt officia. Cæterum Decanis primus locus tantum datur in facultatis consessu, non extra eundem, excepto Decano Philosophico, qui Regiomonti utique primum locum in sua facultate, & in Catalogo lectionum habet, tanquam senator academicus & Rectori adjunctus.

Præter Canonicos episcopatus decem circiter præses ejusdem, ut olim militum, Decanus dici consuevit; usitatius quam Decurio unde procul dubio nomen ad collegia facultatum academicarum translatum est, quoniam Decanus illius collegii præses est, &

& quidquid illius collegii nomine jubendum agendum exigendumque eſt, id ipſius ſubeſt poteſtati officioque. Cæterum cum conſtitutio Decanorum & jurium ab ipſis exercendorum a conſenſu Profeſſorum & ſuperiorum, quibus ſubſunt, pendeat; de omnibus decanis idem dici nequit, ſed diſpiciendum eſt, quid illis in data academia vel tributum ſit, vel denegatum. Cæterum reſponſa theologica in caſibus theoreticis de doctrina quadam diviniore, in practicis vero de actionibus præteritis aut futuris ſententiam Profeſſorum Theologiæ, qui membra ſunt illius facultatis; reſponſa juridica de jure ejusque applicatione ad facta; medica de rebus medicis, lethalitate vulnerum ſimiliumque caſuum intricatorum; philoſophica de rebus philoſophicis, philologicis, mathematicis, mechanicis, phyſicis, ſimilibusque agere & formanda eſſe, ipſa facultatum ratio commonſtrat. Decanos obligari ad reddendas ſuæ facultatis adminiſtrationis geſtæ rationes, vix opus eſt, ut admoneatur (§. 341.). Juridicæ facultatis Decanus Lipſiæ & Leucoreæ &c. eſt perpetuus, diciturque *ordinarius*, alibi anteceſſor.

§. 346.

Academiarum eximietas & jurisdictio, ſ. ſceptrum.

Civilium privilegiorum, quæ in academiis dantur, alia ſunt ſumma, vel ſi hoc mavis, majora, alia minora ſeu inferiora (§. 331.), illa conſiſtunt in ſtatu ſoli majeſtati obnoxio; hæc in jurisdictione propria potiſſimum conſpicua ſunt. Illa faciunt, ut eximiæ ſint univerſitates, unde cum *Symmacho eximietas* vel *eminentia* dici poſſet iſte illarum ſtatus, quemadmodum purpurati Romani eminentium elogio dudum gaudent, qui & ipſi non niſi ſummo pontifici parent. Hæc poteſtas juris dicundi academica, cum annexis *ſceptrum academicum* dici poteſt.

Quando propria deſunt nomina res obvias denominandi, præſtat receptis uti vocabulis etſi (§. 346.) impropriis, quam pro arbitrio confictis. Jam ſceptrum uti ſignum ſæpius adhibetur pro jure, quod eodem ſignatur. Inde notat ſceptrum academicum omne quidem jus, quo excellunt, & quo

carent ſceptrum nullum gerentes. Quia vero jus eximium non abs re eximietas vel eminentia dicatur, reliqua privilegia academica civilia civile ſignum ſceptri academici ejusque nomen in memoriam revocavit.

§. 347.

Cui ſubſint academiæ eximiæ in diverſis rebuspublicis.

Quia majeſtas in regno eſt penes regem (§. 10.); in Ariſtocratia penes optimatum collegium (§. 246. P. VIII. Jur. nat.); & in Democratia penes populum uniuerſum (§. 208. ibid.): patet, *academias eximias in regno tantum ſubeſſe regibus, in Ariſtocratia tantum cœtui optimatum ſimul ſumto, & in democratia tantum populo univerſo* (§. 343.). Nemo alius igitur ſibi imperium in academiam eximiam arrogare poteſt, & ſi quid hujusmodi attentaretur, merito academia illi obſequium denegaret, tanquam invaſori & uſurpatori injuſto.

Regias Academias ſoli ſubeſſe Regi; pontificias ſoli Pontifici; Ducales ſoli duci, cæt. inter omnes conſtat. Patavinam vero, Ultrajectinam, Lugdunenſem, Baſileenſem, Genevenſem, ſimilesque nemo regias dicet. Quatenus tamen reſp., quibus ſubſunt, ſui ſunt juris, eatenus & hæ eximiæ dici merentur. Vbi enim majeſtas perſonalis non datur, ibi ſufficit realem dari, jura ſummi imperii complectentem.

§. 348.

Quando academiæ referantur ad ordines reip.

Vbi temperata habetur reip. forma, ibi mirum non eſt, academias ordinibus reip. primariis accenſeri. Vbi enim temperata habetur reip. forma, ibi illa limitatur per alim diverſæ indolis (§. 3.), quæ conſors eſt quorundam jurium ſummi imperii (§. 65.), atque forma ſecundaria appellatur. Sed illæ tribus & claſſes, quæ quadamtenus participes ſunt ſummi imperii, vocantur ordines ejus formæ (§. 92. not.). Quare cum eximiæ univerſitates nemini ſubſint præterquam majeſtate præditis (§. 346.), ſunt iilæ pares cæteris ſimili privilegio ornatis. Hinc qui

quia hi ordines civitatis primarios conficiunt (§. 126.): universitates eximiæ merito ordinibus primariis accensentur.

Cui ignotum est inter ordines Saxoniæ primarios haberi universitates, Wittebergensem & Lipsiensem? Principum enim & Prælatorum ordini ipsarum delegati adjungebantur. Cum vero comitibus præferri cuperent 1660, lis ita diremta est, ut peculiare collegium constituant A. 1668. In rebus academicis supremo senatu ecclesiastico; in civilibus autem & criminalibus summo subsunt tribunali provinciæ, provocatione concessa. Pari modo Oxoniensis Academia & Cantabrigiensis privilegio Jacobi I. 1603. binos mittit ad senatum regni (*Parliament*), qui universitatum nomine suffragentur. Qui senatores cavent pariter, ne quid detrimenti patiantur universitates, ac earum incrementis student.

§. 349.

Cur academia præferatur magistratui urbano?

Quoniam universitas eximia soli subest rectori civitatis, majestate gaudenti (§. 346.): *magistratus illius loci, ubi ipsa degit, cedere illi loco debet*, pari privilegio destitutus. Etenim in universitatem eximiam nemo sibi imperium arrogare potest, aut si hujusmodi quidpiam tentet, illi obsequium est detrectandum (§. 330.). Quare & magistratus loci, ubi academiæ domicilia habentur, si pari eminentiæ privilegio destituatur, nil habet, quo se Academiæ parem statuat, aut imperium sibi in illam arrogare possit. Restat igitur, ut illi loco cedat.

Hæc prærogativa alibi aliter se exserit, vel pacto jussuque rectoris civitatis declaratur. Rectorum Lovaniensem urbis magistratus suspicit & veneratur. Oxonii & Cantabrigiæ senatus & cives subsunt universitati academicæ. Conf. notat. §. 333. Lipsiæ & Wittebergæ in solemnitate corpus academicum præcedit, corpus civitatis sequitur. Regiomonti Rectorem sequuntur principes, comites & Barones, si qui in aula degunt, hos decanus facultatis Theol. cum cæteris Professoribus, simili modo Decanus JCtorum, cum reliquis Professoribus, tum Medici itidem,

post

post eos 3 Præsides Tripolitani; tum Decanus cum cæteris Philosophicæ facultatis Professoribus. Extraordinarii Professores in Catalogis Lectionum processionibus promotionibusque academicis excipiunt ordinarios, sed in disputationibus, exsequiis, conviviis, carminibus imprimendis, artibus oratoriis, extraordinarii Theologiæ sequuntur ordinarios medicinæ professores. *V. docum. 64. & 65. P. I. Hist. Arnold.* Ratio, cur Rector Magnificus tam insigni loco gaudet, facile ex eo apparet, quod tanquam caput universitatis personam principis sustinet, itaque magnificentiæ causa purpura utitur in pallio, & in solemni processu duobus sceptris argenteis vel deauratis prælatis decoratur. Nonnunquam Principes & comites eliguntur Rectores magnifici, modo Academiæ jurent, ut alii Rectores, & Prorectorem admittant, si quod commodum inde speratur academiæ accessurum. Principes ipsi ubi sunt Rectores magnificentissimi ibi et Professoribus semper Prorectores, ut alibi Rectores leguntur. Sic Grypeswaldensis Academiæ Rector Magnificentissimus est Dux Sereniss. Megapol. & Suio-gothicus. Par est ratio, ubi Princeps juventutis Rectoris magnificentissimi munere fungitur. & Rector Patavinus more Senatorum Reip. Venetæ purpuratus, & si libet stola aurea incedit, finitoque munere Doctoris cohonestatur dignitate, transmissaque corona aurea recipitur in ordinem equitum S. Marci. Rector Bononiensis academiæ gaudet facultate absolvendi excommunicatos, quos dicunt usu sacrorum & interdictos. Helmæstadiensis est sacri lateranensis Palatii & aulæ imperialis confessionique comes; quæ comitis Palatini dignitas & Wittebergensibus aliisque tributa est. Conf. *Limnæus l. c. n. 25. seqq.*

§. 350.

De Cancellario universitatis. Præter Rectorem Magnificum egregia in quibusdam Academiis est dignitas Tutoris vel Dictatoris academici h. e. *Cancellarii*, vel proxima a Rectore, vel plerumque eo major. Arbiter is habetur candidatorum examinis & conferendorum graduum honoris academicorum, quam potestatem suam aut ipse

ipſe exercet, aut concedit Decanis facultatum. Præterea cuſtos legum academicarum & privilegiorum conſervator dici conſuevit, qui tamen alibi a cancellario differt, prout arbitrio conſtituentium Academiam viſum fuit. Plerumque is non eſt, niſi unicus, Pariſiis tamen diu jam quatuor creantur coram Epiſcopo in conſilio epiſcopali, vulgo velut Procancellarii capitulo, ubi adſtringuntur jurare, ſe nemini licentiam daturos, in Theologia, Canonibus, Medicina & Philoſophia, qui non fuerit iſto honore dignus. Ob Theologiæ Doctores creandos Epiſcopi paſſim in ſua diœceſi hunc ſibi honorem vindicarunt, aut aliis a ſe conſtitutis, qui Procancellarii dicuntur. Vbi Decani jam ad id adſtricti ſunt, quod ipſis a Cancellario injungitur, ibi peculiari cancellario opus non eſt, uti paſſim uſitatum eſt. Vbi vero Cancellarius habetur, ibi is plerumque eſt perpetuus & minor Rectore Magnificentiſſimo, Procancellarii vero in ſingulis facultatibus conſtituuntur ad actum creationis doctorum magiſtrorumve. Quanquam hi potius declarant candidatos honore ſummo dignos, vulgo licentiatos, & Decanis tribuunt facultatem ipſis ſummos conferendi honores. Alibi Cancellarii Jura ſunt ea, quæ Rectoris, & Concilii academici, Decanos complectentis, uti in Anglia.

Tubingæ & Gieſſæ Cancellarius Rectore major & potior cenſetur, unde inter ſtatuta ibi Cancellarius univerſitatis Rector fieri nequit, potius ibi ad eum & alibi appellationes devolvuntur. Sic Regiomonti Heshuſius urgebat, ſibi ut Epiſcopo Sambiæ ſtatutis attributam eſſe ephoriam academiæ ipſiusque Rectoris, curandumque eſſe, ut & leges & privilegia ſerventur. Item typographos & bibliopolas ſibi eſſe ſubjectos, ut qui libri imprimendi vendendique ſint, nec ne, ſtatueret. Neque minus beneficiorum principis collocationem & alumnorum inſpectionem ſuæ fidei eſſe demandatam, ut intereſſe ipſorum examinibus debeat. Pariter diſputationes theologicas ſeu cenſuræ eſſe ſubjici-

jiciendas, & a ſe ſubſcribendas antequam imprimantur. Quare & primum locum ſibi, ſecundum vero demum Rectori deberi contendebat. Sed reſpondebatur ipſi, Epiſcopum Mortinum ſuos quoque libros cenſuræ facultatis theologicæ ſubmiſiſſe, nec per ſtatuta academica ipſius muneri epiſcopali quidquam detrahi &c. Creationem doctorum Facultatibus eſſe tributam. Sopita eſt controverſia ipſius morte, & abrogato epiſcopatu. Vid. *Arnoldi Hiſt. Acad. P. I. p. 131. ſeqq.* Lipſiæ Cancellarius fuit Epiſcopus Merſeburgenſis, poſtea Dux, ut poſtulatus adminiſtrator Epiſcopatus, tandem cœtus canonicorum Procancellarium nominandi jus exercet. Cæterum nemini obſcurum eſt, Altorfinæ Cancellarium fuiſſe Philip. Camerarium; Argentoratenſis Jacobum Sturmium; Halenſis *Ludwigium* & L. B. *de Wolff*, Regiomontanæ, *de Sahme* vel D. Sahmium, Göttingenſis *Moshemium*, Tubingenſis *Pfaffium*, &c. Jenenſi ſemper, aliisque ſæpe diu nulli ſunt Cancellarii. De 4 Cancellariis Pariſinæ Facultatis vid. *Pasquier Recherches de la France L. 3. ch. 23.* & *Belleforeſt Hiſt. univ. c. 44. L. 3.* In Academia Roſtochienſi licet a Rectoris ſententia cauſam avocare ad Cancellarium; Gryphiæ vero non ad Cancellarium, ſed ad ipſum Pomeraniæ Ducem. Conf. *Limnæus cap. 2. de Cancellariis.* Oxonii perpetuus habetur Cancellarius, quem Academia eligit, qui eligit ſibi Prætorem vel judicem *the high Steward* ab Academia approbandum, itidem perpetuum. Quotannis eligitur Procancellarius e Præſidibus collegiorum, qui juſſa Cancellarii exſequitur curatque, ut leges academicæ obſerventur, judicia lites rite definiant, libri edendi cenſeantur; qui ſibi 4 adſciſcit vicarios. Quibus accedunt procuratores (Prœtors), artium magiſtri, quibus pacis ſervandæ cura & menſurarum examen incumbit, cum exercitiorum academicorum directione, ſuffragiorum collectione, graduum ſacramento, & degenerum dejectione a gradu academico.

§. 351.

De Prorecto-

Vbi Electores, duces & principes Rectores Magnificentiſſimi ſunt, ibi

ibi e numero professorum non statuuntur nisi ProreCtores & Procancellarii (§. 338.). Halensis, Helmæstadiensis, Kiloniensis, Rintelensis, Jenensis, Gryphica, aliæque academiæ complures id ipsum loquuntur. Alia ratio Prorectorum & ibi occurrit, sed rarius, ubi Rectores ut plurimum habentur, scilicet si Rector sit absens, morbo decumbat, vel princeps aut comes quispiam Rector est electus, rerum academicarum imperitus & facile nociturus universitati, nisi Prorectore perito esset instructus, cui pleraque gravioris momenti negotia, eorumque executio sit committenda. Procancellariorum ibi similis est ratio, ubi Cancellarii sunt usitati, vel soli vel præter Rectorem magnificum universitatis. Salmanticæ Procancellarius dicitur *Scholasticus*. *ribus & Procancellariis.*

§. 352.

Jus dicere novimus illum, qui judicem agit in civitate. Judicis vero est curare, ut justitiæ satisfiat & æquitati, nec injustitia & iniquitas insignis toleretur (§. 538. *P. VIII. Jur. nat.*). Quam obrem *jurisdictio* posita est in exercitio officiorum judicis, quæ requirunt, ut cognoscat causas in judicium deductas, pronuntiet, a cujus parte stet veritas, victoque injungat præstationem ejus, quod vincenti debet, atque ut vi adigat illum ad præstandum, quod sua sponte præstare recusat (§. 540. *ibid.*). Est autem alia civilis, quæ potissimum privatam curat justitiam & æquitatem; vel *criminalis*, quæ publicæ salutis causa agit, etiam ubi privatus nemo accusat, justitiam exercens. Vel illa versatur circa facta licita, ut sunt pacta & contractus privatorum; hæc circa delicta & crimina ulciscenda. *Quid sit jurisdictio & quotuplex?*

Adrianus VI. Pontifex romanus, ipse Lovanii & Rector & Cancellarius fuit, in cujus rei memoriam ibi Collegium condidit suo nomine compellatum, ubi tenuioris fortunæ juvenes

cum doctoribus alerentur, prout ipse olim ibi in pædagogio gratuito erat nutritus. Vnde si Princeps sit Rector eundem quoque Cancellarium esse, hoc est jura utriusque per se administrare censendus est. Neque opus est, ut istis nominibus appelletur, quod & in regnis vix usitatum est. Perinde igitur est, sive Rector dicatur caput universitatis & antecessor, sive Prorector, cum inter titulos regios Rectoris magnificentissimi mentio fieri non soleat, ne quidem ibi, ubi vel Elector, vel dux &c. ab ipsa universitate Rector magnificentissimus est dicendus. Vbi universitates ipsæ sibi eligunt Cancellarios, ibi & Procancellarios eligere solent, uti Oxoniensis Academiæ Cancellarius a studiosis in perpetuum, Procancellarius vero quotannis; & Cantabrigiensis Cancellarius a cœtu academico in triennium, & Procancellarius quotannis eligitur. Vid. Großbritan. Staat P. I. c. 7. p. 40. & 114. & Ant. a *Wood Hist. universitatis Oxon.* Lib. *II. p. 386. seqq.* Officio Procancellarii inest regimen universitatis, conservatio tuitioque privilegiorum, convocatio congregationum majorum & minorum, collectio graduum scholasticorum, compositio controversiarum & litium, punitio maleficorum, curatio munerum & officiorum, ut ipsis satisfiat, amotio vagabundorum, seductorum, meretricum &c.

§. 353.

Quænam complectatur sceptrum academicum?

Sceptri academici nomine veniunt hic cum jura imperandi, tum immunitates academicæ. Etenim sceptrum academicum commode notat juris dicundi potestatem academicam cum privilegiis reliquis eidem annexis (§. 346.). Hæc potestas involvit exercitium officiorum judicis (§. 540. *P. VIII. Jur. nat.*), quod jurisdictio nuncupatur (§. 352.). Sed jurisdictio academiæ oritur ex ipsius jure suis imperandi (§. 331.). Inde sceptrum academicum innuit imperium academicum in eos, qui academiæ sunt subjecti. Præterea connectuntur cum illo imperio aliæ immunitates ab officiis civilibus, quas scopus academiarum requisivit (§. 321.) & (§. 329.); & prius usus recepit, quam

quam jurisdictionem academicam. Proinde sceptrum academicum & illas involvit immunitates, quæ faciliorem ampliorem certioremque reddere possunt culturam intellectus scientiarum artiumque nobiliorum (§. 312. *seqq.*).

Magistratuumque id est peculium veluti, quod subditis imperandi, & eorum controversias cognoscendi dirimendique potestate gaudent. Inferioris autem gradus illa est jurisdictio, quando ab ea provocatio datur ad alios, quam majestate gaudentes. Idcirco etiam academiarum jurisdictio qualiscunque ad inferiora tantum pertinet privilegia civilia (§. 331.), nisi vel adquiescendum in ea sit propter prohibitam appellationem, vel appellatio fieri nequeat nisi ad majestate gaudentes. Quæ distinctius evolvere juvabit.

§. 354.

Membra academiæ strictius dividuntur in docentes & discentes; latius in imperantes & parentes. Etenim vel spectantur illi tantum, sine quibus nulla dari potest academia, hoc est membra ejus absolute necessaria & primaria; vel illi quoque qui tantum ornamento, commoditati & majori illius emolumento inserviunt, ideoque & abesse ab illa possunt, hoc est membra ejus secundaria. Priori casu membra illius primaria sunt docentes & discentes, & ita strictius dividitur omnis academia in docentes discentesque (§. 321.). Quorum illi vel publice docent & Professores sunt (§. 435. *P. VIII. Jur. nat.*); vel tantum privatim docent quosdam, dum facultate privatos intra parietes quædam docendi potiti sunt, qui legentes seu lectores academici dici consueverunt (§ 333. b). Discentes autem studentium, studiosorum aut academicorum civium nomine appellantur. Si vero latius considerentur omnes, qui academiis adhærent & accenseri solent, dirimuntur in imperantes seu regentes, qui aliis præsunt vel imperii academici sunt partici-

Divisio membrorum academiæ.

pes, & in obedientes ſeu regendos, qui imperata facere obligantur, ne a ſcopo academiæ aberretur (§. 141. *P. VIII. Jur. nat.*).

Qui in academiis docent, illi vel publice docendi, vel tantum privatim docendi jure gaudent. Qui enim neutro gaudent illi docere nequeunt, ſed prohibentur docere, ſi quid ſibi arrogent. Nec immerito id fit, quando inepti ſunt ad docendum vel ſuſpecti de erroribus propalandis, ſeducendisque aliis. Qui publica autoritate juſſi ſunt docere, illi publicis horis auditoriisque eum in finem utuntur. Hi Profeſſores appellantur aliique pleno jure & ſalario gaudent, quo dicuntur ordinarii Profeſſores; alii minus pleno ſeu diminuto adhuc vel ſalario carent, qui extraordinarii ſunt Profeſſores. Qui vero tantum intra privatos parietes & limitatam habent docendi facultatem, nude docentes, Magiſtri vel Doctores legentes, aut privati lectores univerſitatum nuncupantur. Quamquam & nonnulli publici dantur lectores, quibus facultas publice docendi, ſed in gradu inferiori conceſſa eſt. Ita in collegiis Oxonienſis & Cantabrigienſis academiæ habentur lectores grammaticæ rhetoricæ, Logicæ & Metaphyſicæ & Matheſis, qui vel quotannis leguntur, vel ſemel electi manent. Profeſſores ex Gellio etiam Prælectores dicuntur. Gedani ſubjungitur Profeſſoribus Lector linguæ polonicæ. Cæterum legitur in *Ciceronis L. de orat. c.* vis oratoris profeſſioque ipſa docendi; & *in Piſon.* qui Philoſophiam profitetur graviſſimam ſuſtinet perſonam. Inde *Celſus* Hippocratem dicit magnum profeſſorem; Svetonius Orbilium, grammaticum Profeſſorem, & *Plinius L. IV. Ep. 11.* affert Valerii verba, ex oratore rhetoris, quos tibi fortuna ludos facis? Facis enim ex Profeſſoribus ſenatores ex ſenatoribus profeſſores.

Altera autem diviſio civitati & academiæ communis eſt. Cum imperio non ſunt, niſi quibus imperium ex pacto debetur. Sic v. g. vel omnes Profeſſores conjunctim, ſeu collegium eorum, vel quidam ex eodem delecti imperio præſunt. Reliquis obſequii laus eſt relicta. Præcipui academiarum cives ſunt muſarum cultores & alumni, qui literarum academicarum ſtudioſi, &

& brevius ſtudioſi non invito Cicerone vocari conſueverunt. Deinceps Profeſſorum uxores, liberi, famuli, famulitium; qui ſunt ab academiæ miniſteriis quibuscunque; ſtudioſorum ephori, & ſervi, albo inſcripti chirurgi, linguarum, muſicæ & exercitiorum in armis, equitatione & ſaltatione, artibusque ſimilibus magiſtri ab academia recepti; & dependentes ab academia bibliopolæ, typographi, bibliopegi: aliique in academiæ fundis ſubditi. Oxonienſi academiæ & urbis cives cum Prætore ſuo quadantenus ſubſunt indultu Eduardi III. Quæ cum paſſim varient, conſulendæ ſunt leges & pactiones academiarum, ſicubi de his judicium eſt ferendum.

§. 355.

Cui ſubſint docentes in academiis eximiis.

Imperium academicum complectitur primum ipſos docentes, ut tamen provocatio ad ſummum tribunal majeſtatis in cauſis arduis concedenda ſit. Quia enim Profeſſores facultatem academicarum pari fere dignitate cenſendæ ſunt (§. 341.), ideoque Rectores petuntur e ſingulis facultatibus, certo quodam ordine recepto (§. *eod.*): collegium Profeſſorium univerſum eſt inſtar collegii optimatum, pari jure ſuffragandi & de rebus academicis ſciſcendi gaudens. Sed in ariſtocratia imperium ſummum indiviſum eſt penes integrum cœtum optimatum (§. 135. *P. VIII. Jur. nat.*), cui ideo & ſinguli ſubſunt optimates (§. 143. *ibid.*). Quapropter & integrum collegium profeſſorium imperio gaudet in ſingulos Profeſſores, ordinarios & extraordinarios, cæteroſque docendi facultate donatos. Quod ipſum quoque de Profeſſorum uxoribus & familia valere, ſua radiat luce.

Sed licet academiæ eximiæ pares ſint cæteris ordinibus, ſummi imperii conſortibus (§. 345.); ſubſunt tamen his, penes quos eſt majeſtas (§. 346.). Proinde conſultum & ſtatutis plerumque ſancitum eſt, ut in cauſis arduis provocatio detur ad legitimum judicem ſummumque; quemadmodum in ſimilibus cauſis civilibus fieri conſuevit (§. 549. *P. VIII. Jur. nat.*),

ne

ne quis de duriori ſententia vel de injuria ſibi illata conquerendi materiam nanciſcatur. Concedenda igitur eſt in cauſis arduis a ſententia concilii profeſſorii ad ſupremum tribunal provocatio, prout idem quoque receptum in illis reperitur.

Electorales academiæ in Saxonia in civilibus ſubſunt ſummi circuli ſui tribunali (dem Oberhofgericht, und Churfürſtl. Craiß-Amte,) cui in rebus arduis præſertim criminalibus cognitio ſuperior demandata eſt. Wittebergæ quidem non ſinguli tantum Profeſſores & ſingulæ Facultates jurisdictioni academicæ ſubſunt; quod ſecus eſt Lipſiæ, ubi non univerſa tantum familia ſed & facultas quælibet ſummo Provinciæ tribunali ſubeſt. In rebus conſiſtorio ſubjectis primo conveniuntur in conſiſtorio, ſed Lipſiæ per academiam requiſitam citandi. Deinde ſuperior cognitio ad ſummum devolvitur tribunal rerum eccleſiaſticarum, cui ob nexum cum religione nunc quoque mere academica, & Profeſſorum conſtitutiones, ſunt attributa, ſalvis tamen pactis antiquis circa Lipſienſem. Ita & in anglicis aliisque academiis provocationes ad regem aut principem conceduntur, quando Profeſſorum nomine cauſæ graviores ventilantur. Sane ſi alia v. c. Senatus, collegia, quæ non ſubſunt niſi ſummo imperio, in ſua membra, uti Senatores, jurisdictionem exercent, neque tamen in gravi cauſa ab aditu ſummi imperii ejusque appellatione excluduntur: eadem æquitas in collegio academico fuit obſervanda, ut prima cognitio cauſæ ipſius ſit collegii, ipſiusque arbitrio controverſia componatur. Ne tamen odium & invidia iniqua vel injuſta ſtatuere, & ſtatuta exſequi poſſit, illi, contra quem pronunciatum eſt in graui cauſa, jus conquerendi appellandique ſupremum tribunal permittendum fuit, adhibito duntaxat remedio dudum uſitato, temerarias provocationes compeſcendi. Quo plura collegii membra ſunt, eo minus verendum eſt affectuum abuſus. Vnde in levioribus cauſis & decretis, item in diſerte per leges definitis caſibus haud facile concedenda & ſi conceſſa temeraria fuiſſe deprehendatur, pœnam meretur legibus ſtatutam.

§. 356.

§. 356.

Iurisdictio academiæ eximæ vel civilis est vel criminalis quoque tum inferior, tum superior. Est enim jurisdictio cum potestas juris dicundi, tum exercitium officiorum judicis (§. 352.). Sed officium judicis est causas ad se delatas cognoscere, a cujus parte stet jus, pronuntiare, victo injungere, ut præstet vincenti quod debet, ac dum id spote præstare recusat, eundem vi adigere (§. 540. *P. VIII. Jur. nat.*). Quæ causæ cum aut versentur circa facta licita ut contractus & pacta, aut circa illicita uti delicta & crimina; priores dicuntur *civiles*, posteriores vero *criminales*. Hinc causæ civiles requirunt *jurisdictionem civilem*, criminales vero *criminalem* (§. 352.). Vnde apparet jurisdictionem academiarum sublimium vel esse civilem vel criminalem. *Iurisdictio vel civilis vel criminalis.*

Vtraque in academia eximia non inferiorem tantum, circa causas levioris momenti occupatam, sed & superiorem, de rebus gravioribus & gravissimi momenti statuentem comprehendit (§. 330.): v.c. jus caduci, & pœnarum capitalium, quæ cum summi imperii & jurisdictionis summæ partes sint, non nisi hujus indultu concedi eminentioribus in civitate solent. Talis vero eminentia pertinet ad privilegia majora academiarum (§. 343.), & *privilegium fori* nuncupari solet.

Quando hic agimus de academiis egregiis, nemo hæc transferet ad quaslibet academias. Sed sicubi hæc jura deprehendit in quadam academia, illam ad eximias academias referendam esse, concludet. Oxonii v.g. nemo studiosorum propter debita vel contractus in forum urbis citari potest, sed de his judicat Procancellarius, a quo provocatio datur ad tribunal s. circiter Doctorum deputatorum; & ab his ad Cancellarium. In criminalibus simili ratione jus dici consuevit. Regiomontanæ academiæ a. 1557. data est jurisdictio in omnes ipsi inscriptos annexosque: quia amor sociorum mutuus fiduciam reciprocam

gignit, nil iri admiſſum, quod in vilipendium ſocietatis vergat, & ſtudioſi de paterno Profeſſorum animo erga ſe certi eſſe poſſunt. Exercet igitur duce privilegio juridisctionem non ſolum in omnes relatos in album academiæ, quam diu forum ſuum non mutarunt; ſed & in Profeſſores cæterosque docentes, ipſorum uxores, viduas, liberosque nondum emancipatos, & famulitium; in academicos Secretarios, accenſos (Pedellen) œconomos, typographos, bibliopolas, chirurgiæ, ac pharmacevticæ ſtudioſos magiſtrosque, pictores, exercitiorum & linguarum magiſtros, Paſtores, Diacones Scholisque regiomontanis præfectos in rebus literariis. Eadem quoque per ſtatuta anni 1554. cognoscit de criminibus ſuorum, ut furtis, adulteriis, perjurio, libellis famoſis, homicidio, reliquis, ſi vel pœna capitalis ſtatuenda ſit, cujus tamen exſecutio Burggravio ſummo committenda. Propterea quoque domus academicorum civium ea gaudent libertate, vt urbis magiſtratui nil liceat in illis nec præcipere nec prohibere, nec manus injicere cuiquam capiendo; & ſi quis ſtudioſus in flagranti delicto extra illas comprehenſus ſit, is ſenatui academico confeſtim eſt tradendus, nec nocturno tempore diutius in cuſtodia retinendus, quam ut, poſtquam dies illuxit, uti captus eſt, exhiberi ſuis judicibus poſſit. Id quod etiam in aliis a regiomonte longe diſſitis urbibus & oppidis obſervandum. Sic & Lipſienſis academiæ domus ab omni jurisdictione civium oppidi liberatur. Vid. *Schneiders Chron. Lipſ. p. 276.* Vnde academiam & criminali & civili jurisdictione etiam ſuperioris gaudere liquet. Eadem quoque gaviſa eſt privilegio jurisdictionis in addictos academiæ intra tres diætas, quas 15. milliaria interpretantur; quod vero ob varias querelas abrogatum eſt a. 1658. in *viſitationis decreto*. Academiæ Lugdunenſis Patavorum ſtudioſi tamen in criminalibus quidem alii ſubſunt judici, quam Rectori Magnifico, teſte *Benthemio* P. II. des Holländ. Kirchen- und Schulen-Staats p. 36. Interim non ubique hæc privilegia eadem ſunt, ſed quia pendent ex indultu Rectoris civitatis aut pacto, privilegiis ſtandum eſt metiendumque jurisdictionis latifundium. Ita Wittebergenſi

bergensi academiæ, forsitan ob sumtuum evitationem pacto deest jurisdictio criminalis superior, dictandi scilicet supplicia. Quod secus habet in Vindobonensi universitate, cujus rector in actibus publicis alterum a principe vel eius vicario locum obtinet, cunctisque academiæ membris ex æquo & bono jus dicit, non modo in civilibus, sed & in criminalibus causis, si eadem adhuc obtinent, quæ *Middendorpius Academiar. Lib. V. p. 302.* refert. Quale jus caducorum olim regiomontanæ academiæ fuerit, docet *Arnoldus Hist. P. I. p. 70. seqq. & docum. 12.* cum Lipsiæ D. Conr. Toclerus, hæredum expers, mortuus esset, Senatus Lipsiensis domicilii causa eius patrimonium caducum sibi vindicare voluit. Ostendit vero academia, ipsum præcipuum academiæ membrum a. 1512. Rectorem Magnificum fuisse; atque patrimonium doctrina & arte sua peperisse. Vnde dux Georgius, ex eodem tum salaria Professorum medicinæ auxit, tum tertiam Professionem medicam instituit, quæ inde Tockleriana dicta fuit. Vid. *Shneiderus l. c. p. 293.*

§. 357.

Privilegium eligendi & removendi Professores &c.

Ad majora academiarum eximiarum privilegia referri potissimum debet jus sibimet suos constituendi, saltem eligendi Rectores, Decanos & Professores, ac vicissim removendi eosdem gravibus de causis, continuatione aut in antecessum data, aut singulatim semper petenda. Rector enim Magnificus caput est totius academiæ, primisque imperii academici partibus gaudet (§. 338.), uti Decani in sua facultate (§. 345.). Jam si majora urbium privilegia continent jus suum sibi magistratum eligendi, eosdemque gravibus de causis removendi & abdicandi, uti plerumque usitatum est: quidni etiam majora academiarum eximiarum privilegia involvant jus suos sibi eligendi constituendique Rectores, Decanos atque Professores, eosdemque vicissim abdicandi & removendi, quando graves id urgent causæ.

Quoniam academiæ etiam eximiæ majestate carent, & privilegiis debent ea, quibus utuntur, jura (§. 330. *seq.*);

 etiamsi

etiamsi gaudent jure, suum eligendi constituendique Rectorem, Professores, cæterosque docentes & ministros, id tamen aut olim adepta autoritate illius, vel illorum faciunt, penes quos summum est civitatis imperium; aut in singulis casibus, ubi v. g. novus eligitur Rector, Cancellarius, Decanus aut Professor, impetranda est rationibus idoneis confirmatio superiorum. Quapropter in constituendis, removendisque illis, quibus salutis academiarum cura pro sua parte incumbit opus & utendum est autoritate publica, qua id validissime fiat. Ideoque vel olim indulta ipsis esse debet potestas legibus adstricta, quas si sequitur, publica autoritate actus est ratus; vel quovis casu singulari ex privilegiorum tenore obtinenda est ejus publica ratihabitio confirmatioque (§. 313.).

Differt hoc jus eligendi capita academiæ, Rectorem scilicet & Cancellarium, prout in constitutione academiæ visum est constituentibus illam. In aliis nempe adhibetur Cancellarius, in aliis nullus, sed illius partes habentur inter partes Rectoris & Decanorum (§. 347.). In aliis e numero Professorum non habentur nisi Prorectores & Procancellarii (§. 348.). In anglicis academiis Rectoris vel Prorectoris loco succeſſat Cancellarius & Procancellarius; quorum ille e Procerum numero esse, & gratia Regis florere; hic ejus vicibus in academia fungi debet cum suis 4. Vicariis. Qui cum Præfectus sit cujusdam collegii, & sacri ordinis, ipsum dignitate antecedit denominatus a Cancellario Senescallus S. Prætor academiæ, rerum etiam capitalium judex, qui Cantabrigiæ Commissarius appellatur. Procancellarium quotannis eligunt studiosi (si vera narrat Autor des Großbritannischen Staats *P. I. c. 7. p. 114.*), æque ac tribunal appellationum, 4. vel 5. Doctores & aliquot artium magistros complectens, & duos procuratores, artium magistros. Sed major fides tribuenda est *Woodio*, qui comitiis academicis, quibus non intersunt nisi magistri sive regentes sive minus, cancellariorum tribuit electionem *P. II. Hist. univ. ox p. 386.* Qui cum diu

diu non essent nisi Magistri & Professores, deinde Episcopi & a medio seculi XVI. laici quoque magnæ spei esse coepere. Vti vero Cancellariis licet isto magistratu se abdicare, ita pariter academiæ senatui licet eundem pro re nata adimere, & in alium transferre. Prout 1641. resignante Archiepiscopo Laudo comes Pembrochiensis electus, quem 1643. exturbarunt academici rege consentiente. *Wood l. cit. p. 437.* Regiomonti in statutis academ. A. 1546. Rectori & Senatui academico injungitur, ut matura deliberatione de viris muneri vacanti idoneis soliciti sint, & quos plura suffragia ejus facultatis præferant, præsentent vel commendent. Similes facultatum & corporis academici commendationes vacante Professione Wittebergæ & alibi passim usitantur. Quod de Prælectore Theologiæ ex instituto Margarethæ comitis de Richmond *L. II. p. 33. a Wood* refert, eum in comitiis academiæ suffragiis Doctorum & Baccalaureorum Theologiæ deligeretur, idem de aliis fere omnibus Professoribus intelligendum videtur. Cracoviensi academiæ fas est, ut facultas eligat idoneum replendo loco vacanti, a Rege confirmandum. Vid. *Arnold. P. I. Docum. 28.*

§. 358.

Iisdem quoque adscribi meretur jus condendi statuta academica, adhibita approbatione & confirmatione majestatis. Sicuti enim vel opificum artificumque statuta a peritis illarum rerum concipienda, & a magistratu ad commune bonum & consensum cum aliis omnibus reducenda; sicuti eorum, qui non subsunt nisi majestati, sæpe est antonomia, saltem facultas leges condendi & accedente confirmatione suprema eas promulgandi: ita quoque universitatibus eximiis concedenda est facultas, de rebus ad commune bonum literarium, & ad scientias artesque facientibus quantum fieri potest in salutem civitatis applicandis, leges generales specialesque condendi, easque postquam confirmatæ sunt a summa potestate, publicandi (§. 445. P. VIII. Jur. nat.).

Jus condendi statuta academica.

Quando aliarum academiarum leges jam proſtant, ſecundum quas agentes bene floruere, ſeligi ex ipſis poſſunt leges præſtantiſſimæ, quæ aptiſſimæ ad rerum præſentium faciem eſſe deprehenduntur. Neque enim facile eſt, omnia illico perſpicere, ſed multa demum docet dies & uſus, unde quæ cæteris ſint meliora innoteſcit. Qua de re conſulendus eſt uſus, & quæ illius ope jam ſunt emendata, præſto ſint, quæ nondum, ea emendari poſſint. Sic academia Oxonienſis A. 1633. Cancellarii conſenſu ſtatuta ſua recognovit emendavitque, quod fuſius commemorat *Ant. a Wood Hiſt. L. I. p. 338. ſeq.* Sic ſtatuta priora academiæ Regiomontanæ ſuffragiis Profeſſorum Sabini manu exarata & a Principe Alberto confirmata fuere, ita tamen, ut ſenatui academico liceret in poſterum alia addere, prout haud ita multo poſt factum eſt, ſecundum ſtatuta Vitembergenſia & Tubingenſia, quæ A. 1557. approbata fuere. Vid. *Arnoldi Hiſt. P. I. p. 127. ſeqq.* Quibus dein acceſſere ſtatuta peculiaria cujuslibet facultatis, de quibus vid. *ibid. p. 139. ſeqq.* & in *Docum. n. 49. ſeqq.*: ſimilia in cæteris academiis dari, nulla eget comprobatione.

§. 359.

Immunitates academicæ communes.

Immunitates academicæ aliæ ſunt docentibus diſcentibusque *communes*, aliæ vero *propriæ* (§ 354.). Illis æque gaudent docentes ac diſcentes; his vel docentes, vel diſcentes tantum. Communis eſt & docentibus & diſcentibus in univerſitatibus eximiis immunitas a jurisdictione & ſtatutis magiſtratus, qui ſummus non eſt, nec a ſummo ad hanc rem delegatus; immunitas ab evocatione ad aliena judicia eorumque cenſuras ſubeundas; immunitas a vectigalibus, aliisque cæterorum civium oneribus rerum & perſonarum, v. c. ab agendis excubiis, ab armis contra hoſtem capiendis, ſimilibusque moleſtiis. Quæ generatim ex natura fori academici fluunt (§. 356.); ſed ſigillatim ex ſtatutis & privilegiis univerſitatis judicanda ſunt (§. 357. ſeqq.).

Druidum

Druidum quæ fuerit immunitas in Britannia & Gallia, *Cæsar. L. VI. de bello gallico c. 18.*: Druides a bello abesse consueverunt, neque tributa una cum reliquis pendunt; militiæ vacationem, omniumque onerum habent immunitatem. Tantis excitati præmiis, & sua sponte multi in disciplinam conveniunt, & a propinquis parentibusque mittuntur. Romæ Julius Cæsar liberalium artium Professores civitate donabat. Philosophantes ibidem a muneribus civilibus tutela & cura excusantur, acsi in patria sua docerent, indultu Severi & Antonini. Theodosii privilegium, quod A. 423. editum dicitur, Bononiam constituit omnium scientiarum fontem & perennem studii sedem. De reliquis privilegiis deinceps dicetur. Congessit illa *Middendorpius L. III. p. 593. & L. IV. p. 4.* Oxoniensi academiæ Henricus, Rex, A. 1254. concessit, ut Cancellarius & universitas in causis ex mutuo, locationibus emto, & aliis rerum nobilium contractibus studentium decidat lites, non obstante prohibitione vel regia. *Wood P. I. p. 93.* Cantabrigiensibus A. 1305. concessum, ut de omnibus actionibus personalibus Burgenses convenire possint coram Cancellario universitatis, nec per regiam prohibitionem ea in re impediri debeant. *ibid. p. 94.* Parisiis Carolus M. obliteratam pæne majorum desidia circa A. 792. reparavit literarum officinam, ad liberalium artium studia pernoscenda, uti ipse scribit in Epistola, quam *Middendorpius L. IV. p. 357.* affert. De qua *Architremius* poëta sic cecinit:

Exoritur tandem locus, altera regia Phoebi,
Græca libris, inda studiis, romana poëtis,
Attica Philosophis, mundi rosa, balsamus orbis,
Sidonis ornatu, sua mensis & sua potu,
Dives agris, fæcunda mero, mansueta colonis,
Messe ferax, inoperta rubis, nembrosa racemis,
Plena feris, cæt.

Et alter *Cnobeldorpius, Prutenus:*

Quas posuere scholas, superare palatia regum,
Structuris, spatio, sumtibus arte putes.

Centum

Centum migdonio collegia stantia saxo,
Magnificas cingunt conspicienda domos.

Cum tempore Ludovici S. studiosi quererentur, injuriam sibi fieri, vetera privilegia auferri, jamque in angliam dilaberentur, Rex cives ad officium & colendos doctores & discipulos revocavit, ut suus ingenuis artibus honos haberetur. Robertus Regis frater A. 1253. collegium instituit Sorbonicum. Rex concedit omnibus libertatem a vectigalibus & oneribus personarum rerumque. Quæ confirmavit Philippus VI. & Carolus VI. auxit immunitate ab omnibus impositionibus & subsidiis ex vino, frumentis, hæreditatibus, beneficiis, aliisque bonis emtis & venditis &c. *ibid. p. 366.* Innocentius IV. Papa auditores parisiensis academiæ itidem a vectigalibus absolvit, vetuitque, ne per literas apostolicas extra Lutetiam trahantur, *p. 375;* neque quisquam magistrorum aut scholarium & procuratorum pro facto excommunicetur aut suspendatur, ipsaque talis sententia promulgata sit irrita & inanis *p. 376. ibid.* Vti Lutetiæ duo eliguntur magistri, qui commoditati & pretio habitationum constituendis attendunt: ita Oxonii duo magistri de pretiis rerum in foro venalium, & mensuris statuunt. Vid. *Benthemii* Engell. Kirchen- und Schulen-Staat *p. 336.* Omissis cæteris addo tantum, Batavorum Lugdunensem academiam, in criminalibus quoque immunem esse a civili foro, cujus Rector Magnificus e tribus ab academia oblatis a Principe Arausf. eligitur, teste *Benthemio* im Holländ. Kirchen- und Schulen-Staat *P. II. p. 36.* confer. *authentica* §. 361. in nota afferenda.

§. 360.

Immunitates Professorum. *Professoribus propriæ immunitates*, non ubique sint eædem, sed vel in eximiis universitatibus variant pro pactorum & statutorum ratione (§. 359.). Professorum concilium in disciplina academica 1) immune est a provocatione, quod nonnusquam & in criminalibus ac matrimonialibus concessum; 2) licet sint cives honorarii, tamen a legum & statutorum civilium custo-

custodia, quæ scopo academiæ non respondent; 3) a gerenda aliorum tutela & cura, qui ad ipsam non pertinent; 4) a necessitate non discedendi tempore belli aut pestis; 5) a comparandis communibus solennioribusque auditoriis & cœnaculis, passim & ædibus propriis; 6) ab hospitiis militaribus; 7) a fide juranda &c. Pariter & singulis Professoribus quædam sunt immunitates, uti ab accisa; ab opificiorum iniquitate; a sumtibus sibi sepulchra & sedilia in templis emendi; a detractu bonorum; a librorum & vestimentorum collatione in massam patrimonii; a procuratione vicarii in munere obeundo, dum legitima adsunt impedimenta. Emeritorum & viduarum immunitates prætermitto.

Scholarum publicarum ædificia publicis sumtibus esse exstruenda, conservanda ac reparanda, supra est ostensum §. 320. sed academiæ sunt procul dubio scholæ publicæ, cæteris superiores (§. 329.). Quare ædificia academica in splendorem & gloriam civitatis publicis sumtibus saltem locupletum, qui publicæ rei bene cupiunt, magnifice sunt condenda & exornanda, fere ac ipsamet templa, divino cultui destinata. Tendunt & hæc in cultum scientiarum & religionis, immo eos formant, qui in templis cultum divinum præire doctrina & exemplo debent. Hinc Athenienses Platoni academiam tribuerunt, in qua doceret; Aristoteli, Lyceum, in quo obambulando docebat. Parisiis numerantur collegia permulta, partim a Carolo M. musis dicata, partim a successoribus, aliisque, cum suis unumquodque discipulis, doctoribus, & præfecto, quem primarium vocant. Franciscus Valesius designarat locum amplum trans Sequanam Gymnasio omnium opinione majori, in quo Gymnasiarchæ & Professores probique adolescentes supra 600. literis imbuerentur & moribus, idque francicorum 100. millibus annuo censui dotasset, nisi morte fuisset præventus *p. 368. seqq. P. II. Middendorpii.* Theologis primum a Roberto Sorbone, dein a Jo. Choleto, Cardinali, collegium & a Clemente VI. templum Sor-

bonicum eſt exſtructum. Oxonii ſane cum regiis tum variorum benefactorum ſumtibus immenſis inſtituta ſunt collegia alia aliis ſplendidiora pleraque, e quadrato lapide ſtructa 18., præter 7. aulas paulo minores illis, in quibus ultra mille ſtudioſos gratis, & duplo plures ſuis ſumtibus erudiuntur educanturque. Cantabrigiæ 12. ſunt collegia, & 4. illis fere pares aulæ (Halls), in quibus pariter ultra mille gratuitos alii ſuis ſumtibus ſubſiſtunt. Inde non immerito dicitur, utramvis harum univerſitatum pluribus aliis eſſe æquiparandam vid. *Wood, Benthem.* &c. Salmanticæ circiter viginti ſunt collegia, quatuor majora cæteris maximis reditibus prædita, in quorum ſingulis 25. alumni unius coloris veſte ſimplici amiciuntur;. plures autem alumni in opulentiori S. Jacobi habentur, teſte *Middendorpio P. II. p. 434. ſeq.* Vnde ibi quatuor & amplius millia ſæpe literis operam dediſſe feruntur. Longum eſſet, cætera perſequi, & ſufficere hæc poſſunt ſcopo præſenti. Appellationem in diſciplina academica nullam dari, usque ad relegationem vel cum infamia faciendam, uti aliunde ſatis patet, ita confirmatur ſtatutis Regiomontanis, de quibus conſulatur *Arnoldus P. II. p. 71. ſeqq.* Ejusdem academiæ immunitatem ab oneribus civilibus, acciſa, ſtatutis opificum a bibliothecis in hæreditatem conferendis, a detractu, cæterisque idem confirmat *P. I. p. 104-123.* Immunitatem a tutela & cura Profeſſoribus legum & Philoſophiæ Romæ tribuerunt Severus & Antoninus *leg. 11. 12. ff. de excuſ.* Quam etiam Grammaticis, rhetoribus, Sophiſtis & medicis circuitoribus datam fuiſſe numero definito, *Modeſtinus* ait *ibid. leg. 6. §. 1. & 4.* Vnde tutelæ liberorum a Profeſſoribus relictorum, poſtulante id academia a magiſtratu civili ſunt procurandæ (§. 119. *p. I. Arnoldi.*). Raro ea docendi neceſſitas requiritur, ut impediti aliis ſuas vices tradere cogantur. Potius morbis laborantes aut ſenio, aut peſtis cauſa alio concedentes, ſalario tamen fruuntur *p. 118. ibid.* Salmanticæ qui 20. annis munere profeſſorio bene functus eſt, immunis a præſidendo, eodem ſalario fruitur emeritus quamdiu vixerit, ſufficiturque in ejus locum alius penſione annua donandus ex aliis academiæ proventibus. *Middendorp*

dendorp. Lib. VII. p. 430. Quæ beneficia viduis liberisque Professorum tributa sint, discendum est ex privilegiis academiarum. Halæ Professoribus datur immunitas (geradæ & Heergewetti) a lege hercifcundarum rerum muliebrium & expeditoriarum (§. 853. *P. VIII. Jur. nat. not.*). Et filia non potest mundum muliebrem aufferre in detrimentum filiorum (*ibid. not.* §. 854.). Honorius & Theodosius imperatores *L. XI. Cod. X. 52.* sciscunt: Grammaticos, oratores atque Philosophiæ præceptores, nec non etiam medicos præter hæc, quæ retro latarum constitutionum autoritate consecuti sunt privilegia & immunitates, frui hac prærogativa præcipimus, ut universi, qui in sacro palatio inter archiatros militarunt, cum comitivam primi ordinis vel secundi adepti fuerint, aut majoris dignitatis gradum adscenderint, nulla municipali, nulla curialium conventione vexentur, seu ademta administratione, seu accepta, testimonialem meruerint missionem, sint ab omni functione omnibusque muneribus publicis immunes, nec eorum domus ubicunque positæ militem seu judicem suscipiant hospitandum. Quæ omnia in illis etiam eorum conjugibus illibata præcipimus custodiri. Hæc autem & Professoribus memoratis eorumque liberis deferenda mandamus.

§. 361.

Studiosis propriæ immunitates fere huc redeunt, ut 1) securo arbitrarioque gaudeant ad academias aditu, redituque ab iisdem; 2) ut definito annorum v. c. 4 vel 5 spatio studia absolvere possint, & merentes ad honores academicos admittendi sint; 3) ut bene emensi studium suum academicum facultate alios docendi, spartisque publicis potiundi gaudeant, quibus præ cæteris indigenis peregrinisque deprehenduntur; 4) ut alumnatus detur pauperum, & immunitas a solvendo didactro; 5) ut subveniat ipsis beneficium restitutionis in integrum, & immunitas a repressaliis vel pignorationibus pro aliis, 6) brevis causarum discussio optio foris & mitior plerumque pœna;

Immunitates studiosorum.

7) immunitas a conferendis in patrimonium ſumtibus ſtudiorum recte adhibitis. Poſſet huc quoque referri fugitivorum & relegatorum in aliis univerſitatibus receptio, quatenus abuſu vacat; rite impetrata abolitio inquiſitionis, relegationis, infamiæque; a jurando obſequio, pollicitatione ut plurimum ſufficiente. *cæt.*

In Theodoſii privilegio ut dicitur Bononiæ dato hæc habentur: *ſi quis ſcholaſticos ad ſtudium hoc euntes abeuntesque auſu temerario offenderit, capite puniatur.* Antea hæc ibi occurrunt: *volentes inſuper, ut omnes ſententiæ a judicibus, qui in alma hac civitate per quinquennium ſaltem non ſtuduerint, latæ, nullæ penitus exiſtant. Et ſi quis ad magiſtratus dignitatem promotus ab alio quam archidiacono bononienſi librum magiſtralem ſuſceperit, quanquam id quarumlibet facultatum periti præſtiterint approbaverintque, eum autoritate noſtra omni dignitate privamus.* Vid. *Middendorpius Lib. IV. p.* 4. Idem procancellarius Colonienſis academiæ *P. II. p. 65.* ſimilia de Patavio & *166. ſeqq.* Julii II. indultum refert, ut Rector Doctoribus, magiſtris & ſtudioſis jus dicat ſummarie, de plano, ſine ſtrepitu & forma judicii, latasque ſententias exſequatur. Quo ſimul prohibetur, ne quis doctores & ſcholares invitos evocet in judicium extra coloniam; & Rectori permittitur, ut pendentes in quacunque instantia cauſas eorum ab aliis avocare easque definire poſſit ex æquo. Fridericus imperator adeuntes redeuntesque ſtudiorum cauſa cum rebus & familiis tuendos ſuſcipit, ne ulla de cauſa in itinere impediantur, detineantur, vel exactione ulla pedagii, teloniique cæt. afficiantur ſub gravibus pœnis. Diocletianus Maximinusque edixerunt: cum vos confirmetis, liberalibus ſtudiis operam dari, maxime circa Juris Profeſſionem, in civitate Berytorum, provinciæ Phœnicis, providentes utilitati publicæ & ſpei veſtræ, decernimus, ut ſinguli usque ad 25 annum ætatis ſuæ non avocentur. Vid. *Middendorp. P. I. p. 288.* Quantus pauperum numerus Oxonii, Cantabrigiæ Pariſiis, & ubivis academiarum ſeu publico ære alatur, ſeu privatorum beneficiis ſtipen-

pendiis & gratis erudiatur, partim antea jam indicavimus, partim notius eſt, quam ut indigeat ulteriori dilucidatione. Oxonii anno academico primo audiendus eſt prælector Grammaticæ & antiquitatum, & Rhethoricæ; ſecundo & ſequentibus Profeſſor Dialecticæ græcæ Linguæ & hebr. Geometriæ & Ethicæ. Quo facto poſt annum 4. fieri poſſunt Baccalaurei artium. Tum per triennium pergunt in hebræa lingua Geometria adduntque Phyſicam & Aſtronomiam, tandemque Metaphyſicam & Hiſtoriam. Quibus abſolutis evadere poſſunt magiſtri, & Juris baccalaurei. Futurus Theologus poſt ſeptennium philoſophicum & adeptos magiſterii honores, aliud impendit ſeptennium in ſtudia theologica, ut baccalaureus in illa creari poſſit. Si Doctor Theologiæ fieri velit, alios 4 annos impendit audiendo Prælectori Theologiæ, & explicandis quibusdam libris biblicis, eorumque honorum adquiſitio certum ſtat libris Sterlingicis. Profeſſor impeditus conſenſu Procancellarii vicarium mittit, & multatur qui horam non frequentat. Simili fere ratione Studioſi Juris & Medicinæ inſtituuntur & ad doctorum honores intra 12 annos perducuntur. Chirurgis quoque antequam praxi adhibeantur, audienda eſt prælectio anatomica in ſceleton, & ſectio integra corporis humani frequentanda.

Non prætereunda hic eſt *Authentica Friderici I.* Anno 1158 edita, quæ in *Cod. L. IV. tit. 16.* legitur: „habita ſuper hoc di„ligenti inquiſitione Epiſcoporum, abbatum, ducum, omnium „judicum & aliorum procerum ſacri noſtri palatii examinatione, „omnibus, qui ſtudiorum cauſa peregrinantur, ſcholaribus & „maxime divinarum atque ſacrarum legum profeſſoribus, hoc „noſtræ pietatis beneficium indulgemus, ut ad loca, in quibus „literarum exercentur ſtudia, tam ipſi, quam eorum nuntii (be„delli), veniant & in eis ſecure habitent. Dignum namque „exiſtimamus, cum omnes bona facientes noſtram laudem & „protectionem omnimodo mereantur, quorum ſcientia totus il„luminatur mundus, & ad obediendum Deo & nobis ejus mi„niſtris, vita ſubjectorum informatur, quadam ſpeciali dilectio„ne eos ab omni injuria defendamus. Quis enim eorum non

„miſereatur, qui amore ſcientiæ exules facti, de divitibus pau„peres, ſemet ipſos exinaniunt, vitam ſuam multis periculis ex„ponunt, & a viliſſimis ſæpe hominibus (quod graviter feren„dum) corporales injurias ſine cauſa perferunt? Hac igitur „generali & in perpetuum valitura lege decernimus, ut nullus de „cætero tam audax inveniatur, qui aliquam ſcholaribus inju„am inferre præſumat, nec *ob alterius cujuscunque provinciæ* „*delictum ſive debitum* (quod aliquando ex perverſa conſuetudi„ne factum audivimus) *aliquod damnum eis inferat*, ſcituris „hujusmodi ſacræ conſuetudinis temeratoribus, & etiam ipſis „locorum rectoribus, qui hoc vindicare neglexerint, *reſtitutio„nem rerum ablatarum ab omnibus exigendam in quadruplum*, „*notaque infamiæ eis ipſo jure irroganda, dignitate ſe carituros* „*in perpetuum.* Verum tamen ſi litem eis quispiam ſuper ali„quo negotio movere voluerit, hujus rei optione data ſcholari„bus, eos coram domino vel magiſtro ſuo, vel ipſius civitatis „epiſcopo, quibus hanc jurisdictionem dedimus, conveniat. „Qui vero ad alium judicem eos trahere tentaverit, etiamſi cauſa „juſtiſſima fuerit, a tali conamine cadat.„ Quæ hic ſtudioſis conceditur optio judicis, ea ad epiſcopum, qua Cancellarium de appellatione capienda videtur, quæ etiam ad imperatorem patuit vel ejus præſidem loci. Vid. *Stephanus de Academ. C. I. n. 9. ſeq. L. III. P. II. de Juriſd.*

§. 362.

De academiis reſtrictioribus.

Academiæ reſtrictiores eximiæ dici poſſunt, at non univerſim, quarum paucæ dantur. Etenim academiæ reſtrictiores non omnibus gaudent privilegiis, quibus eximiæ gaudere poſſunt ſolentque (§. 330.). Ideoque aliquid ipſis deeſt, quod eximiis ineſſe conſuevit. Propterea poſſunt eſſe eximiæ, neque ſubeſſe niſi ſummæ poteſtati; ſed non in omnibus ideoque nec penitus ſeu univerſe generatimque. Si literaria tantum attendimus, quæ potiſſimum ipſarum naturæ conveniunt, reſtrictio dabitur in facultatibus, ut quædam facultas ibi non doceatur, neque

neque ideo abſolvatur & honoribus coronetur. Quo plures facultates deficiunt in academia, eo illa reſtrictior erit appellanda, quacunque de ratione id uſu veniat.

Quoniam in cultioribus gentibus neceſſitas utilitasque omnium facultatum perſpicitur, pleræque academiæ ſunt univerſitates (§. 338.). Vbi tamen vel barbaries quædam, vel præjudicium inveteratum, vel alia quæcunque cauſa privata obſtitit univerſitati, ibi non niſi academiæ reſtrictiori, quocunque demum nomine appelletur, locus eſt relictus. Quod cum inter gentes cultiores rarius contigerit, bene ſe res habet, quod paucæ duntaxat dentur academiæ reſtrictæ vel arctiores juſto.

Miratus eſt olim Petrus *Anchoranus*, quod Innocentius Papa mandet, *Romæ jus civile publice doceri; Pariſiis vero & alibi vetet*: ſed illius rationem hanc reddit *cap. ſuper ſpeculo, extra de privil.* ſane licet ſancta eccleſia legum ſæcularium non reſpuat famulatum, quæ æquitatis & juſtitiæ veſtigia imitantur; quia tamen in Francia & nonnullis provinciis laici romanorum imperatorum legibus non utuntur, & occurrunt raro eccleſiaſticæ cauſæ tales, quæ non poſſunt ſtatutis canonicis expediri, ut plenius ſacræ paginæ inſiſtatur, firmiter interdicimus & diſtrictius prohibemus, ne Pariſiis vel in civitatibus ſeu aliis locis vicinis quisquam docere vel audire jus civile præſumat; & qui contra fecerit, non ſolum a cauſarum patrociniis interim excludatur, verum etiam per Epiſcopum loci excommunicationis vinculo innodetur. Add. *Middendorpius P. II. p. 371. ſeq.* ut Lovanii Theologia doceretur, noluit Martinus Papa, voluit dein Eugenius IV, narrante *Middendorpio l. c. p. 276.* Regiomontanæ Academiæ imperator confirmationem quidem promittebat, ſed excepta facultate conferendi Theologiæ gradus dignitatum, ſecundum *Arnoldi Hiſt. P. I. p. 60.* Quæ confirmatio merito pro ſuperflua habita & omiſſa eſt, æque ac papalis. Conf. notat. ad §. 331.

§. 363.

§. 363.

Gregalium academiarum differentiæ.

Gregalium academiarum aliæ gaudent privilegiis literariis, h. e. academicas dignitates conferendi aliæ iisdem carent. Etenim gregales academiæ ſubſunt magiſtratui civili, qui ſummus non eſt (§. 330.), eoque ab egregiis diſcernuntur. Priores *æmulæ eximiarum*, poſteriores *priſcæ* vocari poſſunt, quia veteribus ejusmodi dignitatum conferendarum ſolemnitas inuſitata fuit & ignota. Quare ſicubi hodie tales darentur conderenturve, priſcis æmulæ vocari mererentur. Præterea gregales academiæ vel gaudent jurisdictione inferiori tantum, vel & ſuperiori reſtricta. Quarum hæ quoque eximias æmulantur; illæ vero ad priſcas referri poſſunt, ubi paterna tantum diſciplina exercetur.

Fieri utrumque poteſt, ut quemadmodum in multis aliis rebus ita & in re literaria ſua quemque virtus per ſe ornet, ſine exteriori addito honeſtamento; & ut hoc addito tanquam præmio animus ad majora incitetur, & ſimul alii eodem invitentur ad æmulationem ſpemque parem. Priori caſu res verſatur in ſtatu naturali; poſteriori a prudentia civili & civitate adjumenta accipit & emolumenta, quod naturæ civitatis apprime convenit (§. 303.). Dantur vero integræ rationes, eæque ingentes, in quibus eruditioni exiguus habetur honos, & dignitates literariæ nullæ ſunt. Hunc in cenſum veniunt Afri, Saraceni vel Mahometani, Sinæ, Tartari, Japonenſes, Rutheni &c. Chinenſium artes liberales 6 numerat Confucius, reip. accommodatas, quamvis humiles vulgaresque, ut aucupium, piſcationem, artem aurigandi, jaculandi, denique agriculturam & rem hortenſem. Alibi tamen & muſicam in pretio haberi monet, & culturam animi ipſe in ſcholis exorſus eſt. Adquieſcunt ſcilicet illi populi vel in barbarie, vel in confuſa tantum cognitione, qua artes ignobiliores (§. 309. *ſeqq.*). Nec multum ab his differunt antiquæ Perſarum ſcholæ, in quibus pueri & puberes exercentur armis, ſagittis, jaculis, venationibus, in juſtitia, temperan-

perantia & obedientia. Vid. *Xenophontis Cyropædia L. I. p. 4. seq.* In priscis Prophetarum scholis, Philosophorum, Druidum, &c. nullum occurrit graduum Academicorum vestigium. Syracusis, Massilæ, & ubicunque floruere studia, nihil reperitur academicæ dignitatis neque jurisdictionis. Trajectina universitas confert gradus nomine ordinum provinciæ, sed jurisdictione propria caret.

§. 364.

Si academiæ dominus caret summo imperio plenoque, academia non erit nisi gregalis. Si enim dominus academiæ caret imperio summo, erit alteri extraneo jus quoddam in ipsius imperii actus (§. 44. *P. VIII. Jur. nat.*), si caret pleno imperio, unum alterumve imperii jus illi erit ademtum (§. 62. *ibid.*). Neutro igitur casu dici potest academiam non subesse nisi majestate præditis (§. 330.), vel eam esse egregiam. Restat idcirco, ut non sit nisi gregalis academia universitasque (§. 363.). Si vero dominus pollet summo plenoque imperio, eximia erit universitas, licet dominus sit in extranei regis clientela (§. 100. *P. VIII. Jur. nat.*). Dari enim potest clientela, quæ salva relinquit imperii summi jura, ideoque nihil juris extraneo dat in summum imperium (§. 101. *ibid.*).

Criterium gregalis academiæ primum.

Constat ex dictis, non ex eo inferendum esse, academiam esse gregalem, quod illius dominus quemquam comiter reveretur, tanquam illius cliens. In imperio romano germanica reges & electores sunt fiduciarii imperatoris, & feudi lege eidem subjunguntur, neque eo secius tantundem in suo valent territorio, quantum rex in regno. At si constet unius actus imperii alteri extraneo subesse, tum imperium ipsius nec summum, nec plenum dici potest. Proinde academia ejusmodi domini gregalis est censenda: quia multæ sunt hujus generis, nisi plures, quam alterius. Cogitamus quæso, academiam Ferrariensem, Florentinam, Perusinam, Pisanam, Salernitanam, Senensem, Dillinganam, Rhemensem, Lovaniensem, &c. &c.

§. 365.

Secundum Criterium.

Quæcunque academia vel nulla gaudet, vel non nisi inferiori jurisdictione, illa non nisi gregalis dicenda est. Quando academia gaudet jurisdictione superiori, tum nullum est dubium, quin illa sit eximia dicenda (§. 330.). Inde quando vel nulla gaudet jurisdictione, vel non nisi inferiori (§. 356.), eximia esse nequit, ideoque erit gregalis (§. 363.). Hoc casu plerumque vel omnis, vel superior jurisdictio erit alterius cujus imperium summum non est, & vel propterea e gregalium numero erit (§. 364). Si vero jurisdictio quoque sit illius, cujus summum est imperium; tamen ob defectum vel omnis, vel superioris jurisdictionis academia exemta dici non poterit (§. 330.).

Excepta unica Lugdunensi belgicæ academiæ carent jurisdictione superiori & criminali, docente *Benthemio* im Holl. Kirch- und Schulen-Staat. *P. II. p. 36.*

§. 366.

Criterium tertium.

Academia, quæ subest ordinario cuipiam judici, a se non constituto, & cujus imperium summum non est, ea est gregalis. Egregia enim universitas non subest nisi illi, cujus summum est imperium (§. 330.). Si qua universitas subest ordinarie cuipiam, cujus majestas non est, illa ideo non erit eximia (§. 364), necesse igitur est, ut sit gregalis (§. 330.). Exceptione tamen opus est eo in casu, quando ipsa academia sibi talem eligit judicem; quia tunc in ipsius arbitrio est, utrum sibi quenquam ex Professoribus constituere velit, an juventutis principem, Trismegistumve alium, qui universitati plus commodi & splendoris sit conciliaturus.

Oxoniensem ac Cantabrigiensem academiam inter eximas esse ponendam, supra notavimus. Vtrobique tamen Rectores, qui dein Cancellarii sunt dicti, petebantur ex ipsis artium Magistris & Professoribus; postea ampliandæ suæ prosperitatis causa, sibi modo

modo principem regium, modo summum ante ministrum, modo quenquam ex Regni Proceribus, Cancellarium legunt, qui vices suas cuipiam Professorum demandat, tum in caussis literariis, tum in jurisdictione. Vid. notata ad §. 357. alibi similia dari jura academiarum, nemini est obscurum. Sicubi Cancellarii partes diversæ sunt a partibus Rectoris Magnifici, nec consistunt nisi in concedenda autoritate graves irrogandi pœnas & conferendi gradus dignitatum summos iis, quos illa facultas, cujus honores sunt largiendi, illis dignos in examine instituto judicavit; ibi illæ non officiunt summo academiæ juri, cujus nutu ista æque fiunt, acsi nulla opus esset Cancellarii consensione & autoritate.

§. 367.

Quando Rector Magnificentissimus gaudeat cancellariatu?

Ubi rector academiæ magnificentissimus datur, cujus jura sacrorum episcopalia complectuntur, ibi illius simul sunt cancellarii partes; ubi vero jura episcopalia sunt alterius, ibi huius est cancellarii functio. Est enim Rector Magnificentissimus is ipse, cuius in ea civitate summus est imperii gradus (§. 338.). Sed cujus in civitate summum est imperium, ei quoque subsunt academiæ cum suo Rectore Magnifico (§. 347.). Cum Cancellarii partes in academiis vel sint eædem, quæ ipsius Rectoris Magnifici, uti in Anglia, vel partem quandam jurium ipsius contineant (§. 350.), quæ Episcopo solent attribui, ubi romana religio dominatur: Si rector civitatis simul gaudet juribus episcopalibus, Rector Magnificentissimus simul partibus Cancellarii fungetur. Si vero jura Episcopalia alii debeantur antiquo privilegio aut pacto: erunt illa pacta servanda, & suum cuique relinquendum, quod ipsi debetur. Ideo tunc non Rectoris magnificentissimi, sed illius erunt partes cancellarii, cui jura episcopalia, cancellariatum olim complectentia, cessere & nunc debentur.

Effecisse videtur cura religionis castioris: ut Cancellarius peteretur ex Episcopis vel Archiepiscopis, ejusque intenderetur attentio ad providendum, ne quis a sana religione alienus, vel

hoſtis illius, commendaretur aliis dignitate academica in ipſum collata. Ornatis enim dignitate academica conceſſa eſt paſſim facultas libere profitendi in academia, & extra illam, ubicunque ſuam doctrinam, eaque alios imbuendi. Quod utique perniciosum Religioni fieri potuiſſet, ſi inprimis in Theologia facultas peſtilentes errores libere diſſeminandi eſſet publice data. Qua propter oportuit adhibere viros religionis ſinceræ, qui caverent, ne id quocumque obtentu oriretur. Sed ne illi ipſi quodam effectu erroribus patrocinarentur, plane gratuitum eſſe debuit hoc ipſorum officium. Vnde cum Cancellarius pariſienſis pro licentia dicendi inciperet exigere marcam argenti, atque idcirco iam pauciores docere cuperent, Alexander III. Pontifex decretalem edidit, quæ *cap. quarto*, *ext. de magiſtris* ingungit, ne quid pro licentia docendi exigatur. Vid. *Middendorp. P. II. §. 364.* Forſan inde factum eſt, ut 4 procancellarii eligerentur, jurata fide adſtricti ad bene fungendum ſuis partibus. Vid. §. 350. Nicolaus IV. Papa anno pontificatus ſui V. Pariſienſis academiæ doctoribus jus dat, ubivis terrarum docendi, regendi et doctorum honoribus fruendi. *Middendoorp. l. c. p. 373.* Quod de alibi creatis doctoribus in academias creatricibus, & ubi earum autoritati fides habetur, itidem valet. Academiarum Roſtochienſis olim Epiſcopus Sverinenſis, Grypiswaldendis Caminenſis, & Francofurtanæ Lebuſienſis Epiſcopus Cancellarii fuere. Quibus extinctis jus ſacrorum & academiarum Cancellariatus ad sereniſſimos principes, earum dominos tranſiit. Eapropter Ioachimus Frid. Elector Brandenb. Cancellarii Jura ſibi ſuisque ſucceſſoribus reſervat his receſſus Elector. 1617. verbis; weil jederzeit die Erkentniß in peinlichen Sachen über einen Studenten dem Bischofe von Lebus, als Canzlern der Universität zugestanden, dessen Recht aber seithero auf uns kommen, und in unserer und nachkommenden Churfürsten zu Brandenburg Personen consolidiret, so können wir auch solche Causæ cognitionem, wie auch die Bestrafung der Maleficanten sonsten niemanden anders einräumen, sondern solches alles stehet bey uns. Vid. *Becmanni memoranda Francof. notit. univerſit. c. 3. §. 1.* Lipſienſis vero

Academiæ

Academiæ Concellarius fuit Episcopus Merseburgensis, unde postea hoc munus ad ducem Martisburgensem, tanquam postulatum administratorem Episcopatus, & post illius fata ad collegium canonicorum devolutum est.

§. 368.

Prorectores & Procancellarii arguunt quidem alium dari Rectorem & Cancellarium, non vero per se Academiam gregalem; æque ac Vice-Rectores & Cancellarii in gregalibus quoque dari possunt. Etenim ubi dantur Rectores Magnificentissimi, ibi in Academiis non habentur nisi Prorectores, vel Procancellarii, vel ambo (§. 351.). Enim vero fieri potest, ut hujusmodi academiæ propria gaudeant eaque superiori jurisdictione & ut ordinibus regni intersint, uti in Anglia & Saxonia (§. 346. 354.), ideoque sint eximiæ (§. 346 & 335.). Proinde Prorectores & Procancellarii in academiis arguunt quidem, alium esse earum rectorem & Cancellarium, non vero illas tantum esse gregales. Quoniam nomina signa sunt arbritraria (§. 959. *ontol.*); pro arbitrio quoque vocari posunt academiarum magnifici rectores & cancellarii, qui majoribus illis privilegiis destituuntur (§. 346.). *Prorector non arguit gregalem academiam.*

Academiæ belgicæ gaudent rectoribus, & creant Magistros atquæ doctores; subsunt tamen magistratui suæ urbis pleræque v. c. Trajectina subest non nisi magistratui ultrajectino, teste *Benthemio* im Holl. Kirchen u. Schulen-Staat P. II. p. 38. Sic Argentina & Altorfina eximiæ dici nequeunt, suis tamen gaudent privilegiis academicis.

§. 369.

Rerumpublicarum academiæ nequeunt gaudere Rectore magnificentissimo, sed illius loco gaudent curatoribus moderatoribusve. Academiæ rerumpp. vel dantur in simplicibus Aristocratiis, vel democratiis, vel in mixtis & temperatis (§. 71.). Verum in *Vbi curatores academiarum dentur?*

Aristocratia, in democratia sive simplici sive mixta summum imperium non est penes unum, sed ibi conjunctim collegio optimatum, hic universo populo debetur (§. 131. & 143. *Jur. nat.*). Enim vero Rectoris magnifici sunt primæ imperii academici partes, & magnificentissimus talis est in summo gradu (§. 338). Qui gradus cum unius non sit in ulla rep. seu populari seu optimate: patet salva rerumpp. indole neminem esse posse in academiis hisce magnificentissimum, qui in regnis & principatibus unus ille est, qui ibi summo gaudet imperio. Opus igitur est, ut ibi plures conjunctim academiæ cum summo imperio præsint, quibus illa salutis academiarum cura est demandata. Inde hi præfecti Patavii moderatores in Belgio &c. curatores academiæ vocari meruerunt.

Groninganæ Academiæ sunt curatores sex, Franequeranæ quatuor, Lugdunensis complures tum ex provincia, tum ex urbe, Trajectinæ curatores tantum ex urbe, petuntur; Harderovicensis complures ex ducatu Geldrensi & Zutphaniensi comitatu. Curatorum ejusmodi partes iis respondent, quæ Rectoribus magnificentissimis & Cancellariis, ut scilicet academiarum privilegiis & legibus seruandis debite præsint, dignitates academicæ ipsorum nomine conferantur, Professores ab ipsis aut & per ipsos vocentur & removeantur, quibus id jus est tributum &c.

§. 370.

De Jure scholas & academias instituendi.

Ius scholas inferiores constituendi conservandi & ad publicam salutem dirigendi a rectore civitatis recte conceditur magistratui locorum non tamen sine ipsius consensu exercendum; jus vero condendi fovendique academias ipse exercet Rector civitatis. Sunt enim in Rep. Scholæ & academiæ constituendæ (§. 436. *P. VIII. Jur. nat.*). Sed rectoris civitatis est imperium in civitate exercendum (§. 42. *ibid.*); inde ipsius quoque imperare, quid circa scholas seu erigendas, dotandas & conservandas, seu dirigendas ad scopum

pum ſuum, conſultum ſit futurum, præſertim cum publicis ad eam rem ſumtibus opus ſit (§. 320.). Quatenus igitur alicubi Schola quædam inferior neceſſaria deprehenditur (§. 232. *ſeqq.*), eatenus vel imploratus a magiſtratu loci permittere, vel ſi is id non petat, injungere ipſi poteſt ea, quæ circa ſcholas inferiores pro re nata ſalutaria fore animadvertit.

Quoniam vero circa Scholas ſuperiores plura occurunt deliberanda, eaque multo plus in receſſu habent, ſive ſumtus ſpectes majores, eisdem impendendos (§. 319.), ſive autoritatem majorem, jura privilegia & reliqua momenta in illis attendenda (§. 330. *ſeqq.*): hanc curam exquiſitiorem & ſublimiorem, deliberationem maturiorem cæteraque decernenda prudenti conſilio, Rector civitatis merito ſibi ſuoque ſenatui reſervat. Rectius ergo jus condendi novas ſive ex Gymnaſiis, ſive non, fovendique academias, inprimis eximias, ipſe exercet Rector civitatis, ſaltem omnibus rite diſcuſſis decernit, cui quantumque de his rebus ſuis ſub auſpiciis gerendum committi poſſit.

Quo majoris momenti ſunt res, in civitate gerendæ, eo magis neceſſarium eſt, ut non niſi eorum auſpiciis gerantur, quibus ſummum imperium eſt commiſſum, ne quid illius exercitio adverſum, aut parum conveniens admittatur. Pertinere autem Academias univerſitatesque, ad res permagni momenti, ipſa docet rerum in illis docendarum diſcendarumque ratio (§. 312. 321 & 329.); docent id quoque privilegia & immunitates, quibus indigent & beari ſolent (§. 330. *ſeqq.*). Reliquum eſt, ut univerſitates auſpiciis ſummis reſerventur, ſive condendæ ſint, ſive legibus inſtruendæ, ſive gubernandæ. Saltem confirmatio earum a ſummo loco proficiſci debet, ſi vel proximi conditores alius ſint.

§. 371.

Quando con-

Quia jus condendi academias non eſt niſi Rectoris civitatis,

ſenſu domini directi ſit opus?

tatis, ſummo imperio gaudentis (§ 370.): ubi Rector civitatis non gaudet niſi dominio utili, directum autem eſt penes alium, *ibi domini directi opus eſt conſenſu in academia condenda.* Intereſt enim domini directi feudum dantis; ne quid a domino utili mutetur in data re, quod in ipſius fraudem vergere poſſit. Qua de re iam judicium eſſe debeat penes dominum directum, qui feudum dedit, utrum verbi cauſa, id nociturum ſit aliis Academiis a ſe conſtitutis, earumque privilegiis: ſine ipſius expreſſo conſenſu nihil novandum eſſe intelligitur. Si vero feudum non ſit datum, ſed oblatum domino directo ab eo, cujus antea quoque directum illius erat dominium, diſpiciendum erit, quid offerens ſibi illius reſervarit, quidve in dominum directum transtulerit (§. 172. P. VI. Jur. nat.). Si *offerens ſe non abdicarit libertate academias erigendi, eo jure gaudebit & uti poterit* in ditione ſua inconſulto vel & invito domino directo, cui jus id prohibendi nullum eſt. Vti ergo rector civitatis, ſuo utens jure, nemini injuriam facit: ita is, quando nullum cum exteris pactum obſtat, non opus habet conſenſu ejus, cui feudum obtulit, domini directi, licet alterius vel aliorum Academiæ id lucrum non ſint poſtea percepturæ, quod perceperant ante conditam academiam novam (§. 912. P. VIII. Jur. nat.).

Apparet hinc ratio, cur illi, qui vel in rebus civilibus vel in ſacris alterius imperio ſubfuere, ſui memores officii conſenſum & confirmationem ſummæ, cui ipſis obſequendum erat, poteſtatis quæſiverint, quoties novam conſtituere voluerunt univerſitatem erudītam. Albertus v. g. Dux Pruſſiæ, Academiam regiomontanam conditurus impetravit confirmationem & privilegium Regis Poloniæ Sigismundi Auguſti, quam ſiſtit lecturis D. *Arnoldus in Hiſt.* eiusdem *P. I. docum X.* Cum vero nec Pontificis romani partibus addictus amplius eſſet, nec hac rerum facie imperatoris romano germanici feudo gauderet; utriusque confirmatione ob

ob di fficultates emergentes, merito cenſuit ſe non egere. Procul dubio ex oblati feudi natura derivandum eſt; quod Duces Saxoniæ Fridericus & Wilhelmus in fundanda Lipſienſi univerſitate nullam petierint confirmationem cæſaream, ſed tantum Pontificis Romani Alexandri, quam & obtinuerunt. Vid. *Schneideri Chron. Lipſ. p. 275-280.* In privilegio academiæ Cracovienſis Caſimirus A. 1364. nulla fit mentio confirmationis pontificiæ, ſed rex dat Cancellario ſuo Cracovienſi (Epiſcopo) facultatem approbandi graduum candidatos examinatos. Vid. *Arnold. Hiſt. Ac. Reg. P. I. docum. 28.* In altero tamen, quod Vladislaus A. 1400. edidit *l. c. n. 29.* mentio fit conſenſus & indulti Bonifacii Papæ IX. univerſitatem confirmantis.

§. 372.

Civitatibus liberis ſuus ſufficit conſenſus.

Civitates, quæ ſui ſunt juris, nullo indigent niſi ſuo tantum conſenſu in erigendis academiis. Quæ enim ſui juris ſunt civitates, illæ non ſunt juris alieni, nec obnoxiæ ſunt imperio alterius civitatis (§. 124. *P. I. Polit.*). Gaudent igitur ſummo imperio, neque alterius directo ſubiiciuntur dominio imperioque. At non niſi illarum civitatem, quibus imperii uſus fructus tantum datus eſt, indoles requirit, ut in erigenda academia domini directi conſenſum obtinere ſtudeant (§. 371.). Qua propter liberæ civitates, quæ nec in civilibus nec in ſacris alterius poteſtati ſubjectæ ſunt, nullo indigent aliorum conſenſu. Sufficit ergo ipſis ſuus in condenda academia conſenſus, vel ſi ipſæ conſentiant, nil ipſis oberit diſſenſus aliorum quorumcunque.

Regi abſoluto vel monarchæ ſimpliciter dicto nullo opus eſt aliorum conſenſu, nec extra nec intra regnum vel imperium ſuum, & ſi ſummo ſacrorum jure gaudet, nequidem in rebus ad religionem referendis. Ipſe tamen per ſe curabit, ne quid veræ religioni & pietati adverſum ſua approbet autoritate. Regi limitato non opus erit, niſi illorum conſenſu, qui ſecundum pacta aut leges regni conſentire debent. Ariſtocratiæ puræ optima-

tum ſufficiunt ſuffragia, quot requiruntur ad alias cauſas publicas decernendas; mixtæ accedere debent ſuffragia aliarum formarum, quæ temperamenti ratio recepit. Democratiæ puræ ſuffragia populi, ad formanda decreta publica valitura valebunt quoque ad creandam academiam; mixtæ adjungenda erunt, quæ temperamentum, quod placuit, ſtabilivit. Ita videmus in Belgio fœderato provincias ſuo juris redditas, pro lubitu ſibi formaſſe academias. Gröningæ Omlandiæque ordines gröninganam; Guil. Ludovicus, comes Naſſoviæ, cum ordinibus Friſiæ, Franequeranam, Guilielmus, Princeps Arauſ. cum Hollandiæ ordinibus Lugdunenſem; Magiſtratus ultrajectinus cum ordinibus Trajectinis ultrajectinam; ordines ducatus Geldriæ & comitatus Zutphanienſis Harderovicenſem academiam aperuerunt. Transiſulaniæ ordines adquieverunt in Daventrienſi Gymnaſio illuſtri, in quo Philoſophia, Jus & Theologia docentur, quemadmodum Amſtelodami quoque Gymnaſium academicum habetur. Norimbergenſis ſenatus Altorfinam condidit academiam, Baſilienſem Colonienſis & Argentinenſem ſenatus cujusque loci, Roſtochienſem ex parte etiam ſenatus ibidem. De Lauſannenſi, Genevenſi, aliisque conjectura aſſequi licet, ſimilem ipſis eſſe ortum.

§. 373.

Prima ratio condendi academiam.

Vbi multum pecuniæ ſtudiorum academicorum cauſa e civitate, quæ ſibimet ſufficit ad habendam academiam, exportandum eſt ad exteros; ibi condenda eſt academia. Quælibet civitas ſibi id ipſum debet, quod ſibi debet quivis homo in ſtatu naturali (§. 419. *P. I. Polit.*) ideoque ſe ipſam ſtatumque ſuum perficere, quantum valet (§. 420. *ibid.*), & animos iis imbuere artibus & ſcientiis, quibus ad ſalutem civitatis perficiendam eget (§. 424. *ibid.*). Sed quivis homo in ſtatu naturali ſibi ea præſtare, nec ab aliis exſpectare debet, quæcunque ſibimet præſtare poteſt (§. 232. *P. I. Philoſ. pract. univ.*), & licet obligetur ad perficiendos alios, in conflictu tamen officiorum vincit officium erga

ga ſe ipſum (§. 229. *ibid.*), neque quisquam habet jus petendi vel id ab aliis, quod ipſemet facere nequit, niſi quatenus illi id citra neglectum officiorum erga ſe ipſos præſtare poſſunt (§. 608 *P. I. Jur. nat.*). Ea propter quæcunque civitas ſibimet ſufficit ad habendam academiam, fruſtra & adverſus alterius civitatis officia ab illa peteret vel gratuita ſuorum ſtudia academica, vitæque præſidia; & adverſus officia erga ſe ipſam exportaret pecuniam copioſam ad exteros ſtudiorum & alimentorum academicorum cauſa, quæ domi haberi poſſunt. Nempe ſuorum civium commodis debentur hoc caſu illa impendia & emolumenta æque in re literaria, ac in commerciis (§. 1027. *ſeqq. P. VIII. Jur. nat.*). Liquet ergo, ubi multum pecuniæ ſtudiorum & alimentorum academicorum cauſa e civitate, quæ ſibi ſufficit ad habendam academiam, exportandum eſſet ad exteros, ibi academiam eſſe condendam, ut ſumtus illi potius in civitate, quam extra eam conſumantur.

Generatim cives obligantur ad perficiendam ſuam civitatem, cujus tutela & emolumentis communibus fruuntur, & ad bona ſua, quibus vita indiget, potius in civitate conſumenda, quam extra eandem. Neque quisquam tam erit a ratione alienus, quin abſurdum eſſe fateatur, in alia civitate bona eſſe adquirenda, in alia vero conſumenda. Quod uti in omni vita, ita & in literaria eodem ſe modo habet. Male ergo conſulunt ſaluti civitatis, qui multum pecuniæ in ſtudia academica & itinera impendunt, ad ditandos exteros, cum ſufficerent condendæ ſibi academiæ, ut eadem domi diſcerentur, & quæ domi parta ſunt etiam domi abſumantur, non ſine cæterorum civium fructu.

§. 374.

Vnde ea ratio pateat?

Sicubi eruditorum centuriæ tres pluresve aut publicis muneribus præficiendi ſunt, aut ſcientia & arte ſua honeſte aluntur, ibi academia opus eſt. Si enim tres pluresve eruditorum centuriæ honeſte aluntur in civitate, totidem quoque & plures centuriæ

literis & scientiis sunt imbuendæ: quoniam solet vicesimus quintus circiter studiosorum quotannis in urbe mori, antequam spartæ admoveatur. E trecentis igitur 12. quotannis fere moriuntur, & nisi totidem quotannis novi illis succederent, intra 25 annos nemo eorum forsitan superesset. Si vero quot decedunt eorum numero, totidem aut & paullo plures denuo accedunt, poterunt ex illis, qui 25. annos supergressi sunt, & studia absolverunt eorum loca repleri, qui functionibus publicis præsunt, & pari mortalitatis lege vicesimum quintum, vel tricesimum, singulis annis perdunt. Quoniam interdum contagia oboriuntur, quibus longe major numerus vita excedit, is numerus vix sufficeret, qui consueta fatorum lege sufficit; inde paulo plures adesse debent candidati, qui defunctorum loco succedere possint, ut & optioni locus sit, & exercitatiores adhiberi vacanti spartæ quæant. Jam si quisque ducentos vallenses quotannis in academia consumit, qui numerus medius censeri potest inter eos, qui plus & qui minus consumunt; trecenti quotannis consument 60000. thaleros, qui exteros pascunt, cum pascere cives possent. Sæculo elapso talis civitas tres milliones ejusmodi exteris dedisset, quibus civitas ipsa gaudere potuisset ac debuisset. Sed oporteret perexiguam esse civitatem, in qua non plures trecentis literatis honeste alerentur, modo paulo cultior ponatur. Apertum ergo foret vel hoc casu multum pecuniæ academiis exterorum dari, quod in propria academia posset consumi eoque ipso civitatem multum damni incurrere, si præcipiti rudique judicio statuat, sibi non opus esse academia, qua commode potiri posset.

Recentiores mortalitatis & nativitatis humanæ observationes docuere venerabilem admodum *Süßmilch* in ditione brandenburgica annis proximis mortuum circiter esse tricesimum & septi-

ſeptimum viventium, ſi pagi computentur una cum oppidis & urbibus. Quia vero in pagis pauciores denaſcuntur, quam in oppidis, urbibusque, nec omnes anni æque favent vitæ humanæ, ac nuperi ſalubriores; haud multum a veritate aberit, qui triceſimum circiter medio numero mori ſtatuit, ſi contagia non negligantur. Sed in magnis urbibus plures moriuntur, circiter viceſimus quintus. Jam divina ſapientia ita res humanas animalesque inſtituit, ut aliquanto plures naſcantur quam moriuntur, quo exceſſus inſerviat ſupplemento extraordinariæ jacturæ, & ſic non tantum conſervetur numerus ſufficiens, ſed & aliquantisper augeatur ob easdem rationes. Si eodem ordine conſervandi ſunt eruditi, ut & illorum jactura rite penſari poſſit; eorum quoque in urbibus viceſimus quintus, & ruri triceſimus circiter longa annorum ſerie e vita diſcedet. Quapropter intra triginta annos pæne totus eorum numerus erit extinctus, licet unus vel alter ſenior ſuperſtes habeatur. Neque enim individua ſpectantur, ſed integer numerus atque ſic parum aberit, quin e tribus centuriis quotannis decem, & intra ſæculum integrum eorum circiter mille occubuerint: niſi eorum loca vacua ſint relicta, oportet, ut totidem ipſis ſucceſſerint; & cum ex eorum numero, qui ſucceſſores dedere, etiam totidem interea diem ſuum obierint: patet *fere duplum eorum numerum eſſe debere*, qui literis operam navant, ut literatis ſuo tempore ſurrogari poſſint. Proinde loco 300., qui ſuis fruuntur honoribus reditibusque, fere 600. literis incumbent in ſcholis cum inferioribus tum ſuperioribus & academiis. Quare ſi academiæ tantum 300. vel 150. dentur ſtudioſi, is numerus non erit contemnendus, neque juſto Profeſſorum numero indignus. Ne male poſuiſſe calculos cenſeamur, recordandum eſt, in Anglicis Academiis, quibus veluti Gymnaſia academica juncta ſunt, ſtudioſos non per ſeptem tantum, ſed 12. vel 14., & ſi Doctores Theologiæ fieri velint, per 18. annos ſtudiis operam dare teſte *Benthemio* im Engell. Kirchen- und Schulen-Staat *p. 342. ſeq.* ubi procul dubio plures eſſe debent e muſarum alumnis, quam in ſcholis trivialibus, quanquam alii, qui muſis non ſunt

consecrati, plures ibi dentur. Si germanico more per tres tantum quatuorve aut 5. annos studiosi in academiis morantur, eorum proportio ad præfectos functionibus publicis procul dubio minor multo erit, v. g. pars decima, duodecima, nisi $\frac{1}{14}$, ut, e 3000. vel 300., vel 250., vel 214.

§. 375.

Secunda ratio academiæ condendæ.

Si literis dediti non sunt exponendi peregrinorum seductioni, avaritiæ & libidini, si generatim peregrinis vitiis non sunt imbuendi, condenda, ubi id fieri potest, erit academia, virtutum præstantissimarum magistra. Nihil enim est facilius, (quam vellem, ne addi posset, & usitatius,) quam ut liberi bene educati inter exteros, velut justo maturius emancipati, dissolutius vivendi habitum & videant, sæculum esse, & promte sequantur, nescio quid laureolæ e licentia & pravitate, pro libertate & gloria captantes. Solicitantur ergo & rapiuntur fere a dissolutis vacunæ mancipiis in sua consortia, emunguntur pecunia mille modis & fraudibus, efferanturque cum illis in omni genere vitiorum. Nec otiantur alii, qui vel suæ libidini irretiendis, vel suæ gulæ satiandæ, vel suæ avaritiæ explendæ, quantam possunt, operam navant, vel suæ litant vanitati cæterisque studiis nefandis. Quamobrem si ab his abstinendi sunt bonæ spei studiosi (§. 291. *Oecon.*), si peregrinis vitiis nihil opus est in civitate, quæ par est academiæ aperiendæ, & suorum virtutes exasciare in salutis publicæ emolumentum cupit: opus est ut instituat alatque academiam præstantissimarum virtutum magistram.

Dantur omnino & inter exteros virtutes mentis & voluntatis, quæ æmulationem provocare possunt & debent. Sed major est vitiorum seges quam virtutum ubique. Alibi quoque alia vitia sunt frequentiora, & pro virtutibus lucri causa venditantur. Ea vero est pravitatis humanæ indoles, ut citius multo inescetur vitiorum dulcedine speciosa, quam ut virtutum raritate & difficultate capiatur. Præsertim in illo ætatis lubrico & vigore affectus

affectus dominantur, a ratione nondum satis sub jugum missi. Quare mirum non est & vitia domestica in illa licentia vivendi, quæ proh dolor! passim in academiis regnat, adolescere, & peregrinis istis augeri, aut quandoque in horum locum migrare. Quæ tantum abest, ut civitatem juvent pro tanta exportatæ & dilapidatæ pecuniæ copia, ut potius eamdem depravent deturpentque. Tantine pœnitere emendum?

§. 376.

Si præstat eundem scopum minoribus consequi sumtibus, quam majoribus vanisque, condenda est domi, ubi id fieri potest, academia. Docet enim experientia, majori ostentatione & luxu juvenes versari & uti inter exteros, ubi parentum censuræ non æque subsunt ac domi; ubi vana spe inclarescendi pompa exteriori, aut lucrandi quidquam vel decipiendi alios ducuntur, quo ipso fortunæ suæ aut splendori gentis suæ se servire arbitrantur. Domi autem, saltem in vicinia, parentes nil hujusmodi concedunt, & sibi & liberis id turpitudini ducentes: itaque vanæ ambitioni, ostentationi, & luxuriæ occurritur, multoque minori sumtu scopus studiorum rectius obtinetur, uti par est (§. 356. *seqq. Oecon.*). Si igitur minoribus sumtibus in propria academia scopus studiorum cæteris paribus obtineri potest, quid opus majoribus impendiis in exteras academias faciendis?

Tertia condendæ academiæ ratio.

Non suæ tantum rei familiari, suæ existimationi & pietati ita consulunt parentes, sed & simul liberorum fortunæ & patrimonio, quod omnino augetur, & eo pinguius erit, quo pluribus impensis inanibus potuit supersedere. Sed fortunæ & patrimonio liberorum conservando & augendo incumbere, pietatis est & prudentiæ parentum. Eo autem illa major erit, quo plus ita cavetur, ne non sibi tantum, sed & fratribus sororibusque noceat studiosus patrimonii inter exteros effrænis decoctor, obtentu privilegii, sumtus studiorum non esse conferendos in familiam hercifcundam. Neque enim abusui dictum patrocinatur

tur privilegium, ſed potius favorem ſpirat rectæ collocationis impendiorum, in ſtudia factorum, faciendorumve a ſtudioſis eorumque parentibus ad colenda ſtudia animandis.

§. 377.

Quarta ratio condendi academiam propriam.

Rectius parentes ſuæ erga liberos obligationi ſatisfacere poſſunt, ſi academia domi vel in eadem, quam ſi in peregrina ditione habeatur. Eſt enim parentum officium, liberos ſuos educare (§. 263. p. *VII. Jur. nat.*) omnemque dare operam, quæ ad perficiendum animum, corpus & ſtatum liberorum requiritur (§ 642. *ibid.*), præſertim vero, ut liberi conſequantur virtutes omnes tam intellectuales, quam morales (§. 655. *ibid.*) ideoque ſcientiam, ſapientiam, prudentiam & artes, ad quas addiſcendas maxime apti & propenſi deprehenduntur (§. 656. & 719. *ibid.*), gaudentque jure obligandi liberos validiſſime ad ipſis obediendum, & cavendi, ne obediant aliis, ipſis inſciis & invitis (§. 668. *ibid.*), donec liberi ſe ipſos regere & ſibimet proſpicere poſſint de iis, quibus ad conſervationem ſui indigent (§. 637. & 775. *ibid.*). Quod cum parentes ope naturalis erga liberos amoris & patriæ poteſtatis melius quam quisquam alius præſtare poſſint & debeant neque melius id plerumque efficere poſſint, quam ſi liberos ſemper ſub oculis & diſciplina ſua habeant: eluceſcit clariſſime, non rectius parentes ſuæ erga liberos ſtudio literarum deditos obligationi ſatisfacere poſſe, quam ſi domi academia haberi poſſit, hoc eſt, ſi ubi degunt ipſi, ibi uti ſchola inferior, ita quoque ſuperior & ſumma habeatur.

Quoniam vero non ubique tot haberi poſſunt literatorum centuriæ, quod requiruntur ad academiam rite conſtituendam (§. 374); non poſſunt tot dari ſcholæ ſuperiores, quot inferiores (§. 325.), & ne quidem quot urbes in civitate habentur. Si vero ſtudiorum academicorum cauſa multum pecu-

cuniæ consumendum sit inter exteros (§. 373.); si justa studiosorum copia in civitate requiritur, quæ academiæ sufficiat (§. 374.): utique præstat, in eadem civitate dari academiam, quam studiosos mittere ad peregrinam. Licet enim domi haberi academia ob dictas rationes nequeat, præstat tamen & ideo illam, in eadem dari civitate, quia sic pecunia manet in ea civitate, cujus est; & facilius caveri potest inter cives & amicos seductio, injuria & iniquitas, erga studiosos eorumque parentes forte admissa, quam inter exteros, qui sui prorsus juris sunt.

Quis nescit, peregrinos ita non obligari ad felicitatem studiis operantium procurandam, uti parentes, & nequidem uti populares, ejusdem civitatis cives. Quare nemo parentibus melius felicitati liberorum musis consecraneorum prospicere possunt & debent, si partibus suis rite fungantur. Vnde optimum quidem est, si liberos suos semper in oculis ferre, & confestim scire possint quotidie, num recte horis professorum intersint: Hinc *Plinius* audiens Mediolani Professores audire prætextatum municipis sui filium, ad patres inquit: vestra vehementer interest, qui patres estis, liberos vestros hic potissimum discere. Vbi enim aut jucundius morarentur, quam in patria, aut pudicius continerentur, quam sub oculis parentum? aut minore sumtu, quam domi? Quantulum ergo est collata pecunia conducere præceptores? quodque nunc in habitationes, viatica cæt. impenditis, adjicere mercedibus. *Lib. IV. Epist. 13.* Vbi vero id fieri nequit, ibi tamen facile consanguineos, affines, aut amicos habebant, quibus credere liberorum suorum curam possint. Saltem Professorum aliorumque ephororum fides sub eodem summo imperio facilius præsto erit, & dissolutorum seductorumque nequitia melius poterit compesci, quam inter peregrinos. Quos si precibus, si honorariis invitent parentes ad partes suas in se suscipiendas, partim tamen ipsorum, partim liberorum arbitrii erit, num respondere votis parentum velint aut possint, propter alia officia potiora, quibus obruuntur di-

ſtinenturque parentum loco futuri. Multum quoque obſtat ingens ſæpe locorum diſtantia, ut ne reſcire quidem parentes poſſint, quæ ipſis cognitu forent neceſſaria ad avertenda ſua & liberorum ſeu pericula ſeu damna. Conſulantur qui cum *Spizelio de literatorum infelicitate* commentati ſunt.

§. 378.

Quinta ratio propriam condendi academiam.

Non deſunt quoque academiis ſua commoda civilia, ob quæ condi perinde merentur, ac propter literaria. Oportet enim, ut ubi academia dari debet, ibi adſint ædificia & docentium & diſcentium habitationi apta, ſive publica ſint, ſive privata (§. 320.). Is ergo locus, ubi academia condenda, ampliandus augendusque eſt ædificiis, quæ ſuo valore valorem loci augebunt. Quo major ergo erit academia, eo pluribus ibi opus erit ædibus, eo & ædes erunt fructuoſiores pretioſioresque. Præterea cum docentes diſcentesque victu egeant, amictu, famulitio, aliisque vitæ præſidiis & ornamentis: tanto plus in illo loco conſumetur, quanto plures ſunt academiæ cives; tanto plures inde ali ibi poterunt homines & fortunari; tanto plus lucrabuntur vicini, agricolæ, res neceſſarias advehentes, mercatores, artifices, opificesque, & qui non? Conſequitur inde omnium incolarum fortunas itidem acceſſiones eſſe percepturas, uti ex aucto rerum operarumque pretio, ita ex frequentia commeantium commorantiumque vel ſtudioſorum, vel propter hos & commercia aliorum. Neque minus ærarium publicum ex commercii incrementis ſua ſentiet incrementa. Hæccine commoda civilia tanti facienda videntur, ut vel propter illa condi academias deceat, ubi civitas illis ſufficit?

Majorem vero copiam emolumentorum literariorum ex academiis ſperandam, nemo fere ignorare poteſt, niſi qui neſciat, de quibus rebus in illis agatur, aut atra bile laboret. Eſt enim in illis intellectus juvenum utiliſſimis artibus & ſcien-

tiis

tiis imbuendus (§. 434. *P. VIII. Jur. nat.*), quibus idonei evadant ad alios docendos viam ſalutis, & cives quoscunque omni virtutum genere imbuendos & continenter ulterius perficiendos; ad conſulendum civilibus cum publicis tum privatis negotiis, dijudicandasque controverſias, & regendas actiones civium ad honeſtatem externam, ſecuritatemque; ad ſanandos ægros vulneratosque, ſine prudenti remediorum curationumqae uſu perituros (§. 336.), præter ſcientias humaniores, philoſophicas, mathematicasque (§. 335.), quarum uſus multiplices omnes populi cultiores magni fecere. Plena quoque ſunt academiarum privilegia illis, quæ ipſis propriæ ſunt, commendationibus.

Indubium eſt, uſum pecuniæ perpetuum cives alere & locupletare, theſaurum vero pecuniæ maximum nemini prodeſſe, dum abſconditus jacet. Sed academiæ circulum pecuniæ multum promovent, inde florentem reddunt civium ſtatum, & publicum augent ærarium. *Thomas Sagittarius* in *Diſp.* de flore locorum, ubi academiæ habentur, ita calculos ponit §. 76. *ſeqq.* Si ſtudioſus lotrici quotannis pendit uncialem, quingenti eorum his ſolum ſolvant totidem unciales. Si præterea conſumit quotannis quisque centum unciales, quingenti conſument quotannis quinquaginta millia uncialium & quingentos. Vnde calculo ad centum, mille & plura ſubducto, liquebit, quid tum quotannis hujusmodi loco inferatur, perpetuoque circulo plurimis proſit opificibus, mercatoribus, hortulanis, ruricolis aliisque. Si verbi gratia 200 tantum ſint ſtudioſi, quorum conſumtionis numerus medius ſit ducentorum thalerorum; ibi quotannis quadraginta thalerorum millia abſumentur non ſine inſigni plerorumque emolumento. *Leibn.* in computando Halenſis academiæ commodo, a ſtudioſis eo confluente, ponit numerum eorum 2000, & quemlibet erogare quotannis 300 thaleros, unde ſumma pecuniæ, ibi in commercio verſantis & quotannis affluentis, foret 600000 vallenſium. Vnde ſi ſemel

tantum accideretur, $\frac{1}{25}$ pro ærario publico tamen haberentur 24000; reliqua in privatum irent lucrum. Vid. Ejus **Proben von Verbesserung der Land- und Leute** *P. II. c. 2. §. 1.* Hoc affluxu opum cariturus esset is locus nisi academia gauderet. Intelligi inde potest, quantum emolumenti loco oriatur, si 3 vel plura studiosorum millia complectatur, more Cantabrigiensi & Oxoniensi. Quid ergo miremur urbium oppidorumque studium academiis potiundi suasque fortunas amplificandi. Non ignoravit illud Alexander M. dum Alexandriæ suæ florem condita quoque ibi academia augendum duxit, docentium pariter ac discentium consulturus prosperitati.

In privilegio Culmensi & Lipsiensi Academiæ dato, Vrbanus VI. & Alexander ait, se intentum ad fidelium profectus, lubenter juvare literarum studia per quæ numinis cultus protenditur, justitia colitur, tam publica quam privata res utiliter geritur, omnisque prosperitas humanæ conditionis augetur. Sigismundus Augustus, Rex Pol. in confirmatione academiæ regiomontanæ præfatur: in omnibus rebuspp. maximam Gymnasiorum curam & rationem esse habendam, non solum quod id eorum, qui in literarum studiis atque in magnarum vitæque hominum fructuosarum artium cognitione versantur, excellens virtus merentur; sed etiam, quod nil magis rerumpp. intersit, quam florere in eis vigereque cœtus Gymnasiorum, in quibus homines ad pietatis & virtutis studia, earumque artium, quarum maximi in rebusp. fructus existunt, disciplinam, atque adeo ad eas rationes, quibus rerumpp. status continetur, formarentur. Siquidem ita est, ut quales in rebuspp. hominum institutiones, qualiaque studia sunt, tales ipsorum rerumpp. status magna ex parte existere soleant. Vid. *Arnoldi Hist. P. I. docum. 10. p. 33. seq.* Lipsiense privilegium Alexandri Papæ, in *Schneideri Chronico p. 278.* hæc quoque habet: speramus fore, ut felicia semper recipiat incrementa (studium generale) & multi ad illud confluant, ibi in Sacræ Theologiæ & utriusque Juris, nec non in Medicinæ & in septem liberalium artium & omnium licitarum facultatum studiis instruantur . . . . Ex quibus profecto elicitur,

tur, quod multo magis auctore domino proficiet florebitque prædictum oppidum, si tantis privilegiis & singularibus præsidiis sedis apostolicæ decoretur. *cæt.*

§. 379.

Conjunctio Gymnasiorum academiarumque.

Sicubi Gymnasia & academiæ junguntur, fructus loci reddentur eo uberiores. Si separentur a se invicem Gymnasia & academiæ, adolescentium juvenumque, nisi & parentum, aviditas ambitioque breviter utrobique stadium decurrere & properare ad metum studebit, spartam scilicet reditus daturam. Contingет ideo frequentius, quo minus in academiis curantur profectus & quo promtius admittuntur quotquot cupiunt albo inscribi, modo solvant solvenda. Vtrobique dum cursim agunt, & pauciores erunt, & vana opinione se studia citius absolvisse putabunt & gloriabuntur. Quo ipso nec studia maturitatem consequentur, sed cruda propellentur in cathedram, forum & ad ægros, non cum minori suo ac aliorum damno. Præterea & inepti ad gradus apud exteros admittuntur spe lucri, quod ubique acceptum est, domi autem cavetur facile. Accedit, quod & diversa sectarum principia ac methodus facilius confusum chaos procreat aut labyrinthum, filo ariadnæo destitutum. Quæ rectius instituentur, si in eodem loco studia & Gymnastica & academica in debitum soliditatis ordinem consensumque redigantur, ac methodo conformi tractentur. Quo pacto & diutius commorabuntur in eodem loco nec inepti Reip. obtrudentur, & plures aderunt, majorem loco fructum creaturi (§. 374.). Id quod ibi inprimis consultum, ubi numerus academicorum non est nisi parvus.

Variæ dari possunt causæ, ob quas hæc superiorum scholarum conjunctio, æque ac inferiorum (§. 328.) consulta deprehendatur. Prima esse potest studiorum morumque melior procuratio, consensioque; secunda, eorum intra tempus statutum com-

comparanda major ſoliditas maturitasque facultatum mentis in doctrina & virtutibus; tertia numeri ſtudioſorum incrementum, ſi is alioqui juſto minor foret; 4ta) uberior utilitas & rei familiaris augendæ opportunitas; 5ta) melior diſciplina in numero quantumvis amplo. Sane Oxonii, Cantabrigiæ, Pariſiis, Salmanticæ & paſſim alibi, peculiaria inſtituta ſunt collegia, in quibus alumni ſubſunt & legibus & earum cuſtodibus, ne facile degenerare poſſint. Conjunctio autem infert vel ſeparatam conſtitutionem utriusque, uti Tubingæ Gymnaſium ſegregatum eſt ab academia, vel quandam unionem, ut velut claſſes ſeu gradus ſtudiorum ſublimiorum ibi habeantur in univerſitate, per quos certo annorum numero adſcendendum ſit ad ſuperiores a prioribus, uti Oxonii & alibi paſſim.

§. 380.

Ubi academiæ ſint condendæ?

Inſtituendæ ſunt academiæ in locis tutis, ubi ſalubritas aëris, annonæ ubertas, incolarum civilitas aut virtus, & vicinia locorum, unde præcipuus ſtudioſorum confluxus ſperandus, habetur. Eligenda enim procul dubio ſunt hujusmodi loca tuta, ubi & ſtudioſorum & docentium proſperitati melius conſuli poteſt (§. 192. *P. I. Phil. pract. univ.*). Ideo vitanda ſunt loca ubi docentium diſcentiumque proſperitati noceretur. Sed aër inſalubris nocet eorum ſanitati vitæque conſervandæ. Annonæ inopia & caritas nocet opibus, quia ibi majoribus opus eſt ſumtibus, & ſatius eſt, eundem ſcopum minoribus obtineri ſumtibus, quam majoribus (§. 376.). Si annona non tantum juſto carior ſit, ſed etiam inſalubris, æque vitæ ſanitatisque conſervationi nocebit ac aër inſalubris. Incolarum ruſticitas & quævis alia vitioſitas nocebit ſtudentium moribus, qui facilius ad prava deflectunt, quam rectiora ſequuntur. Denique ſi remotior ſit academia propria, quam aliena, nec vel pacto vel imperio obligantur, ad propriam frequentandam, & ad alienam fugiendam, propiorem præferent remotiori & ſtudioſi & illorum

paren-

parentes (§. 379.). Quibus rationibus conficitur, ibi potiſſimum academias eſſe condendas, ubi & aëris ſalubritas, & annonæ & cæterorum vitæ præſidiorum copia vilitasque, & incolarum virtutes, probitas & civilitas, & tuta commoratio viciniaque ipſa invitare ſtudioſos poteſt, ad ſponte ſua eo confluendum. Idem illud confirmat experientia, ſcilicet cæteris paribus quo major eſt locorum ſalubritas ſecuritas amœnitasque; quo major annonæ affluentia, & vilitas, & generatim, quo paucioribus ibi opus eſt ſumtibus; quo major ſecuritas, probitas & civilitas, eo copioſius congregari ibi ſolent ſtudioſi, etiamſi vicinia non concurrat, multo magis, ſi hæc una invitat.

Videtur, olim obſervatum fuiſſe, ſalubritatem aëris ruri & in montibus, majorem eſſe, quam in oppidis urbibusque, quod & recentiores docent annotationes (§. 374.). Inde Prophetæ Judæorum ſcholas aperiebant in locis ſalubri aqua, aëre & annona affluentibus, nec raro in montibus ipſismet. Druides in nemoribus & campis ſub quercubus &c. (not. ad §. 320. & 330.). Præſtaret etiam nunc in locis ſaluberrima aqua, aëris temperie, nemoribusque gaudentibus academias exſtruere, niſi alia obſtarent incommoda, videlicet defectus ſecuritatis a ſceleratorum hominum globis, furtis, latrociniisque. Contra quos ſi ſtudioſis vel militandum, vel excubandum eſſet, multa paterentur ſtudiorum impedimenta, a quibus ſunt liberandi. Ea ſimul ratio eſt, cur in oppidis, urbibusque munitis, ubi civilia ſecuritatis præſidia præſto jam ſunt, ut academia eorum immunitate gaudere poſſit (§. 359.), academiæ hodiernæ habeantur. Non alienum eſſe a metropoli & ſede imperatoria ac regia, ut in illa academiæ habeantur docent vetuſtæ & florentes hucusque academiæ Pariſina, Vindobonenſis, Taurinenſis, Haffnienſisque, quibus reſuſcitatam moſcuenſem, & novam petropolitanam addere liceret; prætermiſſis aliis v. c. Oliſiponenſi, quæ Conimbricam rurſus translata eſt. Cum aliorum principum, archiepiſcoporum, epiſcoporum ſedibus academias conjungi poſſe, quis

poſt

post adductas imperatorias & regias academias probatum cuperet, aut ignoraret tot ejusmodi academiarum exempla? Amplissimas urbes & emporia academias capere, Colonia, Francofurtum, Lipsia, Lovanium, Praga, Regiomontum, Cracovia, aliaque loquuntur. Oppida vero multa ope academiarum florere cœpisse ideoque academiis instructa esse, lucidissime inter omnes constat. Lugduno Batavorum in præmium obsidionis fortiter exantlatæ adjuncta fuit academia, ut refloresceret. Sic ut floreret Witteberga, Jena, Kilonium, Giessa, Marpurgum, Helmstadia, Rostochium, Tubinga, Grypeswaldia, Rintelia, Cantabrigia, Oxonium, Aurelia, Vpsala & alia compluria oppida, collocatæ in ipsis sunt academiæ. Cæterum in privilegiis laudari solent inter rationes externas tales, quales hic commemoramus. In privilegio Lipsiensi hæc leguntur p. 277. *Libri supra citati*: pensantes, quod in oppido Lipzk, populoso & spatioso, item in loco fertili & sub aëre temperato consistente, victualibus pro frequenti multitudine hominum (abundante) oppidani & incolæ sint homines civiles & in moribus bene dispositi, & quod circa dictum oppidum sint multa loca amœna, nec non prima illa pax & securitas, &c. Jenæ sesqui mille, & amplius studiosi dari solent ob vilitatem vitæ præsidiorum.

§. 381.

Vnde sumtus petendi, quos academiæ requirunt?

Condi academiæ nequeunt sine magnis sumtibus, partim ex fisco summi imperantis, partim ex ærario publico, & partim ex liberalitate privatorum petendis. Indigent sane universitates variis ædificiis publicis cum recitationi doctrinarum publicæ, tum habitationi aliique usui academico destinatis (§. 360.). Quæ cum in multa sæcula durare debeant, non sine ingenti impendio exstrui possunt. Præterea indemnes præstandi sunt Professores ratione recitationum publicarum, pro quibus a discipulis nihil ipsis est solvendum, nec non pro aliis operis in disciplina academica, & ob alia commoda seu academiæ seu studiosorum cum neglectu officii erga se suosque subeundis. Tot sumtus ergo

in ſalutem publicam faciendi incumbunt ex majori parte illis, quorum emolumenta per academias augentur. Hinc fiſcus regius & ærarium loci publicum: quorſum confluit inſignis reditus ex iis, quæ in academiis conſumuntur (§. 378.), ad augendos reditus ſuos, & officii cauſa, quia reditus publici communibus commodis ſunt impendendi, ſi non omnes ſumtus, ſaltem majorem eorum partem in ſe recipere debent (§. 319.). Quatenus vero illi reditus publici ad hæc impendia non ſufficiunt, eatenus privatorum liberalitas ex ſua abundantia ſupplere ſenſim illa obligatur, quæ deeſſe deprehenduntur (§. 20 *P. VIII. Jur. nat.*). Sunt ergo ſumtus ad academias requiſiti partim e fiſco ſummi imperantis, partim ex ærario loci, ubi habetur academia, partim e liberalitate privatorum pecunioſorum petendi.

Exempla hæc comprobantia magno numero in omnibus fere academiis proſtant, ut longe conquirenda non ſint. Si ſolum *Antonium a Wood in Hiſt. Acad. Oxon.* inſpicere placet, tantum ibi farraginem deprehendet in conditis collegiis & aulis, eorumque fundatoribus & benefactoribus, ut abunde ibi ea perſpecturus ſit, quæ hic aſſeruntur. Solum *theatrum Sheldonianum* decies mille libris Sterlingicis ſtetiſſe fertur, & reditus e fundo 2000 librarum hauriendi, ejus conſervationi & typographiæ fuerunt aſſignati. En unius archiepiſcopi Cantuarienſis liberalitatem! Ximenes Complutenſi 60000 aureorum impendiſſe fertur. Annui reditus Academiæ Salmanticenſis dicuntur eſſe triginta millium aureorum *P. II. p. 429. Middendorpii.* Plerumque permultorum ſymbolæ confluxerunt ad ſupplenda quæ deficiebant.

§. 382.

Recte quoque ſummi pontifices, eorumque exemplo alii, pinguiores reditus ſacros academiis ſcholisque conſecrarunt. Primitus enim cœnobia, & epiſcoporum canonicorumque reditus deſtinati fuere *An etiam ex Epiſcopatibus & cœnobiis?*

fuere ad homines ſalutaria docendos & ſtudia excolenda. Vnde in Concilio generali Romæ habito tempore Alexandri III. Epiſcopis fuit injunctum, ut in ſingulis eccleſiis, ſuis ſumtibus Profeſſorem alerent, qui erudiret juventutem in bonis artibus, Philoſophia & Theologia. Cum vero temporis progreſſu in collegiis Canonicorum ſtudia negligerentur, & regum potius negotia appeterentur: munus docendi potiſſimum in monaſteria translatum eſt, quæ eidem ſcopo erant deſtinata. Sed & ibi ignavia invaluit, & cærimoniarum moles, ut maxima pars monachorum eſſet rudis. Quam obrem paſſim reditus epiſcoporum, canonicorum & monachorum profeſſoribus academicis fuerunt attributi, partim ſponte ab his, qui ad officia ſua erant proniores, partim ingratiis ab his, qui reditibus iſtis abutebantur, juſſu Pontificis, aliorumque ſuperiorum. Neque deſunt inter Pontifices romanos, qui ſuam erga academias liberalitatem exercuerunt, exemplum aliis, quod ſequerentur, daturi.

Vrbanus V. verbi gratia liberales artes Montiſpeſſulani didicit, ideoque pontifex factus ibidem collegium erexit in gratiam ſtudioſorum Medicinæ, ex Mimatenſi diœceſi oriundorum, dotavitque ſic, ut 12 ibi alumni in illo foverentur: teſte *Maſſono Lib. VI. de geſtis Rom. Pontif.* Rhemenſis Academia a Principe Car. Guiſio, Cardinale Lotharingo, inſtituta eſt, uti Eborenſis ab Henrico Cardinale Luſitaniæ, & Complutenſis a Franc. Ximene, Archiep. Toletano; in Scotia Aberdonenſis ab Epiſcopo Guil. Elphingeſton, & Glaſcovienſis a Jurabullo Epiſcopo ibidem; & in Germania Marſilius de Inghen. Canonicus S. Andreæ Colonienſis fundavit Heidelbergenſem a Ruperto Duce dotatam; Dietherus Iſenburgius, Archiepiſcopus, Moguntinam &c. Salmanticenſis reditibus aucta eſt a Clero, qui ei tertiam cathedralis eccleſiæ redituum partem conceſſit, Martino V. autore. Thomas Wolſeus, Purpuratus, a Clemente VII. bullas impetravit, quibus poteſtatem facit 22. monaſteriola penitus diſſol-

diſſolvendi, eorum reditibus Collegio ædis Chriſti Oxonienſi transſcriptis. Quæ plenius enarrat cum aliis poſtea additis *Woodius P. II. p. 246.* Similiter Joannes XXIII. Lipſienſibus Profeſſoribus Theologiæ & Juris 6 aſſignavit Canonicorum reditus, duos e Misnenſi, duos e Martisburgenſi, & duos e Numburgenſi epiſcopatibus, quos Profeſſores eligit Academiæ concilium nationale. Vid. *Schneideri Chronic. Lipſ. p. 308. ſeq.* Num videri mirum poteſt, hæc exempla aliorum imitationi patuiſſe? Quibus tanquam non ignotis non eſt, cur immoremur.

§. 383.

Quot auditoribus ſufficiat Profeſſor.

Qui ducentis vel trecentis ſtudioſis ſufficiunt Profeſſores, iidem quoque totidem millibus ſufficere poſſunt, ſi partibus ſuis recte fungantur. Longus enim uſus docuit, tum Oratores ſacros in templis aliquot hominum millia ſimul ſæpius docuiſſe & noſtro quoque ævo docere; tum Profeſſores in ſat ſpatioſo auditorio pari vocis contentione idem præſtitiſſe. Vice verſa ſi pauci ſint auditores in templo vel acroaterio, ut duas tresve centurias aut decades tantum docere debeant iidem, opera eadem ipſis eſſe fungendum. Quod haud ſecus habet, ſi duo vel tres tantum docendi ſint. Quapropter, uti qui duobus vel tribus docendis ſufficiunt, etiam ducentis vel trecentis pares ſunt: ita qui ducentis trecentisve, iidem & duobis tribusve & pluribus millibus ſufficere poſſunt, ſi apti ad id eligantur, atque iidem partibus ſuis recte fungantur.

Salmanticæ quatuor & plura millia literis operari ſolere, autor eſt *Middendorpius P. II. p. 436.* (& Oxonii Catabrigiæque pariter ad tria millia confluere ſolere, certum habemus). Neque tamen numerus Profeſſorum, cathedralicorum (perpetuorum) vicenarium ſuperat numerum p. 430. *ibid.* tres nempe Theologiæ, 6 juris canonici, quatuor juris civilis, tres Medicinæ, & quatuor artium liberalium. Præter hos alii in quadriennium conducuntur, iterum tres Theologiam, 4 Jus Canonicum, 6 jus civile quatuor linguas eruditorum antiquas, ſeptem vero

artes liberales profitentur. Priores comparari illis poſſunt, qui ordinarii alias vocantur, poſteriores extraordinariis. Cantabrigiæ tres ſunt Profeſſores Theologiæ, ſinguli vero tantum legum, Medicinæ, Matheſeos, Aſtronomiæ & experimentorum, hebraicæ, arabicæ & græcæ lingvæ, præterea Prorancellarius, duo Procuratores, Ecelefiaſtes, Orator publicus & Bibliothecarius, & 4 lectores, nempe Philoſophiæ, logicæ, rhetoricæ & matheſis. Oxonii vero præter Procancellarium eiusque 4 vicarios, duo ſunt procuratores, duo Theologiæ Profeſſores, unicus Juris civ. unus græcæ linguæ, alter hebraicæ, tertius arabicæ, Profeſſor Anatomiæ, Botanicæ, Chimiæ, item Hiſtoriæ, Geometriæ, Aſtronomiæ, Phyſicæ, Ethicæ, Muſicæ. Quibus accedit Orator univerſitatis, cum electis quotanis lectoribus Grammaticæ, rhetoricæ, logicæ, metaphiſicæ & Chirurgiæ. Hic ergo 18 Profeſſores, & Jurium, quod mireris, unus tantum; ibi fere 14, unicusque legum Profeſſor habentur. Vnde patet, tam numeroſis Academiis non plures datos eſſe Profeſſores, quam germanicis, ubi ſæpe tot tantum ſtudioſorum centuriæ habentur, quot ibi Chiliades. Cum nemine tamen contenderim, ibi ſatis recte omnia fieri, cum nihil ab omni parte beatum detur in terris, nec ignota ſint, quæ his addere poſſem.

§. 384.

Numerus academiarum eſt arbitrarius quadamtenus.

Ab arbitrio rectorum trivitatis pendet, utrum pro ternis circiter vel quaternis academicorum centuriis academiam in loco oportuno condere velint, an tantum pro totidem millibus. Qui enim ducentis vel trecentis ſtudioſis ſufficiunt Profeſſores, iidem quoque tot millibus erudiendis pares ſunt, ſi idonei eligantur, electique ſuis partibus rite fungantur (§. 383.) Inde ſi cuncta rite ordinentur, conſerventur gubernenturque, pro 6 vel ſeptem millibus circiter eruditorum, in civitate neceſſariis, tam duæ ſufficere poſſunt univerſitates, quam ſeptem aut 14, pluresve. Examinandæ igitur ſunt rationes, quæ aut pauciores, aut plures

plures academias commendant in data civitate, ut eligi possit, quod ipsi est convenientius optimumque factu.

§. 385.

Rationes pro paucioribus academiis facientes.

Pro pluribus Studiosorum chiliadibus erigendam esse academiam suadere podest 1) paucitas Professorum in academiis alendorum, cum unusquisque simul tam ducentos & trecentos, quam totidem chiliadas docere possit eandem scientiam artemve (§. 383.). 2) Fluens inde sumtuum publicorum compendium quo plures reditus accessorii a studiosis haberi posunt. 3) Minores sumtus privati in didactra faciendi, cum quo plures sunt auditores, eo minoribus ratis idem didactrum conficiatur. Si decem dant stipulatam summam X, quilibet dabit $\frac{1}{10}$X, centesimus non dabit nisi $\frac{1}{100}$ ipsius X, & millesimus non nisi $\frac{1}{1000}$ ejusdem X. 4) paucitas ædificiorum publicorum seu academicorum quamquam eo majorum. 5) Major splendor & frequentia academiarum. 6) Non facile metuenda civitatis divulsio separatioque in minores plures. 7) Analogia academiarum & templorum. 8) Locorum opportunitas minor (§. 280.).

Fallor, aut hæ erunt præcipuæ rationes, quæ afferri poterunt pro duabus modo academiis in Anglia universa. Omitto: quæ forte antiquissima esse potuit, barbariem pristinam, in qua præjudicium vilipendium & contemtus literarum plerosque occupaverat. Certe hanc rationem in barbaris civitatibus, & superstitione mahumetana infectis, generatimque illis, ubi dominantur præjudicia, literatos vel inutiles civitati esse, vel plane noxios, obtinere quis negare ausit?

§. 386.

Rationes pro pluribus academiis militantes.

In gratiam trecentorum, vel paulo plurium, studiosorum condendam esse academiam, recte statuatur 1) propter civitatis parvitatem, quæ non indiget, nisi aliquot eruditorum centuriis

(§. 374. *feqq.*). 2. proter diverſitatem provinciarum ejusdem quidem civitatis, ſed juribus ac religionibus diverſis utentium. 3) ob perfaciles factiones in tanta multitudine, difficultatemque compeſcendi tot vel inermes. 4) ob incommoda itinerum longinquiorum in civitate valde ampla. 5) ob commoda plurium oppidorum ſeu urbium per academias provehenda (§. 378.). 6) Si plures alendi ſunt Profeſſores, illi quoque rectius noſſe & erudire poterunt academicam juventutem, quam ſi nimia illius ſit copia; & vel propterea ſumtus plures verendi non ſunt, quod iis honeſte plures indigenæ ut plurimum nutriuntur, ideoque liberorum fortunæ conſulitur, & quæ conſumuntur ab illis pluribus Profeſſoribus, cedunt in plurium civium lucrum, civitatis decoramentum, & præſtantiam culturæ ingeniorum amplificandam. Quibus rebus non poteſt non gloria gentis magis augeri, quam reſtrictiori impendiorum in ſtudia parcitate (§. 47 - 57. *Jur. Gent.*).

Ex tanta multitudine juvenum in primo ætatis flore & affectuum calore conſtitutorum apparet neceſſitas illos armis privandi & in quemdam ſtatum monaſticum detrudendi. Hinc Salmanticæ, Oxonii, Cantabrigiæ, & in aliis amplioribus academiis continentur incluſi in collegiis compluribus, communi utuntur convictu in refectorio amplo, inermes plane ſunt & togati, ipſisque togis impediti, nec ſecus vivunt ac religioſi, qui ſeveræ ſubſunt diſciplinæ ſui rectoris; concolori utuntur panno, nec egredi de die niſi cum ſocio cuſtode, & in auditoria poſſunt; nocte autem fores nemini aperiuntur, mulcta quoque ſolvenda illis, aut pœna luenda qui negligunt ſine legitimo impedimento horas frequentandas, teſte *Middendorpio*, *Woodio* aliisque. Non tantum Oxonii diſſidia borealium & auſtralium, & Procuratores eorum diu ibi viguere, ſeb quoque anno 1586. lis acris erupit inter togatos & Norryſium, Baronem, qui occaſione feræ in ipſius ſaltu captæ Magdalenſem alumnum carceri dederat. Commilitones, adſcitis in ſubſidium reliquis academicis,

cis, Norryſium, quamvis valida caterva munitum truculenter aggreſſi ſunt, ut multi utrinque vulnerarentur. Licet vero in collegia revocarentur tumultuantes academici, foribusque obſeratis egreſſu prohiberentur, præſtolati tamen multi in collegio omnium animarum & Magdalenenſi tranſitum Baronis, eum lapidibus undique impetierunt, ut vix menſæ tabulato tanquam ſcuto tecto periculo eriperetur, plurimis ſuorum vulneratis & in vitæ diſcrimen adductis. Vid. *a Wood P. I. p. 302.* Præter ea exiguus Profeſſorum numerus aliis indiget, qui vices ipſorum ſubeant, dum legitime impediuntur, aut facultatem docendi adepti privatis recitationibus ſuppleant id, quod Profeſſorum vires excedit.

§. 387.

Profeſſores non ſunt laboribus obruendi.

Accedit, quod Profeſſores non ſint obruendi laboribus vitæ ſanitatisque conſervationi nocituris, præſertim egregii præ cæteris expetendi. Profeſſorum enim eſt, juvenes ad ſcientiam rerum neceſſariarum & utilium perducere (§. 435. *P. VIII. Jur. nat.*). Sed labor nimius & nimis gravis eſt illicitus, & ſolus moderatus debitus (§. 521. *P. I. Jur nat.*); & ad illicita nulla dari poteſt obligatio (§. 170. *P. I. Philoſ. pract. univ.*). Vti cives alii ſic & Profeſſores in erudienda juventute non onerandi ſunt laboribus nimiis & nimis gravibus (§. 266.). Tales vero ſunt labores vitæ ſanitatisque conſervationi nocentes (§. 516. *ſeqq. P. I. Jur. nat.*). Eapropter Profeſſores non ſunt obruendi laboribus vitæ ſanitatisque conſervationi nocituris.

Profeſſores egregii, & ratione ſcientiæ & doni docendi & fidei, ſunt rari, teſte experientia multorum ſæculorum. Quare ubi dantur, ibi eorum vitæ ſanitatisque conſervatio & optanda, vt quam diutiſſime academiæ proſint, & quibuscunque fieri poteſt modis procuranda eſt adjuvandaque. Quod quoniam recte fieri poteſt, ſi caveatur, ne nimiis laboribus obruantur ſed recreare poſt labores animum & vices corporis

alacri-

alacritatemque animi reparare poſſunt: manifeſtum eſt, præſertim egregiis profeſſoribus non niſi per moderatos imponendos eſſe labores: æque ac ipſis quoque vitandi ſunt labores ſponte ſuſcepti nimii, nimisque graves (§. 519. *P. I. Jur. nat.*).

Non illi tantum ſunt labores, qui manuum opera abſolvuntur, aut in bajulando onere impoſito vel uteunque movendo occupentur; ſed & quæcunque operæ animi corporisque miniſterio indigentes, rerumque corporalium aut incorporalium cauſæ ſuſcipiendæ (§. 512. *P. I. Jur. nat.*). Hinc & illæ operæ, quæ impenduntur vitæ neceſſitati, commoditati, jucunditatique innocuæ, & quæ perficiendæ excolendæque mentis ſuæ & aliorum cauſa ſubeuntur, in cenſum laborum veniunt. Qui ſuo tempore multos docuit regum ſapientiſſimus, jam tum expertus eſt, multum doctrinam ſcriptionem lectionemque defatigare corpus animumque *Cohelet.* XII. 9-12. Idcirco modus eſt ſtatuendus labori etiam erudito hujusmodi, qui vires corporis animique ſalvas relinquat, quique earum finem & menſuram non transcendat, prout Ethica docet (*P. IV.* §. 369. *ſeqq.*) Quia non una eademque eſt omnium natura, ſed alia aliaque omnibus, quod uni nimium eſſet, non ideo & alteri nimium erit. Sed cui plus virium datum eſt, ab eo plus requiretur, & plus præſtandum eſt: & cui minus datum eſt, ab eo quoque minus requiretur. Vnde ne cuiquam nimio labore noceatur, ejusmodi adhibenda eſt laboris menſura, quæ nec infirmæ ſatis naturæ, quippe quam nemo ſibi dare nec ampliare pro lubitu poteſt, valetudini conſervationique obeſſe poſſit. Qui enim plus valet, is ſui memor officii non erit deſidioſus, ſed tanti ſtudioſus laboris, quantum ſibi nec adhuc nocuiſſe expertus, nec facile nocituram eſſe per rationes minime vanas ſed corporis mentisque valetudini conſtanti præſcriptas eſſe novit. Nec labores eruditi ejusdem ſunt generis, difficultatis & defatigationis, quorum itidem ratio eſt habenda. Cæterum quæ de egregiis hic ſtatuimus, eadem quoque valent de mediocribus, qui pariter præſtant deterioribus, juventuti magis nocentibus quam profuturis, vel male ſana ſedulitate.

§. 388.

Quoniam Professores non sunt obruendi nimiis docendi laboribus (§. 387.) & pro ducentis trecentisque haberi solent Professores 12. aut 18. (§. 383. *not.*) qui tamen quingentis pluribusque multo æque sufficiunt (*ibid.*): concludi potest, *numerum Professorum cujusque facultatis metiendum esse ex numero ejusdem studiosorum sufficienti, quorum spes non lubrica datur.* Quot nempe studiosorum dodecades icadesve, simplæ aut duplæ, certo sperantur, tot illis sufficere poterunt Professores (§. 383.). *Unde metiendus sit justus Professorum numerus.*

Solent quoque cuivis militum decuriæ sui præfici decani vel decuriones, quidni igitur, cum & decem Professoribus sui dati sint decani, studiosis quoque denis, duodenis, vel vicenis sui tribuantur Professores? Denorum enim quisque si solvat didactri trimestris loco duos vallenses, quotannis Professori e tali cursu theoretico redibunt 80 vallenses, vel duodecim semunciarum decades, unde panem sumat. Si a meridie alia hora praxin addat theoriæ, totidem nummos aut plures inde poterit adipisci, ut vestimenta sibi parare possit. Neque tamen sic denorum quisque ultra 12 unciales integro anno studiis hisce insumet. Si tertia hora aliæ tractentur disciplinæ, tantumdem didactri daturæ, aliis necessitatibus vitæ consulere valebit. Positis loco denorum quindenis vel vicenis, & augeri didactrum Professoris, & minui simul studiosorum in literas impendium fas erit. Medicorum tantus non solet esse numerus, unde didactrum est ipsis pendendum, & Doctoribus simul Medicinam facere licet, unde reditus lucrentur.

§. 389.

Quando ab initio nondum liquet, quantus futurus sit juvenum academicorum numerus, Professorum quoque numerus statui potest exiguus; progressu temporis pro aucto studiosorum numero augendus. E præmissis principiis academicis liquere potest, pro ducentis trecentisve eruditis, qui in quadem regione honeste aluntur, in- *Non illico ubique æquales requiritur Professorum numerus.*

ſtitui academiam poſſe (§. 374.); inprimis ſi cum academiæ connectatur Gymnaſium, ut partim eo ipſo numerus literis ſtudentium augeatur, partim ſpes numeri certior reddatur (§. 379.); & cæteræ rationes id ſuadeant (§ 386.). Enim vero hæc tantum de illis valent, qui vel imperio vel pacto adſtricti ſunt ad iſtam academiam; neque certo ſciri poteſt, præſentem rerum ſtatum eſſe eundem ſemper manſurum. Multo minus de vicinis, quorum frequentatio academiæ ſperatur, præſciri poteſt, quid illi in poſterum ſint facturi. Quatenus ergo ab initio nondum liquet, quantus futurus ſit conſtans fere ſtudioſorum numerus, eatenus conſultius erit, numerum Profeſſorum exquiſitorum ſtatui paullo minorem, quam eſſe poſſet: cum iidem Profeſſores, qui ſimplo numero ſufficiunt, etiam duplo & triplo pares eſſe poſſint (§. 383.).

Quando progreſſu temporis vel auctus eſt eruditorum honeſte alendorum numerus, vel pactis aliisve modis uſu compertis certior ſtabiliorque numerus academiarum ſperari poteſt: tempus erit, ut Profeſſorum numerus ſtudioſorum numero plerumque vix dubio aptetur (§. 388.), ideoque circiter vicenis aut tricenis pluribusve ſtudioſis unus reſpondeat Profeſſor, ſaltem extraordinarius aut privatus docens. Sic enim vel contra ſpem diminuto interdum fere ad dimidium eorum numero ſalva manere poterit academia (§. *eod.*). Vna quoque cavebitur, ne quisquam Profeſſorum nimio obruatur labore (§. 387.), & commoda numeri academicorum non abundantis provehentur (§. 386.).

Confirmare hæc exemplis juvabit. Oxonii Rex Alfredus circa annum 879. inſtituiſſe fertur Profeſſorem Theologiæ item Grammaticæ & Rhetoricæ, tertium Muſicæ & Arithmeticæ, & quartum Geometriæ & Aſtronomiæ. V. a *Wood Lib. II. p. 30. ſeq.* Gröningæ 1614. academiæ naſcenti non dati fuere niſi 6. Profeſſo-

feſſores, ſinguli ſuperiorum Facultatum, & tres Facultatis quartæ. V. *Benthemii* Holländ. Kirchen- und Schulen-Staat *p. 4. ſeq.* Franequeranæ academiæ primum dati ſunt Profeſſores ſeptem, Theologiæ ſcilicet duo; *ibid. p. 25.* Lugdunenſi unus Theologus, duo JCti, duo Medici, Mathematicus & Philoſophus, itidem 7. *ibid. p. 32.* Trajectinæ tres Theologi, duo JCti, tres Philoſophi. *ibid. p. 38. ſeq.* Harderovicenſi primo unus datus eſt Theologus, duo JCti, Medicus unus, tres Philoſophi. *ibid. p. 47.* Quorum Profeſſorum numerus deinde in iisdem auctus eſt, ut Lugduni Benthemius A. 1686. Theologos 5, JCtos 3, Medicos 4, & Philoſophos 4, reperierit Profeſſores; Vltrajecti Theologos 4, JCtos 3, Medicos 2, Philoſophos & Philologos 5. Franequeræ 1695. Theologos 3, JCtum unicum, Medicos 3, in Hiſtoria, linguis & Philoſophia 7 Profeſſores. 1694. Gröningæ tantum 6., uti ſub inaugurationem; & Harderovici 1695. ne quidem tot, quot fuerant ſub inaugurationem, tribus locis vacantibus illa vice. Edimburgenſi Profeſſor Theologiæ eſt unicus & 7 Philoſophi, & tamen gradus conferuntur.

§. 390.

Quomodo exploranda ſint dona didactica?

Quoniam in academiis Profeſſores, & in ſcholis præceptores non alii conſtituendi ſunt, quam qui ea probe callent, quæ docere debent, dono docendi inſtructi ſunt, omnem in ſua inſtitutione diligentiam fidemque adhibent, ac moribus ſeſe diſcentibus bonisque omnibus commendant (§. 436. P. VIII. *Jur. nat.*): opera danda eſt, ut quinam tales ſint, certum habeatur exploratumque. Id vero melius fieri nequit, quam *teſtimoniis peritorum fide dignis*, præſertim integerrimorum Profeſſorum, qui de his optime judicare valent, item diuturna gaudent & ſtudiorum & morum penitiori cognitione ſuorum auditorum; & *ſpeciminibus omni majoribus exceptione.* Non contemnendum quidem eſt, unius alteriusque teſtimonium privatum, cujus fides non ſit ſubleſta; quia tamen a pluribus in eandem rem intentis plura obſervari, & explorari ab aliis ſolent,

lent, quam uno alterove: eo dignius fide erit teſtimonium, quo plures fide digni in eodem conſentiunt. Vnde collegii teſtimonium aut commendatio dignorum, pluris facienda erit, cæteris paribus, ſive conjunctim illud detur ſive ſeorſum a quolibet, inſcio illo, de quo perhibetur. Si ipſorum intereſt, uti tum præſertim, quum de eligendo illorum collega agitur, jus nominandi plures ipſis recte concedetur, e quibus unus ſit eligendus ab iis, quorum eſt jus eligendi. Specimina vero doctrinæ & parrheſiæ vel publica ſunt, vel privata. Publica habentur in diſputationibus Candidatorum bene impugnatis propugnatisque, cæterisque examinibus & exercitiis, quibus facultas animi ſenſa explicandi, alios docendi, & dignitas academica comparari ſolet, quibus illi, quorum intereſt futuræ optionis cauſa, hæc ſcire, intereſſe poſſunt debentque. Accenſendus his eſt adquiſitus in docendis illis diſciplinis applauſus; & ſi de præceptoris loco agatur, laus privatæ inſtitutionis parta. Denique & in illo caſu quando locus ſeu Præceptoris ſeu Profeſſoris vacat, juberi poſſunt candidati loco ſpeciminis unam alteramve horam diſcipulos ſtudioſosve docere, præſente uno alterove gravi viro, ut & ex horum & illorum approbatione applauſuque revera dignior internoſcatur exactius & præferri eligendo poſſit.

Quatuor requiſita Profeſſorum, quæ exploranda ſunt & attendenda in eorum Electione, eo majoris ſunt momenti, quo difficilius boni Profeſſores reperiuntur; quo majus emolumentum civitati inde ſperandum, ſi illis inſtructi ſint; & quo majus damnum metuendum ſi illis careant. Si enim unus quispiam vel Theologus male docet & vivit, vel JCtus male jus dicit aut prævaricatur, vel Medicus male ſanat ægros, damnum, quod inde oritur, manet in exiguo hominum cœtu, & amoto ipſo cavetur. Sed ſi in academia male & perverſe inſtituantur ſtudioſi, qui alios poſtea regere debent, vel erroribus imbuan-

buantur, vel non ſolide diſcant ſuam artem & ſcientiam, diffundit ſe malum per omnem civitatem. Hinc ne ad academias accedant et properent, niſi bene præparati ad capienda cum majori fructu ſuo & aliorum ſtudia academica. Præceptores in ſcholis conſtituendi ſunt, hisce meritis quantum ſufficit, ornati, nec permittendum, ut rudes & inepti ruant in academias, ſed iis, qui id fecerint, denegetur, ſpes futuræ in patria fortunæ. Multo magis vero academiis non adhibendi ſunt Profeſſores viliori honorario adquieturi, ſed qui inter candidatos ſolida rerum docendarum cognitione & ſcientia, ſuada & dono docendi, diligentia indefeſſa, & virtutibus quibuscunque reliquos antecellunt, ut merito excellentiſſimi cluant, & pares ſint aliis ad ſimilem præſtantiam evehendis. Equidem omnium ſuarum virtutum præſtantia raro conjuncta datur. Præſtat tamen ſemper præferri eos, quorum virtus & jam eminet, & meliora ac plura promittit, quam aliorum. Neque extra ordinem docentes ferendi, qui manifeſto corrumpunt auditores, vel iis conferendæ ſpartæ, qui applauſu deſtituti ſalario ſublevandi dicuntur ex miſericordia. Variis academiis jus eſt nominandi quosdam, quos dignos cenſent vacante profeſſoris loco, ut ex illis electoribus optio detur. In quibusdam Electio fuit ſtudioſorum ejus facultatis, cujus locus vacat, aut & omnium ſtudioſorum, eo forte more, quo auditores in templis ſuffragia illis dare ſolent, quos optant doctores & oratores ſacros. Sed diſſenſiones & tumultus juvenum v. c. Patavinorum inde enati fecere, ut hoc pæne ubique mutandum fuerit. Si *Middendorpius* vera narrat *P. II. p. 432.* oportet, ut Salmanticæ inſignia doctorum acceperint, qui ibi docere debent. Vacante Cathedra, edictum proponitur a Rectore, quo & ſtudioſi illius facultatis & ambientes ſpartam convocantur ſtato tempore. Rector ſortito aliquod promit argumentum ex rebus ad illam facultatem pertinentibus, quod qui prior acceſſit, publice proponit. Sequentibus diebus reliqui eodem parto docere jubentur. Quibus ita peractis, diſcipuli ſecreto ſuffragia ferunt, & cui plura obtigerint, is creatur Profeſſor. Plerumque vel ſolis Profeſſoribus, aut docen-

tibus quibusvis, aut aliis ſuperioribus, uti Cancellario, Regi &c. electio reſervat. Inprimis, ubi Rector magnificentiſſimus habetur, recte conſulitur academiæ ſi academiæ Profeſſoribus vel ſit jus nominandi eos, quos loco vacante dignos cenſent, aut injungatur, ut pro conſcientiæ religione inprimis Profeſſores, quorum Collega creandus, tum & cæteri indicent, quinam ex competentibus cæteris ſint digniores. Quoniam dignitates academicæ pariter privatam docendi facultatem impertiuntur, cautione & in illa tribuenda eſt opus. Quare in illis academiis, ubi unius facultatis non eſt niſi unicus Profeſſor ordinarius, illius teſtimonio fides habenda erit a Cancellario; vel ſi qui ſunt extraordinarii, aut ex alia facultate, qui Candidatum penitius norunt, illorum quoque teſtimonium erit requirendum, ſi ipſe Cancellarius intereſſe examini & ſpeciminibus non poteſt, nec vicario ea in re eſt uſus digniſſimo fide: Patavii (ſunt verba *Middendorpii P. II. p. 69.*) ex more idem Doctor laurea inſigniendos præſentat & promovet. Nec jurare coguntur doctores, quod per ipſos ad lauream præſentandi ſunt digni. Gradus Baccalaurei Salmanticæ a quolibet Profeſſore conferri poteſt. Vid. *Middendorp. P. II. p. 432.*

§. 391.

Quamdiu profeſſio duret?

Eligi Profeſſores plerumque ſolent ſimpliciter, alii tamen reſtricte ad tempus pacto definitum. Horum functio ſtatuto tempore elapſo finitur; niſi pactum mutuo conſenſu renovetur, ſeu iterum in idem tempus, ſeu in diverſum, prout complacuit. *Illorum functio durat dum vivunt; aut ad lautiora & præſtantiora munia evocantur & promoventur; aut juſta de cauſa removentur* (§ 915. *ſeq. P. VIII. Jur. nat.*), *aut ipſi ſe abdicant.* Si ab extraneis ad lautiorem ſpartam expetuntur & evocantur antequam ipſorum pactum exſpiravit; utique iis, quibus obligantur, exponendæ ſunt conditiones oblatæ, & vel dimiſſio, ut par eſt, petenda; vel ſi ſperari indemnitas poteſt, aut aliæ rationes id requirunt, ipſis permittendum eſt dimiſſionis dandæ aut negandæ arbitrium

trium (§. 914. *ibid.*). Si ſimpliciter electi ſunt, eodemque diligenter functi, eis debetur minerval etiamſi ob morbum diuturniorem vel ſenium eidem vacare nequeunt; licet, qui ipſorum vicibus fungatur, illis ſit adjungendus (§. 919. *ibid.*). Si multorum (v. g. 20) annorum ſpatio bene defuncti ſunt ſua profeſſione, uti poterunt *privilegio vacationis* & ſucceſſus ſalvo priori ſuo honorario, ubi id conceditur; aut viribus ſuppetentibus pergere in docendo, donec valent.

Electio ſcilicet eſt pactum, quo e pluribus, qui haberi poſſunt aut ambiunt ſpartam, unus cæteris præfertur, prout convenire de conditionibus potuerunt. Quandoque eligentes ſponte alieno offerunt ſpartam, quam credunt, illum eſſe accepturum, neſcii an cum eo de conditionibus hujus locationis & conductionis ipſis ſit conventurum, nec ne. Quare cum pactis ſtandum ſit (§. 789. *P. III. Jur. nat.*): oportet & illa ſervare, quæ de Electione convenerunt, ſeu expreſſe, ſeu tacite conſuetudine olim ſtabilita. Ob liberalium vero artium & ſcientiarum indolem, earum quoque Profeſſores liberaliter ſunt tractandi, ne pacto iſto ultra id obligati cenſeantur, quod quilibet ingenuus ſi eodem loco eſſet, ſibi fieri cuperet. Multo minus igitur mancipiorum inſtar detinendi prohibendique ſunt & privandi immerentes meliori fortuna, quam Dei providentia ipſis præparavit, quod ſine invidia atque iniquitate fieri non poſſet. Pragæ & Salmanticæ qui per 20. annos docuere ipſo jure illuſtres fiunt. V. *Middendorpius P. II. p. 185. & 425.*, eodem ſtipendio hic fruentes, quo ante, cum immunitate a legendo. *p. 430. ibid.* Salmanticæ præter viginti perpetuos habentur 27. pluresve Profeſſores, qui in quadriennium conducuntur, tres Theologi, qui Thomam, Scotum & Durandum interpretantur; 4. Juris Canonici, Clementinas, extravagantes & decretales inculcantes; civilis Juris 6., quorum bini digeſta, codicem & inſtitutiones explicant; 4. Philologi linguas hebræam, chaldæam, arabicam & græcam docentes, 7. qui Grammaticam, rhetoricam, matheſin, muſicam & Philoſophiæ rationalis, naturalis & moralis ſcientiam

tra-

tradunt, denique supereſt copia Grammaticæ vel ſtili latini Profeſſorum teſte *Middendorpio P. II. p. 431.* Petropolin evocantur hodieque Profeſſores in quinquennium, quo finito prorogari plerumque pactum ſolet in aliud quinquennium, item poſtea in tertium, quartum &c.

§. 392

Indemnitas Profeſſoribus præſtanda.

Quoniam Profeſſorum eſt, juvenes ſcientia imbuere rerum neceſſariarum & utilium publicæ ſalutis cauſa (§. 435.), idque ſine neglectu officiorum erga ſe ſuosque fieri nequit, quando ipſis plurimum temporis his laboribus tribuendum eſt: *Juſtitia poſtulat, ut indemnes præſtentur gerendæ profeſſionis cauſa* (§. 268. & 321. *P. IV. Jur. nat.*). Enim vero quia indemnes non forent, niſi quantum ex alio vitæ genere, cui æque pares eſſent, inde conſequerentur; ita ſunt indemnes præſtandi, ut tantumdem emolumenti inde ad ipſos redeat, quantum ex alio vitæ genere, cui ſe conſecrare poſſent, ſperare queant, vel quantum alii ex eo percipere ſolent (§. 566. *P. I. Polit.*). Ea, quæ homines conſequi in civitate & quærere ſolent ſunt bona externa, quæ & fortunæ bona dici conſueverunt. Seposita amicitia & ſocietate, qua civitas nititur (§. 4. *P. VIII. Jur. nat.*), & quæ ſigillatim virtute paratur, reſtant opes & honores, vel ſi hoc mavis reditus & dignitates civiles. Quoniam reditus conſiſtunt in rebus utendis fruendisque ideoque nobis debitis; dignitates vero civiles in titulis & præcellentia tribuenda (§. 765. & 785. *ibid.*): *ad indemnitatem Profeſſoribus præſtandam pertinent reditus ipſis concedendi*, quantos ſuis virtutibus in alio vitæ genere mererentur, merenturque alii nihilo ipſis meliores, *item honores civiles, tituli & dignitates meritis pares.*

Inter nos dignitates liberariæ exiguo habentur loco, & rarius Profeſſores nobilitantur. Inter Sinenſes omnis nobilitas ſcientiis comparatur & artibus, & cum hæ non ſint hæreditariæ, nec illa talis cenſetur.

§. 393.

§. 393.

Quemadmodum generatim salaria ita sunt constituenda, ut iisdem sustentari possint, qui officiis publicis funguntur (§. 907. *P. VIII. Jur. nat.*): ita, cum *minervalia* dicuntur salaria vel honoraria Professorum, hæc quoque ita instituenda sunt, ne præstantiora ingenia ab iis abhorreant, *ut non tantum indemnes præstentur* (§. 213. *seqq.*), *sed & respondeant gradui scientiæ & celebritati eorum* (§. 226.), *& familiæ honeste alendæ* (§. 270. *seq.*), si omne tempus doctrinæ est tribuendum (§. 392.). Præterea quia curandum est, ut quilibet recte agens pro sorte sua & meritis æque fortunas augere suosque fortunare possit, ac alius quisquam & ipsemet in alio vitæ genere (§. 566. *P. I. Polit.*): curandum quoque est, ut omnibus, & iis quoque innotescat, qui ex fortunis vitæ genera metiri solent, quantum civitas pretium statuat præstantia ingenii & studiorum excellentibus viris, ideoque & fortunæ eorum augendæ faveat (§. 614. *seqq.* & 645. *seqq. P. I. Jur. nat.*). *Minervalia Professorum ubi instituenda?*

Quia privilegia & immunitates ratione veri commodi, quod inde nascitur, in partem salarii imputantur (§. 906. *P. VIII. Jur. nat.*): Præceptorum quoque et Professorum *privilegia immunitatesque minervali ipsorum recte imputantur,* modo stato æstimentur pretio, si quod habent, æquove. *Idem tenendum est de reditibus accessoriis licitis*, pro operis privatis vulgo accidentibus, quatenus stati sunt, nec fallacem recipiunt æstimationem, (§. 910. *ibid.*). Hujusmodi sunt in academiis numi pro examine & receptione in album & privilegia studiosorum; mulctæ solvendæ; honoraria pro gradibus academicis adipiscendis, & pro aliis testimoniis academicis; pro libris editis; pro responsis facultatum; pro privata institutione didactra. Vbicunque successu temporis valor pecuniæ multum decrevit, & pretia rerum valde sunt aucta; ibi *minervalia pro pretiorum incremento*

ſunt augenda (§. 908. *ibid.*), ut iterum ſcopo æque ſufficiant ac antea, & ut debito naturali pactoque ſatisfiat (§. 907. *ibid.*).

Neque enim juſte imminui poſſunt, niſi vel in pœnam promeritam, vel ex ſumma neceſſitate uſu dominii eminentis (§. 903. *ibid.*), quod reſtitutionem damni futuram includit (§. 119. *ibid.*). *Si priſtina minervalia* ob mutatam rerum faciem quacunque de cauſa *jam non ſufficiant, tuendæ dignitati debitæ;* pariter ac ob mutata rerum pretia, vel quando ſemper juſtis minora fuere, minervalia *augenda eſſe liquet*, alioqui deducitur ſtudium veritatum virtutumque in contemtum, propter quem cives ab eo redduntur alieni; quod nefas (§. 426. *ſeq. ibid.*).

De Bononia narrat *Middendorpius P. II. p. 11.* tam benevolum ibi eſſe civium in ſtudioſos animum, ut S. P. Q. B. quadraginta propemodum coronatorum millia ſingulis annis in ſuos Profeſſores exponat. Reditus 30. millium aureorum Salmanticenſi academiæ eſſe, quorum pars tertia = 10000. aureis profeſſoribus cathedrariis 20., altera pars tertia cedat illis pluribus, qui in quadriennium conducuntur. Vid. *ibidem p. 429.* Vix fidem mereatur *Alciatus*, qui in oratione ad Ticinenſes gloriatur, quod Biturigibus 12000. Coronatos annuo ſpatio acceperit. Fr. *Duarenus* ſcripſit, ſibi decretum eſſe ibidem ex ærario publico ſtipendium annuum ad vicena millia ſeſtertiorum nummum, præter illam pecuniam, quæ ibi ex ſolennibus conferendorum graduum haud parva conficitur. Tum enim ait, ex ultimis Europæ finibus nobiliſſimos quosque juvenes celebritate Gymnaſii excitos, eo tanquam ad civilis ſapientiæ mercaturam confluxiſſe. *ibid. p. 386.* Id non infrequens dici poteſt, unicum celebrem Profeſſorem mille unciales, aureosque & eo amplius annui honorarii loco accepiſſe. Neque mirum videri debet, ſi conſideretur, quod alii multo minori ingenio ſtipendia mereant multo his majora. Alibi vero minervalia & quidem ut plurimum adeo ſunt exilia, ut ne quidem victum unius perſonæ, multo minus familiæ ſuppeditent; ut ſcholarum inferiorum munia

præ-

præoptentur. Sunt, qui putant, minervalia quo ſunt minora, eo magis incitari diligentiam, ne fame ſit pereundum. Sed inde quoque evileſcunt & ſtudia & eorum cultores, ut mendicis fere æquiparentur, quorum virtus deberet quantivis fieri. Tum parentes tum juvenes abhorrent a mendicitate laborioſiſſima & alia ſectari malunt, unde honeſtius ali poſſint & locupletari, & quodam in numero haberi. Præterea ſolutio eorum ita connecti cum diligentia poteſt, ut negligentes eis excidant.

§. 394.

Minervalia Profeſſorum apte ſtatui poſſunt ex iis, quæ a ſtudioſis ibi conſumuntur, eorumque partem decimam exhaurire. Quæ enim a ſtudioſis ibi conſumuntur, ea non exportantur. Si exportata eſſent, tantum damni civitas incurriſſet, quantum extera academia inde hauſiſſet lucri (§. 373.). Dum ergo manent in civitate, quæ academia gaudet, hæc in illius lucro ſunt ponenda. Aequum vero eſt, ut, qui illius lucri percipiendi primarii autores ſunt, inſignem ejus capiant partem. Hi vero ſunt Profeſſores, a quorum ære ſtudioſi pendent, hauriuntque ſapientiam (§. 435. *P. VIII. Jur. nat.*). Decima pars demta relinquit partes novem aliis, qui tantum victum, amictum, ſimiliaque externa commoda procurant. Vnde hanc lucri partem illorum honorario tribui, iniquum dici nequit (§. 393.). Poſito conſtante circiter ſtudioſorum numero, lucrum illud eſt perpetuum, æque ac honorarium Profeſſorum. Diminuto vero numero, minui quoque numerus Profeſſorem poteſt, ſpe redintegrationis decollante.

Vnde proportio minervalis haberi poſſit?

Ponamus trecentos ſtudioſos in academia conſumere quovis anno 60. vallenſium millia. Horum pars decima faciet ſex vallenſium millia, quæ ſufficient Profeſſorum minervali, ſi bene diſtribuantur. Sint enim octo Profeſſores ordinarii & totidem extraordinarii. Cedant cuilibet ordinario 550. vallenſes, ita ut quinque ſint inferiorum & tres ſuperiorum facultatum. Conficiet hæc ſumma 4400. Extraordinem ſint ſex, duo ſcilicet,

cuilibet ſuperiori facultati adjuncti, quia hi aliis functionibus ſatis lucrari poſſunt, ut ſufficiat, ſi in practicis, quæ quotidie exercent præceptis & exemplo egregio Collegis ſubvenire & academicos manuducere ad praxin poſſint. Cuique eorum pro publica praxis explicatione dentur centum vallenſes. Philoſophis adjungantur 4 extraordinarii, pari honorario gaudentes, aut quando parum aliunde adquirere poſſunt duplo. Ita reſtabunt e 6000 tantum 200, in famulorum publicorum aliosque communes uſus eorundem. Si 3 millia eſſent ſtudioſorum, conſumerentur 600000, ſaltem ejus dimidium e parte decima 60000 illa Salmanticæ 30000 aureorum vel uncialium circiter prodirent. Sed de tanto numero & ſumma dicta ſuo quisque ſenſu abundet.

§. 395.

Modi Profeſſorum ſtudioſorumque diligentiam provocandi.

Incitandi ſunt Profeſſores ad diligentiam in partibus ſuis ex legum præſcripto obeundis accurata promtaque minervalium ſolutione; obligandique ſtudioſi, ne impunis ſit negligentia. Minervalia ſunt Profeſſorum honoraria (§. 393.), quæ & indemnes præſtare debent illos, & ſuſtentationi ipſorum decoræ, & familiæ alendæ inſervire (*ibid.*). Prænumerari autem non ſolent, ſed ut ipſa eorum ſpes incitet ad diligentiam, differtur earum ſolutio; donec per receptum tempus, v. g. trimeſtre ſpatium, diligentia ſit comprobata. Quando ergo Profeſſores ſtatuto pacto, aut uſu, tacitum pactum continente, tempore recte functi ſunt ſuis partibus, ex pacto ipſis debetur ſolutio trimeſtris honorarii. Quæ ideo actutum præſtanda eſt, ut & ipſi accurate continuare ſuam diligentiam animentur (§. 902. *P. VIII. Jur. nat.*). Si vero non ſolvitur accurate præmium promeritum, violatur pactum publicum, ipſisque datur occaſio, viciſſim ſuam fidem non liberandi (§. 827. *P. III. Jur. nat.*). Quo ipſo non poteſt non publicæ rei inſtitutionique juventutis male conſuli, & academiæ finis utilitasque peſſumdari.

Quo-

Quoniam Professorum doctrina erudire debet studiosos (§. 436. *P. VIII. Jur. nat.*), idque fieri nequit, nisi doctrina a studiosis & audiatur & in succum sanguinemque vertatur: propria quidem cura felicitatis, convictio de suo officio, & parentum jussa, per se obligare studiosos ad continentem assiduitatem deberent. Sed depravatio naturæ, juvenilis affectuum impetus, & dissolutorum exempla facile ad abusum libertatis declinat. Inde opus est quadam obligatione idonea ad cavendum tum publicam, tum privatam desidiam negligentiamque. Hæc vero extrinsecus nisi duobus modis haberi nequit, scilicet præmiis diligentiæ, & negligentiæ pœnis. Idcirco diligentibus debetur laus, benevolentia in ipsorum felicitate augenda, & beneficentia in tribuendis ipsis, quibus indigent, beneficiis. Negligentes e contrario non tantum vituperandi objurgandique sunt, uti merentur, sed & deneganda ipsis sunt, quæ male ponunt, beneficia. Quæ si ipsos nondum emendant, pœnæ quoque promeritæ ipsis sunt irrogandæ, quæ plurimum valituræ videntur ad ipsorum correctionem, carcer, mulcta, exclusio a privilegiis, denegatio admissionis ad altiora, item testimonii, aut gradus expetiti denuntiatio pigritiæ parentibus tandemque regi facta, si mitiora nil profecerint.

Vt eo promtior sit solutio, ipsismet tradi potest, vel sors ita elocanda, ut ex usuris salaria habeantur, uti Regiomontanis Professoribus sors numerata est, e cujus usuris semissibus recipiant ratas suas, teste *Arnoldo P. I. p. 90.* vel terrarum & prædiorum proventus administrandus; uti Lipsiensi aliisque academiis suæ sunt ditiones, unde reditus percipiunt. Vid. *Schneideri p. 275.* ubi duo principum collegia cum suis reditibus & zythopolio, majus quidem 12, minus octo magistris, assignantur; p. 287. eidem assignantur pagi 3, & p. 294. alii 5 cum suis proventibus, quibus accessit collegium Paulinum cum variis ædibus adjectis, sylva, collegium B. Virginis, reliqua. Regiomontanæ academiæ

antea data erat præfectura Fischhausensis. Vid. D. *Arnold. ibid. p. 87. seq.*

Oxonii obligantur studiosi ad comitandum Professorem dum ingreditur in auditorium, & dum ex eodem rursus egreditur, & præter necessitatem absens quisque, pro quavis hora mulctam luit, secundum *Benthemium l. c. p. 342.* Salmanticæ ut alumni bonis literis naviter incumberent, A. 1492 statutum est, ut nemo illius privilegiis gaudere possit, nisi qui primum studiorum stadium, duas saltem quotidie prælectiones audiendo absolvisset, & sic re potius, quam nomine studere intelligeretur. *Middendorp. P. II. p. 425.* Discunt sic æstimare & mereri privilegia immunitatesque academiarum, si illis denegantur, qui studiosi quidem dici, sed esse nolunt. Suo enim damno facile experiuntur, quid sit illud, si securitate academica destituuntur, si injuriis quorumvis, si insidiis militum expositi sunt, & asylo refugioque carent, si nec Professorum tutelam, nec commilitonum auxilium præstolari possunt, sed nihili fiunt, omnibusque ludibrium debent, aut prorsus in miserum detruduntur statum prout meruere. Si repetuntur ea, quæ supra de privilegiis studiosorum dicta sunt, multo plura mala eos sequi intelligitur.

§. 396.

Alia Professorum ad diligentiam obligatio.

Vti Professorum est, omnem in docendo diligentiam adhibere (§. 436. *P. VIII. Jur. nat.*), ideoque curandum est, ut Professores in academiis, & Præceptores in scholis munere suo rite fungantur (§. 437. *ibid.*); ita cum incitandi sint Professores ad diligentiam (§. 395.), interdum ne remittat, impedimenta illius sunt tollenda, & aliqua *opus est inspectione & obligatione eorum, quæ sufficere huc intelligatur.* Scilicet pro privatis recitationibus didactrum solvunt auditores, qui id non solvent, nisi debitam experiantur diligentiam. Ad has ergo non alia opus est obligatione, quam jactura didactri, quod vel diligentibus admodum citius denegatur, quam solvitur pigris. Si quando id prænumeratum esset; aut in jus vocatus vix citra

tra ignominiam reddere compelletur indebite ſolutum; aut perpetuo fere alienos a ſe reddet auditores, ſi non ſit ſolvendo.

Publicæ penſantur ſalario (§. 266.), quare metus excidendi ejus fructu, & fides publice data plerumque ſufficient ad hanc obligationem. Quia animi generoſi etiam gloria recte factorum & honore ducuntur, quo ab aliis diſcernantur: obligatio augeri poteſt ſpe adſcenſionis ad majores honores fructusque, item inſigni quodam meritorum decore, cujusmodi ſunt inſignia ordinum nobiliorum, v. c. ſtella argentea, pro majori meritorum academicorum gradu, aurea, & pro ſummo gradu gemmis diſtincta. Intermedii gradus magnitudine & pondere, item ornatu ſtellæ majori indicari poſſunt. Quæ cum magno ſtare nequeat pretio, multum tamen ad academiarum commoda & virtutum incitamenta in iisdem conferre posſent, ſi non niſi merentibus ſponte darentur, nec ullo auro comparari, ullove favore emendicari poſſent, ſed per judices callentiſſimos pro gradibus virtutum decernerentur. Si tamen largiori honorario fruantur profeſſores, obligari quoque posſunt, ut quoties legitimi impedimenti ratio id permittit, vicario legitimo ſuas tradant partes obeundas, haud ſecus fere ac in ſacerdotii functionibus id receptum eſt. Neglectum vero horarum ipſi auditores, inprimis alumni nuntiare illi obſtringi debent, cui illa inſpectio eſt demandata. Improviſa viſitatio prælectionis, & reddenda ratio propoſitorum itidem intendit induſtriam & ſoliditatem. Reliqua docebunt examina publica ſpeciminaque.

Salmanticæ Rectoris eſt, ut curet, integram horam a cathedraticis profeſſoribus prælegi, quorum ſingulos ideo ſingulis tribus menſibus inviſit, hique ni præſtent quod debent, multantur, teſte *Middendorpio P. II. p. 431.* Oxonii Profeſſores obligantur, dum legitime impediuntur, conſenſu Procancellarii

ſuas

ſuas alii vices delegare. Vid. *Benthemii* Engell. Kirch-und Schullen-Staat *p. 342.* Vbi vero exiguo honorario gaudent Profeſſores, ibi ſic adſtricti eſſe nequeunt. Sufficit ergo ſi æquitatis ratione habita, tantum ſupina coërceatur negligentia, verbis, minis, aut mulcta æqua, aut illis nihil proficientibus, remotione (§. 915. *P. VIII. Jur. nat.*). Præterea condonandum eſt, quod parum cavere valet natura.

§. 397.

Vti virtutes ſtudioſorum ſint perficiendæ?

Præter diligentiam probi quoque mores excolendi, virtutesque morales ſtudioſorum in academiis ſcholisque ſunt perficiendæ (§. 395. *ſeq.* & 436. *P. VIII. Jur. nat.*). Quam obrem ut jure *ſeminaria* dici poſſint *reip.* in quibus rite educantur cives futuri in quovis vitæ genere, non magis curandum eſt, ut præceptores profeſſoresque ſint habiles ad docendum (§. 390.) diligentesque in obeundo munere ſuo (§. 394), quam ut, propter magnam exemplorum vim in moribus formandis (§. 281. *ſeqq. P. II. Phil. pract. univ.*), præceptores profeſſoresque bonum exemplum auditoribus & diſcipulis ſuis præbeant in omni genere virtutum. Proinde *in eligendis formatoribus juventutis* magna quoque ſolicitudine *ſcrutandi ſunt eorum mores*, uti (§. 390. & 396.), ne eorum pravitate juventus plus corrumpatur, quam in literis erudiatur. Quare nec impunis eſſe debet degeneratio eorum, qui antea rectius aut tectius tantum ſe geſſerant; ſed ſi mitioribus modis corrigi nolint a ſparta ſua erunt removendi. Præterea *cavendum* quoque *eſt diligentiſſime, ne aliunde irrepat morum perverſitas & malitia invaleſcat.* Abſtinendi ergo ſunt a pravo conſortio cum aliorum hominum tum & ipſorum ſtudioſorum perditorum. Quem in finem & convincendi ſunt de vitiorum turpitudine, pœnaque Dei non effugienda unquam, ſi vel humana interdum eludatur; & adjungendi ſunt conſortio bonorum quorumque. Quando id conſultum eſt ac

ac fieri commode poteſt; ſubjungendi ſunt comilitonibus ephoris perpetuisque contubernalibus & veluti tutoribus, parentum vicariis, donec ſatis confirmati in virtutibus & ſe ipſos regere, & aliis præeſſe poſſint. Quæ uti parentum cura providenda ſint, dictum eſt, in œconomiis; cui hic accedere debet autoritas publica, illud parentum officium & exigens, ubi opus (§. 431. *P. VIII. Jur. nat.*), & adjuvans, ſublevans, conſummansque (§. 429. *ibid.*).

De Salmanticenſi Academia refert *Middendorpius P. II. p. 435.* ibi magiſtrum Scholæ, quem dicunt Procancellarium, diligentiſſime attendere, ut ſi quem pronum in vitia, vel in turpes jocos, aut in ludos taxillorum aut chartarum eſſe compererit, hunc primum objurget; ſin pergat, in cuſtodiam conjiciat, in qua diu detento maxime profuiſſe hanc pœnam re ipſa comprobatum eſt. Præterea ſtudioſi ibi in collegiis, velut in ſtudioſorum cœnobiis degunt, communi utuntur convictu, ſuoque rectori quisque obedit. Eadem inſtituta tenent academiæ anglorum, ut alias commemorare nihil attinere videatur. Sunt ibi ſingulis ſtudioſorum cœnobiis ſui non tantum præfecti, ſed & ſocii vel tutores ſingulorum adoleſcentum juvenumque, quorum regimini privato ſubſunt, donec ipſi gradu ſeu facultate alios docendi regendique ſint donati. Tutor enim & ipſo gradu pollet ob eruditionem probitatemque, & ſi degeneravit, officio tutoris a procancellario exuitur, poſtquam mulctæ fruſtra præceſſere. Neque quisquam ſtudioſorum ex uno cœnobio vel ejectus ob maleficia, vel ſponte abiens in aliud recipitur ſine teſtimonio illius præfecti. Vid. *Benthem. l. c. p. 338.* Sapiunt illa ritum & morem monaſteriorum. Quantum vero proficiant, & an externæ diſciplinæ ſat agentes interiorem virtutis cultum æque capeſſant, meum non eſt indagare. Si hoc ſimul curetur & quidem potiſſimum, externa illa adjumenta laude ſua non erunt defraudanda. Neque multum diſſonat id inſtitutum a parentum officio, domi ſuæ obſervando, ubi liberorum mores ſimiliter fingere, & intendere omnibus liberis debent, ne a

quoquam corrumpantur, donec per ſe ſibi cavere atque proſpicere didicerint. Vbique tamen infirmitatis humanæ & ætatis juvenilis ratio habenda curare jubet, ne quid nimis.

§. 398.

Vti eorum inopia ſublevanda, qui id merentur.

Cum curandum ſit in civitate, ut liberi abſque ſumtu parentibus oneroſo in iis inſtituantur, quorum notitia ipſis eſt neceſſaria utilisque, & ne negligantur illi, quorum parentes ſumtus neceſſarios ſuppeditare nequeunt (§. 429. *P. VIII. Jur. nat.*); cum inprimis illi, qui ad certum vitæ genus aptiores ſunt reliquis, adjuvandi ſint omni modo, ut idem ſequi, & præclari quidpiam in eo præſtare poſſint, parum apti vero ab eodem arcendi (§. 428. *ibid.*): *Opera quoque danda eſt* in ſcholis academiisque publica autoritate, *ne parum apti ad literas*, niſi rationes ſingulares id ſuadeant ipſorummet tantum aliquatenus excolendorum cauſa, *admittantur*, *vel* admiſſi degenerantes *in iisdem retineantur*; ideoque hi tantum, quorum explorati ſubinde profectus moresque bene ſperare ipſis jubent, verorum ſtudioſorum loco habeantur; ſed cæteri, vel inter vulgus academicum aut literatum ponantur, vel & ab hoc tanquam pecus ſcabioſum aut inutile arceantur atque ad aliud vitæ genus, cui aptiores ſunt, trahantur (§. 315.). Neque minus opera danda eſt, *ut inopes id merentes alumni fiant ſeu publici ſeu privati*, ideoque hoſpitio convictuque gratuito utantur, ad eo majorem diligentiam & virtutem obligandi; vel ſtipendiis privatorum, legatis ad pauperum dignorum ſtudia ſublevanda, nec niſi indignos collatis, alantur pariter ac erudiantur (§. 381.). Quod ſi experti ſunt, *gratæ mentis officiis ſatisfacere ſtudebunt*, uti par eſt (§. 454. ſeqq. *P. V. Ethic.*).

Quando antiqua pia legata non ſufficiunt, ſubinde novis ſunt augenda, ut omne ſtudiorum genus in civitate promoveatur nec inopia ſiſtatur. Oxonii & Cantabrigiæ partim regiis, partim

Epi-

Epiſcoporum, Magnatum, & locupletum virorum viduarumque ſumtibus & legatis non tantum conſtructa ſunt ſplendida collegia Saxea, ſed & ſic dotata, ut utrobique ultra mille eruditos, partim gradibus ornatos, Præfecti ſocios, partim ſtudioſos honeſte ſuſtentent ac omni apparatu commoditatis recreent. Præter quos plures duobus millibus, duplo major numerus eorum, qui ſuis ſumtibus literas colunt, iisdem utuntur cœnobiorum commoditatibus opportunitatibusque, omnique coquorum, & ſervientium genere, ad fidem & diligentiam adſtricto, una cum gratuitis gaudent. Neque hoc tantum, ſed adſunt quoque legata, in eum finem deſtinata, ut quorum neceſſitas mutuam poſtulat pecuniam, ea ſine uſuris haberi poſſit ex iſtis veluti ærariis ſtudioſorum, modo ſecuritati ſortis & redditionis ſatis caveant. Nec datur fere Academia veri nominis, in qua non eſſent alumni, partim publici, qui a fiſco regio, aut ærario loci publico, vel ordinibus civitatis aut omnibus, aut quibusdam, ſuſtentantur, foventur, erudiuntur; partim privati, qui ex legatis privatorum ſeu benefactorum donis habent, unde in academiis ſubſiſtant, ſtudiaque abſolvant. Multis quoque gratuitus datur ad recitationes privatas aditus, ut beneficio Profesſorum privatim quoque gratis doceantur, quas diſcere cupiunt diſciplinas.

Aequum eſt, ut qui publico ære ſtudia academica tractare & abſolvere potuere, grati ſint erga remp. eidemque ſuas operas, ſi illis indiget, præ cæteris conſecrare ſtudeant; neque tamen ideo deteriori conditionis eſſe cogantur, ſed pari fere conditione gaudeant, ac alibi, quorſum expetuntur, gaudere poſſent. Multo minus igitur ex meliori conditione, qua potiti ſunt, antequam ipſis egeret ſua civitas, aut academia, qua ſunt enutriti, evocandi ſunt ad deteriorem ſuisque eruditionis dotibus & copiis indignum. Si vel pacto adſtricti eſſent ad ſequendum benefactorum vocationem, ſubaudiendum tamen eſſet, æquam, neque præſenti conſtantique eorum ſorte multo deteriorem. Nemini enim officium ſuum eſſe debet damnoſum. Eſt quoque pietatis eorum, qui vel privatis ſtipendiis educati ſunt atque eruditi,

ut gratæ mentis memores ſint erga ſuos benefactores & beneficiorum adminiſtratores, & vel ipſi, quando poſſunt, piæ cauſæ refundant accepta cum quodam fœnore; vel aliorum beneficentia augere pia legata ſtudeant.

§. 399.

Procuranda in academiis cætera ſtudiorum adjumenta.

Procuranda quoque ſunt in academiis liberalitate ſeu publica ſeu privata, reliqua ſtudiorum academicorum adjumenta genuina. Rectori enim civitatis providendum eſt, ne deſit rerum ad vitæ neceſſitatem, commoditatem jucunditatemque facientium copia ſingulis ſufficiens officio ſuo ſatisfacturis (§. 420. *P. VIII. Jur. nat.*). Quocirca eadem una in academiis quoque ob oculos habenda. Sed in ejusmodi rerum cenſum utique veniunt quævis genuina ſtudiorum academicorum ſubſidia & adjumenta. Quæ cum magnis indigeant ſumtibus, æque ac ædificia alia academica (§. 320.), liberalitate vel publica vel privata erunt procuranda. Hujusmodi vero adjumenta ſunt 1) Bibliothecæ publicæ, in ſtudioſorum uſus ita patentes, ne detrimentum ex eorum culpa vel dolo patiantur. Ad has non libri tantum requiruntur ex omni ſcientiarum & artium genere præſtantiores carioresque, ſed quoque armaria, ædificia apta, & alendi Bibliothecarii 2) Muſea ſiſtentia rerum naturalium artificialiumque rariora & cognitu digniora, non ſine ingenti ſumtu comparanda, ut exemplari earum cognitione imbuantur, qui ea egent eruditi. Huc etiam pertinent numophylacia, & antiquitatis monumenta inſigniora, uti Oxonii marmora Arundeliana &c. 3) horti medici vel botanici, res vegetabiles, quæ ſponte circa academias non naſcuntur, nec in hortis privatorum coluntur, & tamen ob vires & uſus inſignes cognoſci exactius merentur, in ſtatu vivo exhibentes. 4) theatra anatomica, ubi diſſectio corporum humanorum, vita functorum, vivorumque brutorum inſtitui cum plurimorum fructu poſſit.

5)

5) Laboratoria chemica. Palæſtram, Amphitheatrum ſcenicum, orcheſtram ſaltandi magiſtrorum, circum equitatorium, xyſtos, porticus & ſimilia prætermitto, quæ in abuſu ſtudiorum ſunt impedimenta, & vel in recto uſu aliorum potius habituum, quam ſtudiorum adjumenta dici merentur.

Quando genuina hic dico ſtudiorum adjumenta, ſpuria illa removeo, quæ olim invaluerant, Nugas puto initiatorias & pennalismum, & quæ ſunt alia generis ejusdem. Initiationem academicam ſunt qui in Athenienſi Academia uſitatam perhibent, ερεσχελιαν ipſis dictam, excuſantque quidquid ineptiarum ſcholaſticæ illi exagitationi (vulgo depoſitioni) intervenit, more aliorum rituum circa novitios equites, mercatores, artifices opificesque initiandos. Sic olim *Gregor. Nazianzenus in Baſilii ratione funebri* loquitur: inſano quodam erga ſophiſtas ſtudio athenis tenentur quam plurimi & politiſſimi adoleſcentes .... Cum juris quispiam acceſſit, atque in eorum manus venit, tum attica hæc illis conſuetudo eſt, ludusque rei ſeriæ admixtus. Primum apud eorum aliquem, qui priores ipſum arripuerint, hoſpitio excipitur, vel qui ſophiſtices artem apprime callent, ac lucra magiſtris conciliant, eoque nomine apud eos in ſummo honore ac pretio ſunt, quandoquidem illis mercedis loco eſt, habere qui ipſorum comodis ſtudeant. Deinde a quolibet cavillis laceſſitur. Quod quidem, ni fallor, eo faciunt, ut novitiorum animos contrahant, atque a principio ipſos in poteſtatem redigant. Laceſſitur autem ab aliis audacius, ab aliis eruditius, prout ille vel ruſticis & ineptis eſt moribus, vel urbanitate præditus. Atque id ignaris quidem horrendum valde & inhumanum videtur, iis autem perquam jucundum & ſuave, qui hoc prius norunt. Amplior eſt enim hæc minarum oſtentatio, quam res ipſa. Tum per forum ad balneum cum pompa deducitur. &c. mox ſubjicit, Baſilium ob ſingularum eruditionem hac vexatione fuiſſe ſolutum. *Becmannus in Politica parallela p. 518.* docet, Francofurti *Geo. Wilhelmum*, Electorem, Hungaros, ratione ætatis habita, ſingulari privilegio ab iſta initiatione abſolviſſe.

viſſe. Hæc brevi tempore abſolvebatur vexatio, unico vel dimidio die, & plurimum differebat in diverſis academiis. Sed longior multo & durior ejus gradus erat Pennaliſmus, de qua ludicra & in exceſſum vergente diſceptatione videatur *Dornavii Amphitheatrum ſapientiæ ſocraticæ*, ubi & de Beanismo exponit. Sed ob exceſſum enormem Jenæ admiſſum 1644. pennalismus ibi interdictus & in Germania ob ingentes abuſus ſingulari principum conſenſu 1660, plane abrogatus fuit. Ex qua abrogationem *Becmannus* ſuo tempore alia nata eſſe incommoda ſubinnuit l. c. quæ aliis indicanda relinquit. Sed iſta aliunde potius, quam ex abrogatione nugarum proveniſſe, & aliter tolli rectius poſſe, nemo infitias ibit.

§. 400.

Ratio academias conſervandi.

Conſervandis academiis inſervit perpetuatus in civitate literarum virtutumque cultus honorque ; continuatio & amplificatio redituum, unde tam docentibus conſulatur quam diſcentibus cæterisque inſtitutis neceſſariis proficuisque ; ſtudiique & animi docentium & diſcentiam a depravatione avocatio amotioque. Etenim in academiis nobiliores artes & ſcientiæ, quæ proſtant, & inſignem præſtitere utilitatem, docentur (§. 329.). Quæ ſingulæ tanta reip. commoda afferunt, ut pari fere dignitate ratione ſummi, quem capiunt, honoris cenſendæ ſint (§. 344. *ſeqq.*) Eorum quoque honoraria ſic ſunt inſtituenda ut honeſte inde alantur cum ſua familia (§. 393.) Quæ cum ſint externa illa invitamenta, quæ civitas ad culturam mentis capeſſendam præſtare poteſt debetque (§. 313.): patet, ad conſervandas academias omnino facere perpetuum in civitate literarum virtutumque cultum honorem fructumque. Quem ſi civitas perpetuare ſtudet, ſimul conſervandis academiis ſtudet.

Quia juſtum eſt, ut Profeſſores pro operis reip. dicatis indemnes præſtentur, eorumque fortunæ pro meritis augeantur (§. 393.) : curandum quoque eſt, ut eorum minervalia maneant

maneant ſalva, & propter detrimenta, quæ ſæpe evitari nequeunt, & aucta rerum pretia amplificentur. Cumque & inopes ſtudioſi alendi ſint communi ſumtu, & tum in hunc uſum, tum in alia commoda academiæ variis opus ſit ædificiis conſervandis & reparandis, aliisque inſtitutis ſupra memoratis: negari nequit, reditus academicos non continuandos tantum, ſed & ſubinde augendos eſſe, ſi conſervari debeant academiæ nec ſenſim labefactari.

Inprimis indefeſſum fervere in academiis debet ſtudium & Profeſſorum in docendo & ſtudioſorum in diſcendo, quod munus academiarum eſt præcipuum (§. 395. *seqq*.). Idcirco amovenda ſunt diligenter cuncta, quæ vel impedire indefeſſum illud ſtudium, vel ab eo avocare, aut illud paullatim diminuere tandemque exſtinguere poſſunt. Si ergo conſervari, non collabefieri & perire debet academia, opera danda eſt, ut removeantur omnia diligentiæ in docendo diſcendoque avocamenta & venena, atque quantocyus in primordiis extermine tur tollanturque.

Dantur quidem & aliæ cauſæ, quibus Academiæ evertuntur quæ vero ideo non commemorandæ fuerunt, quia humana ope majores ſunt, atque evitari nequeunt. Vbi ſunt antiquiſſimæ Sapientum Scholæ & Academiæ olim celeberrimæ? Aegyptiorum privilegia obſtabant quo minus ipſorum agri vel in ſumma Septennii penuria & annonæ defectu ipſis eriperentur *Geneſ.* XXXXVII, 22. quorum ſapientia imbutus fuit Moſes *Actor.* VII. 22. quam tamen ipſe ſuperavit & Salomo *1.Reg.* IV, 29. 30. Vbi Kiriath Sepher, & Abel? Vbi Chaldæorum, Babyloniorum & Perſarum Sacraria Muſarum & archimagorum, in quibus Aſtronomia nata, multaque alia, quæ Daniel, Xenophon, Diodorus aliique enarrant? Ab his Pythagoras, Plato aliique Græci ſua hauſerunt Scientiarum primordia, deinde longe lateque diffuſa. Sed ubi Athenienſium Academia,

demia, lyceum, porticus, pœcile, Prytanium, Tempe, Cynosargicum? Vbi Spartanum illuſtre Gymnaſium, Corinthiorum κρανιον, Rhodiorum Gymnaſium celeberrimum, Cretenſium Academia, Carthaginienſium officinæ Philoſophorum, Cyrenenſis, Tarſenſis, Berytenſis, Conſtantinopolitana aliæque academiæ, olim inclutæ & privilegiis munitæ? Nonne alias terræ motus, alias bellicæ clades & everſiones, alias ſuperſtitiones & odium contemtusque literarum peſſumdedere?

Si quædam interiere academiæ antiquæ, aliæ tamen adhuc durant, & novæ alibi ſunt natæ, uti patebit, ſi præcipuas paucis ſerie literarum recenſeamus.

Tabula Academica, quæ primum Lugduni Batavorum anno 1736. deinde limatior Göttingæ anno 1741. tertio Londini longe correctior & locupletior in forma patente prodiit. Littera *A.* Academiam Auguſtanæ Confeſſioni addictam, *P.* Pontificiam, *R.* Reformatam denotat. Priores Numeri annum fundationis indicant, eumque ſæpe diverſum; poſterior autem uncinulis incluſus ( ), emendationis vel reſtaurationis annum ſignificat. Et quanquam *tabulam* hanc *academicam Londinenſem* paulo correctiorem plenioremque exhibeo, non potui tamen in his omnia ad liquidum perducere, uti optaſſem; partim propter ſilentium autorum, partim propter diſſenſum. Sequantur jam urbes Academiis ſuis inclutæ:

Aberdena, Aberdonia, *Aberdeen*, in Scotia, R. 1480, 1500. (1510.); Aboa, *Abo*, in Finnia, A. 1640.; Abula, *Avila*, in Caſtilia veteri, P. . . . . Altorfium, *Altorff*, in Franconia, A. 1575, 1576. (1581. 1627. 1697.); Andegavum, Juliomagus Andium, *Angers*, in Ducatu Andegavenſi, P. 1395. 1398. (1685.) Andreapolis, Sancta Andrea, *St. André*, *St. Andrews*, in Scotia, R. 1412.; Aquæ Sextiæ, Urbs Aquenſis, *Aix*, in Provincia, P. 1409. (1603.); Arauſio, *Oranien*, *Orenge*, in Provincia, P. 1365. Argentina, Argentoratum, *Strasburg*, in Alſatia inferiori, A. 1538. 1566. (1621.); Avenio, Avenio Cavarum, *Avignon*, in Provincia, P. 1303.; Auguſta Taurinorum, Taurinum, *Turin*, *Turino*,

no, in Pedemontio, P. 1404. 1490. (1720.); --- Trevirorum, Treviris, *Trier*, in Archiepiſcopatu Trevirenſi, P. 350. (1456.); Aurelia, Aurelianum, *Orleans*, in agro Aurelianenſi, P. 1305. 1312.; Bamberga, *Bamberg*, in Franconia, P. 1585. Barcino, Barcinona, *Barcellona*, in Catalonia, P. 1500. Baſilea, *Baſel*, in pago Baſileenſi, R. 1459. 1490. Beacia, *Baëza*, in Vandalitia, P. 1538. Bituriges, Biturgium Avarici, Bituricæ, Biturix, *Bourges*, in Ducatu Bituricenſi, P. 1236. 1463.; Bononia, *Bologna*, in agro Bononienſi, P. 426. 790. (1536.); Boſtonia, *Boſton*, in America, R. . . . . Burdigala, *Bourdeaux*, in Aquitania, P. 340. 1442. (1473. 1573.). Cadomum, Cadomus, *Caën*, in Normannia, P. 1437. (1452.) Cadurcum, Divona Cadurcorum, *Cahors*, in tractu Cadurcenſi, P. 1320. 1332.; Cæſaraugusta, *Caragoça, Saragoſſa*, in Regno Aragoniæ, P. 1519. (1584.). Calaris, *Cagliari*, in Sardinia, P. . . . . Cantabrigia, *Cambridge*, in Anglia orientali, R. 1320.; ſæculo tamen nono jam in juſtam Academiam excreviſſe videtur. Caſſovia, *Caſchau*, in Hungaria ſuperiori, P. . . . Cervaria, *Cerbera*, in Catalonia, P. 1717. Colonia Agrippina, Colonia Ubiorum, *Cöln*, in Archiepiſcopatu Colonienſi, P. 1388. --- Allobrogum, Geneva, *Geneve*, *Genf*, in tractu Genevenſi, R. 1535. (1559.); Complutum, *Alcala de Henarez*, in Caſtella Nova, P. 1515. (1517.); Compoſtella, *Sant Jago di Compoſtella*, in Regno Galliciæ, P. 842. 1570. Conimbria, Conimbrica, *Coïmbra*, in Luſitania, P. 1279. 1290. (1469. 1548.) Conſtantinopolis, 425. cum urbis excidio extincta. Conſtantia. Vid. Friburgum. Cracovia, *Cracau*, in Palatinatu Cracovienſi, P. 1364. (1400.); Cremona, in Italia, P. 1413. Culmum, *Culm*, in Boruſſia ſuperiori, P. 1387. Dillinga, *Dillingen*, in Suevia, P. 1549. (1564.) Divio, Divionum, *Dijon*, in Ducatu Burgundiæ, P. 1723. Divona Cadurcorum. Vid. Cadurcum. Dola, *Dole*, in Comitatu Burgundiæ, P. 1426. (1484.) Dorpatum, *Dörpath*, *Dörpt*, in Livonia, A. 1632.; hæc academia translata Pernaviam 1699. Duacum, *Douay*, in Flandria Gallica, 1562. Dublinum, Eblena, *Dublin*, in Hibernia, R. 1320. (1591.) Duisburgum, Teutoburgum, *Duisburg*, in Du-

catu Clivenſi, R. 1655. Eblena. Vid. Dublinum. Ebora, Eburia, *Evora*, in Provincia Transtagana, P. 1514. Edenburgum, *Edenborrow*, *Edinburgh*, in Scotia, R. 1582. Erfordia, Erphordia, *Erfurt*, in Thuringia, A. 1392. Erlanga, *Erlangen*, *Chriſtian-Erlangen*, in Marggrafiatu Baruthino, in Franconia, A. 1743. Ferraria, *Ferrara*, in Ducatu Ferrarienſi, P. 1316. 1391. Firmum, *Fermo*, in Italia, P. 1305. (1585) Florentia, *Fiorenza*, *Firenze*, *Florenz*, in magno Hetruriæ Ducatu, P. 1438. (1460. Francofurtum ad Oderam, vel Viadrum, *Frankfurt an der Oder*, in Marchia media Brandeburgenſi, R. 1506. Franequera, *Franekker*, in Friſia R. 1585. Friburgum, *Freyburg*, in Briſgovia, P. 1460. 1467. (1472.); hæc Academia deportata Conſtantiam 1673. Fulda, *Fulde*, in Circulo Rhenano ſuperiori, P. 1734. Gandia, in Hiſpania, P. . . . . . Geneva. Vid. Colon. Allobr. Gieſſa, *Gieſſen*, in Haſſia ſuperiori, A. 1607. Glaſcovia, Glaſcovium, Glaſcua, Glaſcum, *Glaſco*, *Glaſgow*, in Scotia, R. 1453. (1577.) Gottinga, *Göttingen*, in Electoratu Brunſv. Luneb. A. 1734. (1737.) Græcium, *Grætz*, in Stiria inferiori, P. 1576. Granata, *Granada*, in regno Granadenſi, P. 1506. Gratianopolis, *Grenoble*, in Delphinatu, P. . . . . . Gripswaldia, *Greifswald*, *Grypswalde*, in Pomerania citeriori, A. 1456. (1547.) Groninga, *Gröningen*, in Provincia Groningenſi, R. 1614. Hafnia, *Coppenhagen*, *Kiobenhagen*, in Dania, A. 1478. (1690.) Hala Magdeburgica, Hala Saxonum, *Halle*, in Ducatu Magdeburgico, A. 1693.; Harderovicum, *Harderwyk*, in Velavia, R. 1648. (1692.); Heidelberga, *Heidelberg*, in Palatinatu inferiori, R. 1346. (1386.); Helmſtadium, *Helmſtädt*, in Ducatu Brunſuicenſi, A. 1567. (1745.); Herbipolis, *Würzburg*, in Franconia orientali, P. 1403. (1585.); Hiſpalis, *Sevilla*, in Regno Vandalitiæ, P. 990. Iena, *Jena*, in Thuringia, A. 1558. Ilerda, *Lerida*, in Catalonia, P. 1300. Illergetum, Oſca, *Hueſca*, in Regno Aragoniæ, P. . . . . Ingolſtadium, *Ingolſtadt*, in Bajoaria, P. 1410. 1472. (1501. 1540.) Kilonia, Chilonium, *Kiel*, in Ducatu Holſatiæ, A. 1666. Lauſanna, *Lauſanne*, in Helvetia, R. 1536. 1539. Leida, Lugdunum Bata-

tavorum, *Leyden*, in Hollandia, R. 1575. Lerida. Vid. Ilerda. Lima, in America, P. 1621. Lipsia, *Leipzig*, in Misnia, A. 1409. Londinum Scanorum, Lundis, *Lunden*, in Scania, A. 1668. Lovanium, *Leuven*, in Brabantia, P. 1426. Lugdunum, *Lyon*, in Præfectura Lugdunensi, P. 830. Lutetia Parisiorum, Parisii, *Paris*, in Francia Insula, P. 791. Macerata, in Italia, P. 1290. (1540. 1589.) Majorca, *Mallorca*, in Insulis Balnearibus maris mediter. P. .... Mantua, *Mantua*, in Italia, 1625. Marburgum, *Marburg*, in Hassia superiori, R. 1526. (1541.) Mediolanum, *Meyland*, in Ducatu Mediolanensi Italiæ, P. .... Messana, *Messina*, in Regno Siciliæ, P. 1548. Mexicum, *Mexico*, in America, P. .... Moguntia, Moguntiacum, *Maynz*, in Archiepiscopatu Moguntino, P. 1482. (1561.) Molshemium, *Molsheim*, in Alsatia, P. 1618. Mons pessulanus, Mons pessulus, *Montpellier*, in Occitania inferiori, P. 1196. Mussipontum, *Pont à Mousson*, in Lotharingia, P. 1572. Mutina, *Modena*, in Ducatu ejusd. nominis, in Italia, P. sæculo XIII. condita videtur. Nannetes, *Nantes*, in Britannia superiori, P. 1460. Neapolis, *Napoli*, in terra Laboris, P. 1224. Nemausum, *Nismes*, in Occitania inferiori, R. 1533. (1682.) Oenipontum, *Inspruck*, in Comitatu Tirolensi, P. 1677. Olmucium, *Olmuz*, in Moravia, P. .... Onata, Onnatum, *Ognata*, in Cantabria, P. .... Oriola, *Origuella*, in Hispania, P. .... Ortesium, *Ourtes*, *Orthez*, in Gallia, R. ... Academia hic a Joanna Navarræ Regina condita non diu duravit. Osca. Vid. Illergetum. Osnabruga, Osnabrugum, *Osnabrück*, in Westphalia, P. 1630.; Ossuna, *Orsuna*, *Urso*, in Regno Vandalitiæ, P. 1549.; Ovetum, *Oviedo*, in Asturia, P. 1580.; Oxonia, Oxonium, *Oxfurt*, in Anglia, R. 883. Paderborna, Fontes Paderæ, *Paderborn*, in Westphalia, P. 1616. Pallantia, *Palencia*, in regno Legionensi, P. .... Pampelona, *Pamplona*, in Navarra, P. 1205. hæc Academia Salamancam delata, 1239. Panormum, *Palermo*, in Sicilia, P. .... Papia, Ticinum, *Pavia*, in Ducatu Mediolanensi, P. 792. (1361.) Parisii. Vid. Lutetia Parisiorum. Parma, *Parma*, in Ducatu Parmensi, P. 1599. Patavium, *Padua*, in agro

Patavino, P. 791. (1222.) Pernavia, *Pernau*, in Livonia, A. 1699. Perpinianum, Ruſcinum, *Perpignan*, in Comitatu Ruſcionenſi in Catalonia, P. 1349.; Feruſia, Peruſium, *Perugia*, in Ducatu Urbino, P. 1290. (1307.); Petroburgum, Petropolis, *St. Petersburg*, in Ingria, 1724. (1748.) Pictavium, Auguſtoritum, *Poitiers*, in Provincia Pictavienſi, P. 1431. Piſæ, *Piſa*, in tractu Piſano, P. 1339. (1487. 1543.) Praga, *Prag*, in Bohemia, P. 1357. 1360. (1512.) Regiomontum, Mons regius, *Königsberg*, in Poruſſia Brandenb. A. 1544. Rhemi, *Reims*, in Campania, P. 1545. Rintela, Rintelium, *Rinteln*, in Comitatu Schauenburgico, A. 1621. Roma, *Rom*, in Italia, P. 1303. (1432. 1513. 1740.); Roſtochium, *Roſtock*, in Ducatu Megapolitano, A. 1419. Salernum, *Salerno*, in regno Neapolitano, P. condita ſæculo XIII. Salisburgum, Salzburgum, *Salzburg*, in Archiepiſcopatu Salisburgenſi, P. 1617. (1626.) Salmantica, *Salamanca*, in regno Legionenſi, P. 1240. (1404.) Salmurium, *Saumur*, in Ducatu Andegavenſi, R. 1604. Sedanum, *Sedan*, in Campania, R. 1592. Seguntia, *Siguenza*, in regno vet. Caſtellæ, P. 1573. Sena, *Siena*, in agro Senenſi, P. 1330. (1387. 1530.) Sora, *Sora*, in Dania, A. 1623. (1747.) Stanfordia, *Stanford*, in Comitatu Lincolnienſi in Anglia. Regnante Eduardo III. cœpta hic Academia & bonarum litterarum profeſſio, ſed mox exſpiravit. Tarracona, Tarraconum, *Tarraſona*, in Regno Aragoniæ, P. 1572. Taurinum. Vid. Auguſta Taurinorum. Ticinum. Vid. Papia. Tigurum, *Zurch*, in Helvetia, R. . . . . Toletum, *Toledo*, in Caſtilia nova, P. 1517. (1580.) Toloſa, *Toulouſe*, in Occitania ſuperiori, P. 804. (1228.) Tortoſa, in Catalonia, P. . . . . Trajectum ad Rhenum, Ultrajectum, *Utrecht*, in Provincia Ultrajectina, R. 1636. (1639.) Treviris. Vid. Auguſta Trevirorum. Tubinga, *Tübingen*, in Ducatu Wirtenbergenſi, A. 1477. Tyrnavia, *Tyrnau*, in Hungaria ſuperiori, P. 1635. Valdoletum, Valliſoletum, *Valadolid*, in Caſtilia veteri, P. 1346. Valentia, *Valencia*, in regno Valentiæ, P. 1470. (1586.) Valentia, *Valence*, in Delphinatu, P. 1651. Venetiæ, *Venedig*, *Veniſe*, in Italia. P. Circa medium Sæculi XV. Lyceum hoc inclareſcere cœpit.

pit. Verona, *Verona*, in Italia, P. . . . . Vesontio, *Besançon*, *Besanz*, in Burgundia superiori, P. . . . . Vienna, Vindobona, *Wien*, in Austria inferiori, P. 1237. (1365.) Vilna, *Wilna*, in Lithuania, P. 1579. Viteberga, Leucorea, *Wittenberg*, in Electoratu Saxoniæ, A. 1502. Vltrajectum. Vid. Trajectum ad Rhenum. Vpsalia, *Upsal*, in Suecia, A. 1277. (1595. 1624.) Vratissavia, Budorgis, *Breslau*, in Silesia inferiori, P. 1702. Vrbinum, *Vrbino*, in Ducatu Urbino in Italia, P. 1671.

§. 401.

Et autoritatem docentium.

Florentis scholarum academiarumque status conservandi causa opus est ut autoritate polleant docentes (hoc est ut discentes sciant saltem firmiter persuasi sint, docentes muneri suo pares esse, ideoque ea in re excellere, quam ipsos docent); eamque autoritatem & ipsi promoveant, & ipsorum collegæ quicumque. Scholæ enim pariter atque academiæ eum in finem in civitate requiruntur instituunturque, ut juventus in illis quam optime & minimo sumtu imbuatur artibus & scientiis, ad promovendam salutem publicam necessariis utilibusque (§. 433. *seq. P. VIII. Jur. nat.*). Enimvero & ratio inculcat & experientia confirmat, non melius doceri res, nisi ab illis, qui eas probe vel optime callent, item dono docendi gaudent, diligentiam & fidem, quam par est, adhibent, ac moribus sese discentibus commendant (§. 436. *ibid.*); nec discentes lubentius quam eos, quorum dignitas mereri censetur, ut ipsorum sententiam sequantur, audire docentes & melius proficere in studiis & moribus, quam eorum, qui tales sunt, institutione. Quam ob rem cum autoritas docentium posita sit in firma discentium persuasione, docentes in iis excellere, quæ in docentibus requiruntur & quæ ipsos docent (§. 805. *œconom.*): manifestum est, florentem scholarum academiarumque statum non rectius conservari, quam si docentes debita vel summa polleant autoritate.

Iam quidem illa autoritas ipſis inde conciliatur, quod publica autoritate electi ſunt & conſtituti in munere docendi. Id ipſum enim, quod a peritiſſimis viris præferri meruerunt aliis, idem munus ambientibus, perſuadere aliis debet, quod in rebus docendis excellant, ſi eligentes partibus ſuis non defuere. At quoniam homines decipi & errare atque humani quidquam pati, conſueverunt, & quando nihil erroris commiſſum eſt in electione, tamen futura prævidere non potuerunt, & degenerare interdum hominum animos inopinato compertum eſt: autoritas publica, qua inveſtiuntur ſub auſpicia muneris ſui, ipſis ſancte & ſedulo conſervanda eſt & ſubinde augenda, quibuscunque par eſt rationibus actionibusque. Quapropter docentes conſervandæ augendæque ſuæ autoritatis cauſa, indies ſuam augere ſoliditatem & ſcientiam, novis ſubinde ſpeciminibus eamdem aliis approbare, indefeſſa diligentia horis ſuis vacare, donis didacticis rite uti, vanam autem oſtentationem gloriationemque, & quidquid indecorum eſt, in vultu, geſtibus actionibusque cæteris vitare, & morum probitate, pietate atque humanitate ſe omnibus commendare ſtudebunt. Secus enim agendo non riſui tantum & contemtui opprobriisque aliorum ſe exponunt, ſed & ſuam perdunt autoritatem, ipſisque literis apud juventutem aliosque odium pariunt, vilipendium neglectumque.

Quoniam publica inſtitutio plures requirit docentes, ſive in diſciplinis, ſive in eadem ſcientia arteve, præſertim in academiis (§. 388. *ſeq.*), quorum ſingulis ſua eſſe debet autoritas, ut cum fructu docere poſſint: docentes invicem ſe in conſervanda augendaque autoritate ſua juvare debent, generali ſe mutuo perficiendi publicamque ſalutem provehendi officio (§. 613. *ſeqq. P. I. Jur. nat*). Quapropter unusquisque docentium alteri honorem exhibere debet, quem meretur

retur (§. 648. *ibid.*), & operam dare factis dictisque honorificis, ut inter discentes quoque famam, quam meruit, autoritatemque consequatur & obtineat (§. 650. *ibid.*), cum alioqui alter alterum esset læsurus (§. 689. *ibid.*). Cavere ergo debent docentes ne suam disciplinam laudaturi, alias rejiciant aut vilipendant, ne se jactent & ostentent alios in contemtum & odium adducendo, vel prostituendo; neve existimationi autoritatique collegarum quidquam detrahant (§. 871. *ibid.*), ne quidem si alii id prius fecerint (§. 872. *seq. ibid.*). Potius quæ dicta vel facta sunt ita, ut reprehensionem videantur mereri, coram discentibus in meliorem partem interpretari & excusare, quantum fieri potest, æquitatis est (§. 193. & 581. P. *V. Ethic.*). Malum enim malo non est referendum (§. 809. P. *I. Jur. nat.*), & si par pari referatur, dissidia & odia & factiones invalescunt, multaque alia mala producunt.

Loquimur hic de vera autoritate quæ peritorum quoque convictionem & scientiam involuit, & tantum eorum discentium persuasionem parit, qui sententiam aliorum sequi solent, dum ipsi perspiciendæ veritati per se impares sunt. Firma tamen ipsorum erit persuasio, quia fundatur in peritiorum convictione, quæ convictio veritate nititur immutabili. Nil ergo eam gignit, nisi quidquid veræ perfectionis nomen meretur. Hujusmodi sunt genuinæ virtutes intellectus voluntatisque. His igitur eminentes verissima pollent autoritate, quæ & peritorum & imperitorum existimationem laudesque in se convertet, duce ipso illo profectu & fructu, quem experiuntur inde in se redundare discentes. Non confundenda est vera hæc autoritas, cum *applausu* seu magno discentium numero, qui vanus esse potest, nitens tantum eo, quod discentibus placet in docentibus. Si enim discentes sunt vitiosi, aut ad prava proni, ipsis similia in docentibus placent. Libidinosis placent libidinosa dicta & facta, ambitiosis blanditiæ erga ipsos ac satyræ, opproria & vituperia aliorum placent, cum & ipsi alios perstringere ament. Sic sua quemque

trahens

trahens voluptas patula quærit, ubi illa reperit, & ea ſubminiſtranti applaudit. Quod *Plinius L. II. Ep. 14.* de centumvirali judicio ſcribit: *nunc refractis pudoris & reverentiæ clauſtris, omnia patent omnibus. . Sequuntur auditores actoribus ſimiles, conducti & redemti mancipes. . . . Si quando tranſibis baſilicam & voles ſcire, quomodo quisque dicat, nihil eſt, quod tribunal adſcendas, nihil quod præbeas aurem: facilis divinatio. Scito, illum peſſime dicere, qui laudabatur maxime;* idem ſi de docentibus in academiis dici poſſit, coëmtis laudi cœnis conquiri auditores, & ubi maximus eſt auditorum confluxus & applauſus, maximus in auditorio riſus, ibi peſſime doceri ſequetur, ibi ſtudium veritatis virtutisque parum curari, aut periiſſe. Sane ſi libido carpendi, rixandique docentium transfunditur in mores diſcentium, ſimiles inde naſcuntur vitilitigatores, aliis moleſti, & prava exempla daturi. Multo igitur rectius autoritas docentium ſibi conſtat, ſi ſoliditate virtutum nitatur, mutuoque officio inculcetur ſtabiliaturque, quam ſi diſſenſu inutili & pernitioſo laceretur, & ſectæ lucri cauſa alantur. Equidem ſentiendi libertas docentibus indulgenda, æque ac agendi libertas, ſed cavendum utrobique, ne in licentiam turpem vertatur, vitiorum nutricem. Neque difficile erit, hunc fontem pravitatis obturare, ſi legibus academiæ & veritatis & modeſtiæ ſtudium docentibus ita inculcetur, ut ſecus acturi convictique pro meritis ſint puniendi; diſcentibus vero omne factionis diſſidiique inanis ſtudium prohibeatur ſub negata ſpe promotionis, ſolis veritatum virtutumque cultoribus genuinis relinquenda. Conſentaneum enim eſt prudentiæ civili, veritatis virtutisque ſtudium juvare, quantum commode fieri poteſt, legum civilium obligatione (§. 255. *P. I. Polit.*). Si punitur quisquis labefactat autoritatem judicis, cur non & is, qui autoritatem docentis ſalutaria præſertim in academiis labefactare non veretur? In autoritate mutuo tuenda eædem attendi merentur rationes, quæ de tuenda patris matrisque familias autoritate dicta ſunt (§. 806. *ſeqq. Oecon.*) cum Profeſſores quoque conjunctim regere debeant ſtudia & actiones ſtudioſorum.

§. 402.

§. 385.

Neque minus studendum est docentibus, ut discentium amore dilectione & fiducia polleant, eamque consiliis, suffragiis, commendatione & beneficiis tueantur. Opus enim est, ut docentes autoritate gaudeant penes discentes (§. 401.). Sed autoritatem illam juvat & conservat augetque discentium amor, dilectio & fiducia, quemadmodum ex eadem gignuntur (§. 645. & 804. *seqq. Psychol. empir.*), aut quemadmodum fructus arboris, postquam ex eadem nati sunt, illam juvant, ornant & semine propagant. Studendum ergo est augendæ autoritatis causa, ut docentes sibi adquirant discentium amorem, dilectionem & fiduciam. Pariter & discentium perficienda scientia & felicitas postulat, ut docentes ipsorum eruditioni & saluti non doctrina tantum consulant, sed & quibuscunque possunt aliis actionibus, utpote consiliis, quibus juvari possint vel in studiis debite tractandis, vel in aliis rebus, suffragiis ipsorum causa rite ferendis, commendatione ipsis profutura, testimoniis, quæ merentur, & beneficiis, quibus possunt, tribuendis. Quam ob rem Professores recte constituuntur administratores beneficiorum & stipendiorum variorum pro studiosis institutorum. Quibus efficitur, ut non nascatur tantum erga Professores, item præceptores, amor, dilectio & fiducia discentium, sed & augeatur ac perpetuetur.

Atque discentium amorem & fiduciam.

Neque tamen sic captandus est auditorum cœcusve applausus, ut aliorum inde fluat odium & vilipendium immeritum. Quod cum nemo sibi fieri vellet, neque erga alios est moliendum, quocumque id fiat artificio & obtentu. Inde lauderi nequit eorum mos, qui dissidium qualecunque si non in rebus saltem in verbis excogitant, ut habeant, quo se meliora docere, quam alii, imperitis utcunque persuadeant, gratiam ipsorum aucupaturi. Est eo pejus istud cacoëthes, si invidia tendat ad famæ vitæque discrimen fictis accusationibus afferendum bene meritis, ut triumphare aliquamdiu possint de victoria, obliquis viis fraudi-

busque parta, ſed poſthac in perpetuam cladem & ignominiam abitura. Neque labis expers manet eorum fama, qui imponi ſibi & fucum fieri patiuntur, ut inſtrumenta evadant ſatiandi pravos delatorum & inſtigatorum affectus. Quod rectiora edoctos non poteſt non pœnitere & pudere; defunctorum autem famæ notam inurit perennem. Tale ergo aucupium amoris & applauſus auditorum a recto tramite longiſſime aberrat.

§. 403.

Modus diſcentium profectus amplificandi.

Vt diſcentes doctrinas avide hauriant, probe intelligant retineantque, opus eſt, ut ordine clare diſtincte ſolideque doceantur, examinibusque & disputationibus tradita promte reddendi ac defendendi habitum adquirant. Quoniam præpoſtere diſcentes non tantum difficilius & cum inutili temporis ac ſoliditatis dispendio diſcunt, vel nimium ſe obruendo ingenium confundunt, ſanitatem ipſamque vitam in diſcrimen adducunt, triſti experientia teſte: legibus academicis optimus diſcendi ordo, quem ratio dictat & experientia confirmavit dudum, docentibus diſcentibusque eſt præſcribendus (§ 437 446. *P. VIII. Jur. nat.*), curandumque ut diligenter obſervetur, (§. 437. & 446. *P. VIII. Jur. nat.*) niſi quando eximia ingenii alacritas aliquid amplius indulgendum permittit, inſtar exceptionis ſapientis. Qui ordo ut obſervari poſſit, recitationes ſingularum facultatum ita ſunt inſtituendæ, ut eo tempore, quo plurimi advenire & abire ſolent, encyclopædia & inchoetur & abſolvatur ſeu a diverſis, quando plures adſunt profeſſores, ſeu ab eodem, ſi unus tantum adſit & alter, ut quilibet diſcentium intregrum ſyſtema quam optime abſolvere intra definitum triennii aut quinquennii ſpatum poſſit.

Præter ordinem genuinum in docendo juvat quoque profectus diſcentium eorum attentio promota, qua avocanda eſt mens ab omnibus aliis rebus, & convertendæ omnes cogita-

tiones

tiones ad rem præſentem & quæ de illa docentur. Excitanda ergo eſt a docentibus attentio diſcentium, cum poſita in medio rei docendæ gravitate & utilitate & ignorantiæ noxa exemplis indubiis, tum clara rerum & diſtincta explicatione; quarum hæc accuratis definitionibus rite evolutis, illa exemplis manifeſtis rem inculcat, ut & claritas & evidentia ideis notionibusque rerum tanta concilietur, quanta haberi poteſt. Vt vero etiam animi de veritate convincantur, opus eſt, ut ex rationibus indubiis aſſerta demonſtrentur, ubi haberi demonſtratio poteſt; in cæteris probabilior per rationes, quæ pro ipſa faciunt graviores, iis quæ ipſi obſtant, eſſe oſtendatur ea ſententia, quæ ſtatuitur, quam aliæ, quæ rejiciuntur. Quia veritas concluſionum pendet ex veritate præmiſſarum, earumque neceſſario ad inferendum nexu (§. 537. & 353. *Logic.*), & probatio probabilis a demonſtratione non differt, niſi principiis (§. 508. *ibid.*): ad convictionem requiritur, ut a docentibus vel a priori per notiones extremorum vel a poſteriori per exempla oſtendatur veritas præmiſſorum & convenientia ſyllogismi cum regulis ſuæ formæ, & ſi plures adſint ſyllogismi, eorum legitima concatenatio (§. 492. *ibid.*). Quod ſi rite fiat caveaturque ne attentio langueſcat, dubium non eſt, quin veritatem ſint intellecturi immotoque aſſenſu amplexuri auditores.

Enimvero ut conſtet an id factum ſit, & ut memoriæ inſigantur tum definitiones, tum propoſitiones, quarum frequenti applicatione indiget praxis, opus eſt examinibus & diſputationibus, tum privatis, tum publicis. Illis contubernales inter ſe aut & plures parium profectuum commilitones repetunt ea, quæ in prælectionibus didicere pleniusque conſignant explicationem, partim ſe invicem examinando, partim dubia & objectiones ſibi formando & diluendo; aut frequentius diſputando ſe exercent in veritatibus impugnandis defen-

dendisque. Sicubi ſatisfacere dubiis non potuere, nec provectiorum reſponſa ſufficere videntur, conſulendus eſt opportuno tempore ipſe Profeſſor, ejusque exactior ſolutio expetenda. Publica vero examina & diſputationes vel inſtituuntur ab ipſo docente, quoties caput quoddam pertractatum eſt, vel in plurium conſeſſu a pluribus trimeſtri ſpatio peraguntur, ut progreſſuum ratio diluceſcat. Ita ſenſim habitus animi ſenſa expedite promendi, comprehenſa e memoria reddendi, dubia tollendi ſeu falſa refutandi, & vera defendendi comparatur, & emendante examinatore aut præſide augetur ſubinde perficiturque.

Merito hic nitimur inſita diſcentium docilitate & aviditate, qua niſi gaudeant & in ſtudia ferantur, ne admittendi quidem ſunt ad jus civitatis literariæ, ſeu eruditorum ſeminarium. Vt vero illa conſervetur augeaturque identidem, opus eſt illius nutrimentis fomentisque, quæ partim in facilitate & perſpicuitate, partim in evidentia & ſoliditate doctrinæ continentur. Neque enim facilius citiusque diſcuntur, quam quæ optimo ordine ſe excipiunt ac mutuo tuentur. Tum quæ manifeſtis exemplis ipſis quaſi ſenſibus palpanda exhibentur, ea & perſpicua evadunt & indubia. Lucem iis, quæ reſtant, nebulis & facem infert diſtincta explicatio, rationes eorum addens, quæ luculenter quidem ſed confuſe tantum in ſenſus incurrere. His ſi interſeratur, quæ vel inſcitiam aliorum de his audacius quam verius pronuntiantium & ſcribentium prodidere, vel inſignia damna, aut commoda & inventa in rebus arduis dedere & peperere; ſi interrogando more Socratis & Platonis eliciantur auditorum præſtantiorum vel aliena agentium, ſaltem non ſatis intentorum reſponſa, eaque ſi recte ſe habeant, vel laudentur & conſectaria inde formentur inopinata, vel dubia illis obvertantur ſolvenda; ſi minus apta ſint, reprehendantur una cum neglectu attentionis, unde ortum ducunt, aut attentiori corrigenda dentur: attentio & diſcendi aviditas excitari & augeri poterit

rit magno cum fructu auditorum. Fieri enim poteſt, ut aptis interrogationibus, e rebus jam notis ad ignotiora, quæ inde ratiocinando elici poſſunt, docentes progrediantur, inprimis ſi diſcentes jam inſtructi ſint habitu ratiocinandi, atque meris quæſtionibus excitando ſemper auditores ad meditandum riteque concludendum adſuefaciant, & docendo ſimul exerceant eosdem & habitibus imbuant.

Quod inprimis conſultum eſt, ſi quis neglectus attentionis, ſi qua ſomnolentia, ſi qua vivacitas ingenii deſultorii & alacrioris & ad aliena proni ſe prodat. Neque abs re eſt, ſi reſponſum non ſtatim vel ſuppeditetur ignoranti, vel emendetur, ſed ſententiam dicere jubeatur, quisquis in cœtu auditorum vel rem illam tenet, vel his meliora, quæ ſunt prolata. Eſt ubi juvat explicationem in medio commatis vel periodo abrumpere ea lege, ut ad nutum auditor ſuppleat, quæ ſequi debent, & quæ ex antegreſſis eruere valet. Si notis jam præceptis nova ſubinde ignotiora & difficiliora ſubjiciantur exempla, & in his attentio non defatigabitur, quando ſubinde aliquid ignotum utile vel jucundum addiſcit. Quantum in receſſu habeant examinationes, diſputationesque vel privatæ, multo magis in frequentiori cœtu publico ſaltem a magiſtro in illa arte vel ſcientia, ejusque ſeu opera, ſeu cenſura, & præſidio inſtitutæ, & ad limam ſanæ rationis ac virtutis exactæ, dici vix poteſt. Cultum memoriæ, ingenii, judicii, facundiæ omniumque mentis facultatum minime vulgarem inde retulere quotquot illis bene ſunt uſi.

Quæ hic forte deſiderari poſſent præcepta de ordine & methodo docendi & ſtudendi ea utique non ſunt imperitorum judicio permittenda, qui temere & præpoſtere eſſent conſulturi, prout vel affectuum vel imperitiæ ratio ſuadet; ſed a viris ſuæ ſcientiæ artisque peritiſſimis ordinanda ſunt, vel ex aliorum ordine paſſim obvio & plurimum commodi præſtante ſeligenda, & in leges referenda. Peti ea, quæ ad Philoſophiam & Matheſin pertinent, ex iis; quæ de ordine ſcientiarum philoſophicarum *Logicæ ſunt præmiſſa Diſc. prælim. c. 3. &* 4. & quæ in ſyſtemate Philoſophiæ & Matheſeos ſequuntur ordinem naturalem. Reli-

qua ex doctrina de Methodo in *Logicæ P. II.; de methodo philosophica & mathematica* sigillatim exposuit illustris Baro *de Wolff*, aliorumque præstantissimorum virorum satis peti possunt. Sed longius jam est hoc caput, quam ut capere illa possit, peculiari discussioni relinquenda. Est quidem sua docendi discendique libertas academiis salva relinquenda, providendo tantum, ne degeneret in licentiam errores & vitia excludendi diffundendique, quem in finem legum salutarium latio observatioque est procuranda. Legibus quidem & obligatione civili non emendantur, quæ a recto tramite aberrant; præstat tamen honestatem externam tueri, quam & hanc cum gravissimo civitatis damno negligere & pessum ire. Non vivitur cum perfectis hominibus, nec vivetur in his terris unquam. Tolerandum igitur, quod penitus mutari nequit & morali doctrina utendum ad animos, quantum datur, corrigendos. Multum tamen valet in civitate exemplum rectorum civitatis & institutum ad honores, reditus publicos & emolumenta insigniora non admittendi, nisi scientiis, artibus virtutibusque eminentes evehendi, nec illis fructus illos indulgendi, nisi quamdiu tales sunt, quales salutis publicæ gratia esse debent. Sequentur alii eorum exemplum moremque constantem; gaudebit ita virtus suis præmiis; contemtus vero vitiosorum communis vitia ubique premet minuetque, simili fere ratione ac alia in moribus ritibusque pro arbitrio communi, quo recepta sunt, & inculcantur, vigent, durantque.

SECTIO III.

CAPUT II.

DE

Scientiis & artibus per nova inventa ulterius perficiendis.

§. 404.

Conjungendæ sunt plurium vires

Conjunctis viribus excolenda est facultas & ars inveniendi, cum in nostros, tum in totius generis humani usus.* Omnes enim facultates animæ superiores non insunt homini natura per-

perfectæ, sed exercitio perfici possunt & debent (§. 199. *P. I. Jur. nat.*), ut omnem earum usum adipiscamur, non usum evitemus (§. 207. *ibid.*) & ut habitus iisdem utendi consequamur (§. 209. *ibid.*) eoque omnes, quos vel propriis vel adhibitis aliorum subsidiis adspirare valemus (§. 211. *ibid.*) in omni, quem capere mens valet, perfectionis gradu (§. 210. & 213. *ibid.*). Sed inter superiores mentis nostræ facultates datur etiam facultas recte effingendi quæ sensu nunquam fuere percepta abstrahendi, & ex notis ignota inveniendi (§. 145. 282. *Psych. empir.*) & (§. 724. *seqq. Logic.*) eaque excoli potest in artem inveniendi, quæ & datur inter homines (§. 454. *Psychol. empir.*). Quapropter facultas & ars inveniendi non tantum cuique seorsum perficienda est, quantum fieri potest (§. 250. *P. I. Jur. nat.*), sed & socialis plurium viribus opera danda est (§. 333.), ut in omnes, quos nobis totique generi humano præstare potest, usus ad perficiendum animi, corporis & fortunæ statum & ad vitanda contraria, item ad detegendum, quæ nondum nota sunt, transferatur (§. 195. & 600. *ibid.*).

ad artem inveniendi excolendam.

Forte dubium videatur, num circa artem inveniendi consociari plurium vires possint, quia paucis tanta est ingenii felicitas & amplitudo, quanta ad artem inveniendi requiritur. Enimvero etiam si concedamus, eximiam facultatem artemque inveniendi non esse nisi paucorum datum; tamen præter propriam eorum obligationem, alia quoque communis, qua cæteri adstringuntur, ad ejus culturam non tantum non impediendam, sed & quibus possunt modis & rebus adjuvandam & perficiendam, cum commoda inde oriunda, & in alios redundent (§. 612. 646. 664. 696. *seqq. P. I. Jur. nat.*). Præterea licet eorum major sit obligatio, in quorum potestate plura sunt (§. 179. *ibid.*); licet in eorum potestate plura sint, quorum est amplior facultatum, virium, rerum & auxilii alieni usus (§. 178. *ibid.*): non tamen nulla eorum est obligatio, quorum facultas inveni-

endi

endi uſus & indigentia ejusdem minor eſt. Omnes enim intellectu gaudent, eodemque etiam uti debent in reperiundis conſiliis aliisque ignotis rebus. Proinde unusquisque operam dare debet, ut eam conſequatur animi, corporis ac ſtatus externi perfectionem, quam conſequi in ipſius poteſtate eſt (§. 180. *ibid.*). Juvare hi alios præſtantiori dote præditos poſſunt, ſua opera, ſuis opibus, ſuis rebus, quibus indigent, ſua exiſtimatione, amicitia, laude & celebratione, item dignitate promerita & fortuna lautiore ipſis tributa. Viciſſim juvari & perfici ab iisdem poſſunt non conſiliis tantum quibus indigent, ſed & inventis aliis, ſcientiis & artibus ſaluti privatæ & publicæ profuturis.

§. 405.

Ars inveniendi eget incrementis, nec exhaurietur.

Ars inveniendi multorum & capax eſt incrementorum, & egebit, tanquam res uſus inexhauſti. Abſurdum enim ſe & ridendum præberet cunctis, qui contendere vellet, omnia jam eſſe reperta, quæ homini prodeſſe poſſint, nec quidquam ſupereſſe, niſi ut inventis recte utatur. Ipſa quippe redargueretur experientia omnis ævi, quæ alia poſt alia inventa eſſe & hodieque reperiri, & multa ſupereſſe ignota, dubia, & quorum uſus ac cauſæ ignorantur, luculentiſſime docet. Præterea ipſa ars inveniendi ne quidem in ſyſtema genuinum redacta proſtat, cum aliæ ſcientiæ & artes diſtincte explicatæ & demonſtratæ complures habeantur. Verſatur ergo illa adhuc in eo confuſionis & velut infantiæ ſtatu, in quo nondum loqui & diſtincte ſe aliis perſpiciendam præbere poſſit, & in quo olim fuere diſciplinæ philoſophicæ, mathematicæ, cæteræque, antequam induerent artis & ſyſtematis formam. Idcirco non capax tantum plurimorum incrementorum, ſed & admodum indiga eſſe perſpicitur ars noſtra inveniendi.

Nonne res inexhauſti uſus dicuntur, quarum uſus omnibus ſufficit hominibus, iisdemque patet quoties eodem indigent

gent (§. 198. *P. II. Jur. nat.*)? Sed artis inveniendi uſus nec hactenus exhauſtus eſt, nec exhauriri unquam in hac vita poterit, ſemper omnibus ſuffecturus profuturusque, qui illo indigent. Quod & inde confirmari poteſt, quia infiniti creatoris opera tanta abundant varietate, tantaque quælibet earum uſus copia, ut finita mens vix unquam in his, nedum in infinitis Dei theſauris, omnia ſit perſcrutatura & perceptura. Artes quoque & ſcientiæ humanæ incrementis egent, quæ aliunde haberi non poſſunt, quam ex arte inveniendi, ejusque incrementis.

Ea eſt rei & mentis quoque finitæ indoles, ut quidquid capere naturaliter debet, capere nequeat niſi in progreſſione continente hujusmodi, qua ratio conſequentium in antecedentibus internis externisque eam afficientibus habetur (§. 837. *Ontol.*). Hinc & facultas inveniendi non niſi frequenti & diuturno exercitio in habitum abire, nec habitus adoleſcere & perfici poteſt, niſi continuato, auctoque ſubinde & emendato ipſius exercitio. Perpetuis ergo opus eſt incrementis, ut ſit & fiat ille habitus ſeu ars inveniendi, quod eſſe poteſt. Præterea veritates omnes ſunt res inexhauſti uſus, cum nemini quidquam decedat, ſi vel alii omnes iisdem in rem ſuam uti velint. Inde mirum non eſt, ſi & novæ veritates, quibus veteres amplificantur, uſum habeant inexhauſtum. Neque fieri ſolet niſi majoris lucri captandi cauſa, ut repertarum uſus aliis invideatur, & ſic inventa per pœnam intercedant rurſus, nec illis prodeſſe queant, quibus ſolis reſervabantur.

§. 406.

Cur heuriſtica in academiis rite coli nequeat?

In ſcholis & academiis aut plane nihil aut perparum incrementi capere poteſt ars inveniendi, aliaque ars & ſcientia docenda. In ſcholis enim pariter ac academiis docendæ ſunt artes & ſcientiæ, quæ in civitate uſu ſunt receptæ (§. 433. *ſeq. P. VIII. Jur. nat.*) & (§. 329). Et in eligendis præceptoribus Profeſſori-

busque non quæritur, utrum invenire novas veritates possint, sed tantum, utrum bene calleant ea, quæ docere debent, docendi dono, diligentia & morum probitate gaudeant (§ 436. *ibid.*). Quam ob rem qui in illis docent perraro tenent artem nova detegendi, ideoque nec exercere illam possunt. Si quid vero illius tenent, distinentur tamen tot aliis docendi laboribus, ut citra neglectum muneris sui plerumque his vacare nequeant. Quando vel datur, qui inventorem agere potest, & vellet, nec officio suo esset defuturus, is tamen sumtibus ad nova inveniendа destitueretur propter usitatam salariorum tenuitatem, careretque spe compensationis suorum & laborum & sumtuum. Proinde nisi insolitæ adsint rationes, usum artis heuristicæ suadentes, abstinebit ab eodem, & officii causa utiliora sibi agere malet. Denique si & exerceat eandem, nec sine fructu, unius tamen opera ipsa ars inveniendi perparum capiet incrementi, propter cætera, quæ ipsum circumstant, impedimenta, difficultatemque inveniendi res magni momenti, quam experientia attestatur.

Quemadmodum qui aliis distringuntur officiis publicis, licet eruditissimi sint viri, reditibusque & opibus affluant, tamen perraro vacare novis rebus detegendis possunt, negotiorum suorum cæterorumque officiorum familiæ mole præpediti: ita majori onere operarum publicarum pressi defatigatique docentes multo magis propter cætera obstacula memorata avocantur a colenda arte inveniendi, & si quid illis fortuito occurrit, id vel ipsi non persequuntur sed negligunt, vel parvi penditur ab aliis & perit. Aliis ergo usibus cum scholæ publicæ academiæque destinentur, & satis negotii imponant docentibus in illis: simul illæ incrementis artis heuristicæ, uti par est, vacare atque satisfacere non possunt. Quo asserto nihil detractum cupimus illis, qui in academiis ita eminent, ut inventores agant.

Neque

Neque reliquis artibus & ſcientiis multum incrementi in ſcholis academiisque exſpectandum, propter formanda diſcipulorum ſtudioſorumque ſtudia in veritatibus uſu jam receptis diſcendis & exercitio in praxin & habitum transferendis (§. 321.). Præterea & mores diſcentium in academiis ſunt formandi, & cognoſcendum de iis, quæ vel contra ſe invicem vel contra alios ſunt perperam admiſſa, ne proficiendo in literis, deficiant in moribus non minori cum diſpendio civitatis. Quæ cum ſat negotii & ſæpenumero plus quam ſatis eſt docentibus faceſſant, ut penſis his ſatisfacturi defatigentur avocenturque a disquiſitionibus ad incrementa artium & diſciplinarum neceſſariis, vix aliter fieri poteſt, quam ut perraro in ſcholis academiisque docentibus reſtet ad nova eruenda, ſaltem data opera meditanda.

Non quidem omnino negandum eſt, nonnunquam in ſcholis academiisque novas inventas eſſe artes & ſcientias, præſertim tum, quum vix ullæ proſtarent, ætate Socratis, & Ariſtotelis. Sed poſt ea tempora & noſtra ætate raro id contingit, licet negari nequeat, ſectas ſubinde novas excogitari, captandi applauſus cauſa apud novitatis ſtudioſos. Quodſi ad emendationem errorum fieret, laudem mereretur; quando vero aut olim damnata ex orco revocantur, aut deteriora melioribus ſubſtituuntur, vel nudæ aluntur logomachiæ, novaturiendi ſtudium jure damnaretur & probo cuique eſt fugiendum.

§. 407.

Opus eſt ſocietatibus & academiis inventricibus.

Cum ſcholæ publicæ academiæque incrementis artis inveniendi cæterarumque artium & ſcientiarum, uti par eſt, vacare & ſatisfacere nequeant (§. 406.); illa tamen incrementa ſint neceſſaria (§. 405.) & conjunctis viribus promovenda (§. 404.): manifeſtum eſt, in civitatibus cultioribus *opus eſſe aliis ſocietatibus & academiis, eum in finem conſtituendis, ut ſcientiæ & artes novis augeantur incrementis* (§. 438. *P. VIII. Jur. nat.*). Quemadmo-

admodum genere humano multiplicato pluribus, quam antea opus est academiis doctricibus: ita quo magis multiplicatur genus humanum, eo pluribus opus erit rebus & usibus novis, inde & artibus & scientiis, quibus honeste aluntur. Cui consequens est, *eo pluribus, eoque magis excolendis academiis inventricibus opus fore, quo plus crescet hominum cultiorum cœtus.* Cum vero nec res omnes, quæ hominibus utiles esse possunt, jam perspiciantur, neque omnes rerum notarum usus jam pateant: *academiæ inventrices necessariæ sunt, tum propter res & causas rerum ignotas detegendas, tum propter novos rerum notarum usus reperiundos;* item *propter notos jam usus amplificandos & dubia atque incerta extra dubium collocanda.* Possunt hæ *societates* vocari *inventrices*, & quia academiarum nomen ipsis vulgo tribui consuevit, *academiæ inventrices* dici mererentur, ut a docentibus vel doctricibus discernantur. Quanquam Societatum nomen generale & modestius rectius illis tribueretur, quæ artium tantum incrementis operam darent; academiarum nomine illis attributo, qui scientiarum incrementis sunt destinatæ.

Nota usuque recepta est artium & scientiarum distinctio, & quæ nomen academiarum usu cepere scholæ sunt superiores, in quibus scientiæ docentur; artes autem ubi docentur, eæ tantum societates vel tribus sunt magistrorum illius artis. Quapropter aptius & usui recepto convenientius foret, si academiæ inventrices scientiis locupletandis; societates vero inventrices artibus locupletandis attribuerentur. Sed quia academiæ aliquid sublimius sonant, & societates modestius quidpiam: permittendum est, ut modestiæ litantes suam academiam dicant societatem; & majores titulos affectantes suam societatem dici malint academiam. Nomen enim rem non mutabit, & forte propter nobilitatem personarum & Protectorum excusationem merentur.

§. 408.

§. 408.

Quæ privato inſtinctu ſumtuque incrementis ſcientiarum artiumque operam navant, illæ *ſocietates inventrices privatæ*; quæ autem publica autoritate & impenſa iisdem incumbunt, *publicæ* dici merentur. Quare cum alterutra ratione ejusmodi ſocietates inſtituendæ ſint & ſubſiſtere poſſint, *ſocietates inventrices aut privatæ erunt aut publicæ*. Publicæ vel omnes ſumtus & honoraria ex publico ærario habent, vel potiores tantum, & alios privatis debent donationibus inter vivos aut mortis cauſa. Privatæ vel propriis ſociorum ſumtibus & ſymbolis collatis de incrementis artium aut ſcientiarum, quas ſibi propoſuere, ſolicitæ ſunt; vel aliorum privatorum ſumtibus, ſeu legatis inſtitutisque aut aluntur aut adjuvantur. Privatorum aliæ publica autoritate approbatæ ſunt & privilegio munitæ; vel ſatis habent, dum vel tacite ſui potius quam aliorum cauſa ulterioribus ſtudent progreſſibus, vel & in publicum ſuos proferunt labores & libros, & communi orbis eruditi applauſu fruuntur.

Hæ ſocietates vel privatæ ſunt vel publicæ.

Cui volupe eſt, inquirat, num ejusmodi ſocietates primum omnium privatis an publicis auſpiciis cœperint? De Principe romano *Friderico Cæſio* memoriæ prodididit *Janus Plancus* in edito *Fabii Columnæ* φυτοβασανῳ, illum anno 1603. decimo octavo ætatis anno, inſtituiſſe academiam Lynceorum. Cui apoſphragisma dedit lyncem gradientem in corona civica, addita Pallade galeata, quæ dextra tenet haſtam, cui circumtortus eſt ſerpens, læva gerit ſcutum, in quo exſculpta eſt arbor coronata, ad pedes a dextra ſedet canis, a ſiniſtra noctua ſuper lucernam ardentem. Legum academiæ princeps erat, ut Matheſis, phyſica & hiſtoria naturalis coleretur, lynceis oculis veritatem quærendo; item, ut quisque ſociorum pro re nata & viribus aliquid ſcriberet, quod humanam ſcientiam ampliaret & utile foret. Quem in finem ſocii in ædibus Cæſii convenerunt ſtatis diebus, obſervationes & meditationes ſuas communicantes

conferentesque. Ipse socios honoris causa diplomate decoravit cum apposito signo supra dicto, item annulo aureo, cui inclusus erat smaragdus, lyncem insculptum gerens & nomen: *academia.* Præterea socios & blando alloquio & donis subinde cohonestabat, eosque in libris edendis adjuvabat. Senior sociorum erat *Jo. Bapt. Porta*, qui Cæsio duos inscripsit libros, alterum de destillatione 1605., alterum de aëris transmutationibus seu phænomenis A. 1614. Hanc *Plancus* primam statuit academiam scientiarum, quod assertum in medio relinquo, cum & florentini essent audiendi, & qui Pii II. Papæ Collegium laudant, cui inerat *Platina p. 649. de vitis Pontificum* & id unice addo, si hæc ita sint, academiam illam privatam potius quam publicam dicendam esse, licet Cæsius princeps, Marchio & Baro dicatur. Societas scientiarum anglica procul dubio privato cœpit amore Physices, septem eruditorum virorum, quos Thomas Birchius *in the History of the royal society of London fromits First Rise* ab anno 1645. docet ibi semel quavis hebdomade convenisse, ut suis luminibus & observatis se mutuo in ea perficerent. Anno enim 1662. demum privilegio regio instructa, & regiæ societatis nomen indepta est. Legere me olim memini, quod hic confirmatur. *Theodorum Haakium* Palatinum ibi residentem eruditos ad se primum ita invitasse, quos nominat *Wallisius in præfat. ad Langtoftii Chronic.* nec dissimulabo in vita Hevelii laudari privatos doctorum virorum conventus, Hevelium per annum 1631. Londini detinentes, qui præludia societatis hujus dedisse perhibentur in Erläut. Preuß. *Tom. II. p. 239.* Non opus est, ut plura addam exempla, quæ rerum literariarum peritis sponte succurrent; cæteris vero occurrent, quando sequentia legent.

§. 409.

Item vel historicæ vel dogmaticæ, vel mixtæ.

Ratione rerum, circa quas occupantur societates inventrices, aliæ sunt rerum singularium, uti historiarum; aliæ communium seu universalium. Quarum illæ appellari possunt *historicæ;* hæ vero *dogmaticæ.* Hæ vel sunt *societates scientiarum,* vel

vel *artium* incrementis intentæ. Conſtat inter omnes, hanc diverſitatem olim eſſe animadverſam, ipſisque nominibus indicatam. Pariſiis fere ex medio præteriti ſæculi diſtinctæ ſunt academiæ gallicæ, inſcriptionum & ſcientiarum. Hiſtoricarum academiarum exempla offert Lisbonenſis & Fuldenſis. Dantur quoque academiæ mixtæ, quæ & hiſtoricis & dogmaticis veritatibus ſcrutandis operantur. Hæc *mixtio* vel eſt *naturalis*, vel *arbitraria*. Illa complectitur illas res ſingulares, quæ communibus ſubſunt, & a quibus communia abſtrahuntur. Ita ſocietas phyſica naturaliter Hiſtoriam naturalem, & ſocietas aſtronomica hiſtoriam aſtronomiæ includit. Hæc autem verſatur circa dogmata & hiſtorias, quæ nequaquam inter ſe connectuntur. Exempla ſuppeditant claſſes academiarum Petropolitanæ & Berolinenſis.

Si quis ambigat, num in hiſtoriis locus ſit ſocietatibus heuriſticis, forte quia autumat, facta præterita eſſe credenda, non invenienda: ei in mentem revocanda eſſet hiſtoriarum natura, quæ haud raro laborioſa indiget diſcuſſione. E. g. quando ſpuria a genuinis, corrupta a ſinceris, vera a falſis, certa ab incertis ſunt acute diſcernenda; vel quando e veſtigiis pæne obrutis, tanquam ex ungue leo eſt oſtendendus, quando e contradicentibus vera factorum indoles hariolanda & dubiis fides eſt facienda, & quæ ſunt alia difficiliorem indaginem & criticam poſcentia. Quam in rem faciunt notata ad §. 312. *P. I. Ethic.* ubi *hiſtorica profunditas* adſtruitur, inferens explicationem dependentiæ facti præteriti a multis aliis. Vt enim analyſis notionum ducit ad notiones rerum adæquatas: ita analyſis facti in alia antecedentia & in cauſas, unde ejus determinatio pependit, adæquatam illius parit notionem.

§. 410.

Academiæ ſcientiarum locum non habent, niſi quatenus in his dantur nova invenienda aut emendanda. Academiæ enim ſcientiarum non requiruntur niſi propter nova incrementa iisdem

In quibus ſcientiis academiæ inventrices dentur.

com-

comparanda (§. 407.) Sed apertum eſt per ſe, ubi nec emendanda dantur, nec nova invenienda, ibi nulla locum habere incrementa. Quapropter quatenus in ſcientiis dantur, quæ nec emendatione indigent, nec novorum adinventione; eatenus non egent academia inventrice. Quatenus vero in ſcientia quadam dantur confuſa, dubia, erronea, manca; aut quatenus illi deſunt quædam ad perfectionem ipſius requiſita, eatenus eget incrementis, ab academia inventrice indagandis.

Oracula divina ſolus Deus callet & hominibus impertitur; unde eorum inventores, homines ſuo marte agentes, eſſe nequeunt. Quare paganorum, quæ dicta fuere, oracula, ſi vel ſocietates virorum aut feminarum numinis velut reſponſa interrogantibus edidere, impoſturis fuere accenſenda. Quibus gemina exempla ſacer habet codex *1 Reg. XXII. 6.* & *2 Chron. XVIII. 5. ſeqq.* ubi ſocietas quadringentorum vatum deceptorum, & *1 Reg. XVIII. 22. ſeqq.* ubi 450. Baalitæ occurrunt. Enim vero quatenus hiſtoria, Critica & Homiletica perfici poteſt, vel ipſæ & Hermeneutica ſacra diſſidiis laborant, aut difficultatibus ſuperabilibus; vel quatenus falſa dogmata venditantur pro veris, vera autem pro falſis: eatenus ſocietates literatorum his obviam ire & rectiora inveſtigare, nihil habet a re alienum nec inauditum. Sic quatenus jurisprudentia verſatur circa leges civibus latas & ſancte obſervandas; eatenus ſocietati literariæ nullum eſt jus eas convellendi, novasque ſubſtituendi pro ſuo arbitratu. Sed quatenus ab iis, quibus jus eſt leges ferendi, vel veteres ſunt abrogandæ & novæ inveniendæ, vel priores augendæ explicandæve: eatenus illa invenienda ſunt collegiis JCtorum, qui conſiliarios agunt legum ferendarum, & legislatori. Similiter veterum legum interpretatio, antinomia, veræ rationes, hiſtoria & ſimilia admittunt plurium perveſtigatorum operas ſociatas. E quibus patet, num & cur academiæ theologicæ & juridicæ dari queant aut nequeant, & occurrant.

§. 411.

§. 411.

Potissimum scientiæ medicæ, philosophicæ, mathematicæ & philologicæ requirunt academias inventrices emendationum & incrementorum, quibus indigent. Quatenus enim in scientiis dantur, quæ vel emendanda sunt, vel demum invenienda, eatenus indigent academiis indagatricibus (§. 410.). Sed nemine diffitente, multa supersunt in scientiis medicis, philosophicis, mathematicis & philologicis, quæ vel limam desiderant, vel lucem majorem, vel detectionem. Potissimum igitur scientiæ medicæ, philosophicæ, mathematicæ & philologicæ inventrices requirunt academias & emendationum, quibus indigent, & incrementorum, quibus ad majorem gradum perfectionis perducantur (§. 313.).

In quibus potissimum requirantur?

Facultatis medicæ variæ dantur scientiæ, quæ partim ad eam præparant, ut anatomia, materia medica, botanica, chemia, partim eandem constituunt, ut Physiologia, Pathologia, Semiotica, Therapeutica, diætetica, & casus medici forenses, denique chirurgia. Philosophiæ & Matheseos partes satis sunt notæ. Philologia vero comprehendit Grammaticam, Criticam, Rhetoricam, poësin. Inde simul perspicitur, quomodo dividi possint societates in emendationem & locupletationem scientiarum instituendæ. De eo enim, an ita institutæ prostent, non quæritur, neque, ubi & quando institutæ & quomodo vel olim fuerint vel nunc sint. Antequam fuerunt illæ, quæ dantur, academiæ inventrices erectæ, tantum formari potuerunt, æque ac illæ, quæ nunc nondum sunt, formari tamen possunt, & forsitan aliquando formabuntur.

§. 412.

Quo plura supersunt in scientiis & artibus emendanda & adinvenienda, quæ uno nomine desideranda dici possunt, eo magis, eoque pluribus opus est academiis repertricibus. Neque enim opus est societatibus indagatricibus, nisi quatenus in scientiis artibusque

Vbi præcipue opus sit academiis heuristicis.

ſuperſunt emendanda & nova reperiunda (§. 410.). Inde potiſſimum in illis opus eſt iisdem, ubi multa ſuperſunt excutienda rectius & detegenda (§. 411.). Quo circa evidens eſt, magis neceſſarias ibi eſſe illiusmodi ſocietates, ubi plura reſtant deſideranda, quam ubi pauciora; item quo plura ſuperſunt deſideranda, vel quo minus excultæ ſunt artes & ſcientiæ, eo plures quoque inſtituendas eſſe academias inventrices.

Poſſet quoque id urgeri, quo major eſt futura neceſſitas utilitasque rerum inveniendarum, eo majori ſtudio illas eſſe quærendas, eoque plurium operam in iſtud ſcrutinium eſſe conſociandam. Sed ſola prævîſa utilitas inventi, & credita neceſſitas, nequit efficere, ut inventio ideo ſit in poteſtate humana, v. c. lapidis, quem dixere, philoſophici, perpetui mobilis, longitudinis marinæ. Sed quæ poteſtatem humanam excedunt, in eis fruſtra poneretur vel omnium omnino hominum ſtudium & ſocietas vel ſummo inveniendi ardore accenſa. Præterea rerum, quæ detegi poſſunt, & detectæ ſunt, momentum ſæpe ignoratur & negligitur, e quibus tamen alio tempore utiliſſima derivantur. conf. §. 354. *P. I. Ethic.*

§. 413.

In rebus inventu poſſibilibus.

Quia ad ἀδύνατα nemo obligatur, & eorum nulla vel irrita eſt perveſtigatio, quæ non ſunt in poteſtate humana (§. 209. *P. I. Phil. pract. univ.*): manifeſtum eſt, *ſocietates inventrices locum non habere, niſi circa res, quæ ſunt in humana poteſtate.* Curandum igitur, ne inepte inſtituantur circa res, de quibus nulla ſpes eſt, eas detegi poſſe; nec commenta & ludibria ingenii & phantaſiæ humanæ confundenda ſunt cum inventis, aut pro iis venditanda (§. 372. *ſeqq. P. I. Ethic.*). Sunt nempe non ea tantum ſupra vires humanas poſita, quæ contradicunt ſibi aliisve manifeſtis veritatibus, & quæ vires infinitas requirunt; verum quoque ea, quorum detectioni inſuperabilia nobis

bis obstant impedimenta, & quorum principia, unde haurienda essent, desunt, nec spes ea detegendi ostenditur. Ea vero non extra potestatem esse liquet, quorum possibilitas explorata est, item, quorum quædam specimina jam in manibus habentur, aut quorum similia jam eruta habentur.

Comparari possent temeraria rerum vires excedentium tentamina conditoribus turris babelicæ, qui nomen sibi parare immortale cupiebant ex turri editissima; vel cum protoplastis commentitiam cum Deo similitudinem esu fructus vetiti affectantibus. Haud absimilis foret amentia, si qua societas perforare tellurem, saltem puteum effodere, usque ad centrum telluris, scrutandorum ejus viscerum & structuræ detegendæ causa, auderet. Iter in lunam, navigatio per aërem, prævisio fortuitorum, & Chrysopoëtica ejusdem forent dementiæ. Nebucadnezar similiter magos jussisse fertur detectionem somnii sui una cum ejus interpretatione *Dan. II. 2.*

§. 414.

Quomodo testato is error ad ἀδύνατον delapsus sit corrigendus.

Si quis per errorem instituisset societatem, & præmia sciscitaturis quæ reperiri humana arte nequeunt, ejus institutum recte transferetur ad alia, quæ non sunt extra potestatem. Aut enim irritum esset declarandum & ineptum omne institutum, aut erit tuendum, quantum fieri potest. Illud iniquum foret & animo generi humano inserviendi adversum, cui animo satisfieri potest, errorem ipsi condonando, eique vera substituendo, quæ credidit se spectasse. Quod cum humanius sit æquiusque, vertendum est institutum ab iis, ad quæ obligare nequit, ad ea, quæ inveniri possunt, tanquam sola objecta inventionum procurandarum (§. 413.). Ideoque si quis commune bonum inventis novis promoturus vel societatem instituit, vel saltem præmia proposuit sciscitaturis, quæ reperiri nequeunt humana ope, ejus institutum recte conferetur in talia, qualia in animo habuit bona veriora procuranda.

Officium hoc idem est, quod viventi præstandum fuisset, si errorem suum perito cuipiam detexisset. Is nempe illum docuisset rectiora, erroremque eidem exemisset, ut meliora edoctus in vera inventa promovenda voluntatem suam convertisset. Quod viventi præstari non potuit, quia vel nemini dixit testamento inserta, vel erroris convictus non est; id mortuo præstandum est, boni publici causa, quod spectavit, vera erroneis statutis substituendo. Quod & honorificentius ipsimet est, quam si erroris causa absonus judicaretur, testamentumque declararetur irritum, velut hominis insanientis. Si recte recordor, Gallia eiusmodi exemplum vidit, & erronee statuta ad veritatem reduxit. Interdum tamen ea molienti, quæ fieri non posse eventus docet, alia occurrunt, in quæ alias non incidisset, ut inventori pulveris pyrii.

§. 415.

Aliter statuendum de dubiis & difficilibus.

Nequaquam idem statuendum est de dubiis & difficilibus, quæ non nisi longo tempore ad liquidum perduci & superari possunt ac debent. Etenim quæ dubia videntur, aut & improbabilia, possunt tamen esse vera (§. 592. *Logic.*). Quapropter in his liquet, id esse & fieri posse. Sed illa tantum non sunt objectum societatum hevristicarum, quæ agnoscuntur extra & supra potestatem humanam esse (§. 413.). Quam diu igitur quæ dubia sunt & in se difficilia non intelliguntur transcendere captum humanum, tam diu his operam dare sociatis viribus, nihil vetat. Immo eo magis studendum est, & eo plurium vires sunt sociandæ, ad tollenda dubia, & liquida ea facienda, & ad difficultates superandas.

Incitant ad heroica eiusmodi conamina exempla majorum, qui res arduas, de quibus dubitari potuisset, an unquam intellectus humanus ad eas subigendas esset perventurus, intrepide aggressi sunt, strenuo & indefesso studio difficultates se obiicientes e medio sustulere, & res hodieque iis incredibiles, qui artis illius sunt ignari, effectui dedere & dant subinde

Quis credidiſſet unquam perveſtigari leges motus ſiderei, phænomena luculenter explicari demonſtrarique, & tandem futura prædici, & per omnia tempora elapſa ſiderum ſitus motusque a nemine obſervatos conſignatosque ita redhiberi poſſe, ac ſi nunc ea in cœlis ſpectarentur?

§. 416.

Academiæ hiſtoricæ occupari poſſunt vel circa res naturales, vel circa res humanas. Hiſtoriæ enim recenſent facta, quæ vel ſunt Dei, vel hominum. Dei facta, quæ ratio perſpicere nequit, diſcenda ſunt ex revelatione divina. In his ergo occupari inventio humana nequit (§. 413.). Facta autem Dei per naturam & in natura rerum conditarum inveſtigari ope rationis poſſunt & debent, ut propterea celebretur. Circa hæc ergo, quæ vulgo facta naturæ dicuntur, occupatur hiſtoria naturalis (§. 745. *Logic.*) & ad eius incrementa provehenda tendere debent *Academiæ Hiſtoriæ naturalis* indagatrices emendatricesque. Quæ ideo vel verſantur circa *res cœleſtes*, vel circa *terreſtres*. Cœleſtis vel obſervata *ſiderum phænomena* recenſet, emendat & ſupplet, ubi fieri poteſt; vel *meteora* omnis generis v. c. auroras boreales &c. Terreſtris vel verſatur circa ſimpliciora, ætherem, aërem, aquam, terram; vel circa mixta, nempe regnum *minerale*, vel *vegetabile* vel *animale*. In regno minerali creſcunt terræ, lapides, ſalia, ſulphura, & metalla. In vegetabili propagantur aquatilia & terreſtria, utrobique arbores, herbæ, fungi, muſci. In regno animali gignuntur homines & beſtiæ; hæque vel terreſtres, vel aquatiles, vel amphibiæ. Quarum potiores dant hiſtoriam quadrupedum, avium, piſcium, vermium & inſectorum (§. 746. *Logic.*) Huc pertinet quoque ratione rei hiſtoria experimentorum (§. 747. *ibid.*). Facta humana ſingularia ſeu privata narrantur in biographiis, cummunia in hiſtoria civili, eccleſiaſtica, literaria & artificiali,

Diviſio academiarum hiſtoricarum.

ad quam & machinæ opificum artificumque referuntur (§. 745. 748. *seq. Logic.*). Neque antiquitates hic excludendæ sunt, lucem scriptis antiquorum fœnorantes. Circa singulas hasce historias earumque species institui posse academias historicas, per præmissa planum est.

Num jam sint institutæ ejusmodi academiæ historiarum cultrices, nec ne, parum nostra refert, modo liqueat, quod hic docendum est, eas publicæ salutis causa institui colique posse. Videntur de historia astronomica solicitæ fuisse societates chaldæorum babylonicæ, quarum observationes annorum 1903. feruntur a Callisthene favore Alexandri M. ad Aristotelem missæ, si Porphyrio fides habenda. Si Epigeni potius credendum, observationes 720. annorum ibi coctilibus lapidibus inscriptæ fuerunt, notante *Plinio Hist. nat. L. VII. c. 56.* Historiam naturalem promovisse Alexandrum M. missis quaquaversum observatoribus rerum naturalium, inter omnes constat, & ex Aristotelis ac Theophrasti operibus elucescit. Qua in re imitatus ipsum est C. I. Cæsar atque Augustus, ut alibi ostendimus. Conjungi passim solere nunc historiam naturalem cum Physicis academiis supra notavimus, & res ipsa testatur. Optandum esset, ut ad historiam literariam, philosophicam, mathematicamque excolendam itidem societates quædam coalescerent, quod nunc parcius fit, dum vel seorsum specialia quædam dantur vel societatibus scientiarum aut bonarum artium quædam interdum obiter velut inferuntur. Civilis & ecclesiasticæ historiæ emendandæ amplificandæque quædam societates liberalem iam operam impendere in Gallia, Italia, Hispania, Germania &c. coeperunt. Vpsaliæ an. 1668. ortum est collegium antiquitatum. Suppeditare historiæ studium principia & materiam scientias stabiliendi, augendi & evitandi labores iam actos, vix opus est ut moneam, post ea, quæ illustris Wolfius passim notavit.

§. 417.

Divisio aca- *Medicæ academiæ vel theoreticæ esse possunt vel practicæ.* Omnium

um confeſſione conceditur, & in diſciplinis theoreticis & in practicis multa deſiderari, quæ ſucceſſu temporis detectum iri ſpes non decollat. Majorem deſiderat lucem perfectionemque in variis capitibus anatomia, chemia, botanica, materia medica univerſa, Pharmacia, phyſiologia &c. Neque pauciora occurrunt deſiderata in uſu morbos eorumque cauſas rite eruendi ac internoſcendi, optime eosdem ſanandi, prævertendi, & diætam ordinandi, in tanta varietate naturarum humanarum, vulnerum lethalitatem ſimilesque caſus forenſes ad veritatis & conſcientiæ normam decidendi, & chirurgiam in rebus arduis, & obſtetriciam dirigendi, moderandi & perficiendi, e prognoſticis eventum prædicendi, & quæ alia ſunt officia medicinæ non empirico ritu faciendæ. In his igitur inveniendis, quæ latent, & firmandis atque locupletandis, quæ quadamtenus patent, deſudandum eſſe conjunctis viribus, facile omnes largirentur, niſi aureæ praxis ratio alios ad nota exercenda vocaret, alios invidia urgeret, in iis, quæ reperere, communicandis, alios officium rei faciendæ contineret, nulla ipſis propoſita ſpe indemnitatis. Ineundas igitur eſſe ſocietates medicas inventrices, indemnesque præſtandas, cum theoreticas, tum practicas, relinquitur e diſputatis (§. 412.).

demiarum medicarum.

Ortæ inde ſunt paſſim ſocietates in rem medicam emendandam augendamque inventis ſuis deſtinatæ. Societas cæſarea naturæ curioſorum, maxima ex parte e medicis conſtat & circa res medicas potiſſimum occupatur inde ab anno 1662. Utrum vero præmiis & indemnitate gaudeat, quibus incitetur ad inventa magni momenti procuranda & propalanda, eaque magno numero habeantur in editis eius voluminibus, id aliis diſceptandum relinquo. Nota quoque eſt Berolinenſis chirurgica & medica, Edimburgenſisque academia medica, & quæ Vratislaviæ olim fuit, ediditque ab anno 1717. die Breßlauiſche Samlungen von Natur- und Medicin-Geſchichten; item quæ commercium

cium literarium Norimbergæ publicavit. Parisiis olim floret societas medica & chirurgica, quarum lis de principatu nota est. Chirurgus regius *de la Peyronie* societati chirurgicæ nuper legasse fertur quadringenta librarum millia, quarum pars quarta theatro Monspeliensi chirurgico exstruendo dicata est. Quingentas quotannis libras destinauit præmio autoris, qui cæteros in tractanda re proposita vicit; totidem pro cursu obstetricio tradendo, 3000 Secretario academiæ chirurg. singulis 4 demonstratoribus 500, singulis eorum 5 adjunctis 900, & cuique academicorum 40 sociorum numos argenteos &c.

§. 418.

Divisio academiarum philosophicarum.

Similiter Philosophiæ & theoreticæ & practicæ perficiendæ peculiares tribui possunt academiæ inventrices. In Logicis desideratur ipsamet exactior ars inveniendi potissimum, & perfectior Dialectica seu Probabilium excussio (§. 74. *Disc. prælim. Logic.*). Methaphysicæ controversiæ agitantur etiam nunc, & fundamenta ac principia omnis certæ cognitionis convellere nituntur, ubi præ cæteris necessarius esset consensus experientia duce. Physicæ defectus plurimos in omnibus ipsius partibus nemo non agnoscit. Protopracticæ prima ætas, & Juris naturæ ambitus amplissimus perfectiora a conjunctis viribus nos sperare jubent. Theologiam ad Metaphysicam non sine ratione retulit *Baco de Verulamio*; rerum causa vero Physicæ est adjungenda, & parum adhuc exculta. *Conf.* §. *107. Disc. præliminar. in not.* Ethicæ, œconomicæ & politicæ multa addi posse nemo ignorat, nisi hospes in his disciplinis, aut præjudicio autoritatis laborans (§. 449. *P. VIII. Jur. nat.*). Nec in ipso hoc Systemate Wolfiano varia deerunt, quæ id ipsum commonstrent. Proinde & in practica & in theoretica Philosophia excolenda & ad majorem perfectionis gradum evehenda consociatis cordatiorum operis studiisque contendendum esse conficitur. (§. 411. *seq.*).

Eruendæ

Eruendæ artis inveniendi cauſa in quibusdam ſcientiis & artibus laboratur, & intra ſæculum plura inventa ſunt, quam antea intra millennium. Quod in mathematicis, Phyſicis, & artibus nonnullis luculentur patet. Generalis tamen artis inveniendi cauſa, nulla hactenus inſtituta eſt ſocietas, cum tamen illa & principia, & methodos omnibus ſectandas eſſet ſuppeditatura, ſine quibus difficulter atque velut tentando & palpando tantum progredi inventores poſſunt. Syſtemate autem & ſcientia artis inveniendi inſtructi ſuperſedere poſſunt fruſtraneis multis conatibus, quibus verſantes in tenebris occupantur & vel nihil vel parum proficiunt. Verſantes ergo in tenebris & confuſione non niſi tardos ſentiunt progreſſus, cæcutiunt, & impeditos ſe ſentiunt innumeris difficultatibus. A quibus liberati & velut in plenum diem translati multo facilius acutiusque viderent quid ſit agendum & quo modo, quid fugiendum.

De veriſimilitudine in negotiis privatis & publicis eadem fere ſunt ſtatuenda, licet illa excultior rectius inſtituendis rebus, plurimisque malis tollendis, bonisque innumeris conſequendis & conſervandis eſſet profutura, & in conſiliis graviſſimis requiratur. Quo amplior eſt uſus principiorum metaphyſicorum in omni reliqua eruditione, eo major opera conjunctis viribus eſſet navanda, ut omnis quæ haberi poteſt firmitas eorundem obtineretur, & dubia atque errores profligarentur. Non enim niſi immotis fundamentis ædificia ſolida ſuperſtrui poſſunt, & fundamentis ſubrutis una ſubvertuntur & corruunt. Quod itidem valet in ſcientiis, artibusque & earum ſyſtematibus.

Hinc metaphyſicis opus foret academiis tum ad ontologiæ theorias inconcuſſas faciendas, & ab ignorantiæ & confuſionis nebulis liberandas, quibus eas involvere, ſuisque erroribus latebras ibi parare alii aliis de cauſis moliuntur. Seorſum talem proſtare academiam, aut & circa cosmologiam, pſychologiam, & theologiam naturalem ſimul occupari non recordor.

Phyſicæ autem academiæ variæ proſtant, quæ quando mathematicas aliasque admiſcere ſolent, academiæ ſcientiarum dici conſueverunt. Ita Academia Scientiarum Londinenſis, ab A.

1662. Florentina, Parisina, Berolinensis, Petropolitana 1724, Bononiensis, Holmiensis, aliæque florent. Londinensis non est in certas classes distributa, sed privatis sumtibus se tuetur, promiscue proposita in ejus consessu actis suis inserens. Parisiensis A. 1666. auspiciis Colberti cœpit suos labores eosque in Historia præmissa digerere solet in capita illa, ad quæ pertinent, physica nempe, mathematica, medica, technica, & eorum partes. V. c. Physica generalis, anatomia, chemia, botanica, arithmetica, algebra, Geometria, Astronomia, Gnomonica, Chronologia, Geographia & Hydrographia, Optica, Acustica, Musica, Architectura, Hydraulica, Mechanica &c. Commentarii vero Historiam sequuntur ordine arbitrario. Berolinenses commentarii in 4 classes dirimuntur, in physicam experimentalem, mathematicam, philosophiam speculativam, & historicam. Petropolitani Commentarii dispescuntur in classem mathematicam, physicam & historicam, quibus subjungi solent observationes astronomicæ.

Philosophiæ practicæ universalis natales tam sunt recentes, ut nemini mirum videri possit, paucos illam tenere, eaque propter illius amplificandæ causa nullam dari Eruditorum Societatem. Juris naturæ multo quidem antiquioris, & quo gravioris momenti veritates continet eo dignioris, cujus scientia diffundatur quaqua versum, & ad omnem, quem habere debet, evidentiæ & amplitudinis gradum evehatur. Sed facile videre licet, quid huic consilio passim obstet, ut potius mirandum esset, talem uspiam extare societatem, quam non extare. Fortassis & in posterum diu hujusmodi academia intra pia desideria subsistet.

Oeconomicæ hoc seculo nonnihil operæ consociatis viribus dari cœpit læto omine, fore ut & in posterum societates œconomicæ continuentur, tum ubi jam excoli cœperunt, uti in Germania, Gallia, Anglia, Suecia, Dania &c., tum ubi nondum sunt receptæ, oriantur. Hujusmodi enim societatum utilitas in omni genere vitæ emolumenta sperare jubet.

Politicis societatibus ipsæ videntur obstare civitates, tanquam quæ jam sunt vel esse debent ejusmodi academiæ politicæ, in qui-

quibus & inveniantur & exerceantur jugiter quæcunque ad salutem publicam requiruntur. Collegia consiliariorum diversa totidem esse deberent academiæ civiles sublimiores, autoritate simul imperioque gaudentes, quo aliæ carent; nisi quis Persarum & Chaldæorum magos, Sinensiumque Mandarinos considerari velit, qui soli omni imperio potiuntur. Interim jam agnitum est, ne sic quidem multum profici, cum collegia ista subsistant in illis rebus, quæ plerumque accidunt, & tritæ usu adeo sunt, ut parum habeant difficultatis, si cognitio historiæ civilis, similium rerum ante actarum eventus offerens, ususque rationis & prudentiæ accedat. Manere plerumque solent consilia in calle trito, quam diu disquirere, num qua his meliora haberi possint. Inde sub initium hujus sæculi a Ludovico XIV. Rege Galliæ, autore Marchione de Torcy constituta est academia politica (de la Politique) ut in ea secretiora reip. & cæterarum, quibuscum negotia publica intercedere consueverunt, una cum linguis exoticis exercerentur a viris Historia, Philosophia & humanioribus literis probe imbutis, genere & moribus egregiis. Jubebantur illi in Grotianum Jus belli & pacis commentationes breves, aliasque deductiones conficere. Quem in finem ipsis subministrabantur acta haud vulgaria, negotiationes, Tractatus, fœdera secretioris tabularii, duce peritissimo Ministro, quibus ad altiora, futuraque negotia felicius expedienda instruebantur. Vid. *Wallinii Lutetia parisiorum erudita.* Vtile sane institutum, quod Regnum Seciæ nuper suum quoque fecit, teste *forma Regiminis a Regina Ulrica Eleonora edita p. 519. in vita Friderici Regis Sueciæ.* Diffiteri tamen nolumus, præparatrices quidem has esse academias ad gerenda negotia publica, præsertim quæ cum exteris sunt tractanda; sed inventrices & tales illas appellari non posse, quales ipsi politicæ, adeoque & saluti publicæ perficiendæ pares essent (§. 457. *P. VIII. Jur. nat.*). Quatenus illi, qui cum imperio sunt in civitate sat habent quod agant, & malent in arcanis esse politicam vel omnia manere uti sunt; eatenus spei parum habetur, usquam talem academiam orituram esse, nisi ubi in manibus Philosophorum omne est imperi-

 um,

um, illique obligationis ſuæ memores, primo ſuæ reip. cauſa in ejusmodi ſocietatem meliorum inventricem exercitatricemque coirent, vel ad illam ineundam civiliter quoque obligarentur a capite ſuo, cujus ſummum eſt imperium. Si exiſtimas privatos ſuis ſumtibus huic mederi defectui debere; parum ita impetratum iri, etiamſi prædiorum quorumdam domini huic negotio ſubdere humeros ſuos vellent, nullo negotio perſpicietur.

§. 419.

Diviſio academiarum mathematicarum. *Si ſeorſum condendæ eſſent academiæ inventrices mathematicæ, illæ vel verſarentur circa Matheſin puram, vel circa impuram ſeu mixtam, quam & applicatam dicunt.* In Matheſi pura quantitates vel diſcretæ vel continuæ eruuntur. Illæ in arithmetica cum vulgari, tum literali ſeu univerſali quæruntur, quæ Algebra vocatur. Hæ in Geometria vulgari, quæ & utramque Trigonometriam involvit; & ſublimiori, quæ circa curvas omnis generis recentiores calculos exercet. Vtrobique ſupereſſe, quæ incrementa complura capiunt, ne ſummi quidem mathematici diſſimulant. Multo vero plura deſideranda occurrunt in matheſi applicata. Applicatur autem vel ad auditum in ſcientiis acuſticis, muſicisque; vel ad viſum in ſcientiis opticis 4, ope hujus porro ad aſtronomiam ſeu motum ſiderum & quæ inde dependent, ut chronologiam, Gnomonicam, Geographiam, quæ & Hydrographiam complectitur. Porro ad motus corporum terreſtrium in Mechanica, ſeu phoronomia, quæ involvit horologiopœam mechanicam cœleſtem animalemque, porro ſtaticam, & hydrodynamicam, & hydraulicam, cum hydroſtatica, arte navigandi, & aërometriam. Denique ad architecturam civilem, militarem cum pyrotechnia, navalem aggerentem in litoribus & portubus, egerentemque, & pontificialem. Sed quo plura in applicata matheſi deſiderantur, eo magis opus eſt, ut ſocietatibus initis, eorum detectio emendatioque obtineri queat (§. 412.).

Agnitæ hæ rationes fecerunt, ut dudum ſocietates quædam incubuerint in ulteriorem matheſeos culturam, nec ſine inſigni illius incremento. Frequentata eſt olim *Societas Arithmetica* in quibusdam civitatibus imperialibus, licet contendere nolim, ejus ſocios omnino ſcopo ſuo pares fuiſſe; ſufficit laudandos eſſe eorum conatus nonnullos. Habetur quoque arithmetica dyadica, tetractica, dodecadica &c. item dactylarithmetica, calcularia &c. Cæteræ partes pleræque adjunctæ ſunt academiis ſcientiarum, uti adnotavimus ad §. præcedentem. Quædam etiam ſeorſum cultæ fuere, uti priſtinis temporibus aſtronomicæ ſocietates fuere inter chaldæos, ægyptios &c. Academias muſicas in rudimentis exhibebant olim phonaſci germanici; perfectiores academia regia muſicæ Pariſienſis 1669. italica dei muſici filaſchiſi, Bruxellenſis,Berolinenſis &c. Academias Architecturæ civilis aluit Roma, Lutetia Pariſiorum 1671. Vienna &c. Academiam militaris Architecturæ vidit Belgium Bruxellis, præmia tribuentem 1716 numismate 50 aureorum. Academiam mechanicarum artium fovet Berolinum. De academia Geographiæ emendandæ Celeb. Franzius adhuc eſt ſolicitus. Architectura, quæ circa aggeres, fluviis & maribus exundantibus objiciendos verſatur, item quæ repagula ſubtus in fluviis & portubus objicit, ne defluant quorſum non debent, & canales agit pro navibus & egerit arenam, moles ſtruit, cataractis fluviorum conciliat indemnitatem navigationis &c., multo cæteris eſt ignotior, eoque magis incrementorum eget.

§. 420.

Academiæ philologicæ vel verſantur circa linguarum puritatem & perfectionem, quæ *grammaticæ & criticæ dici poſſunt*; vel circa rhetoricam & oratoriam, quæ eloquentiam perficere nituntur; vel circa poëſin, quæ varia carminum genera excolunt. Hæ *poëticæ* dici merentur; illæ *rhethoricæ*. Cum multæ dentur linguæ, quarum cultura junctis viribus ſuſcipi poteſt: pateſcit, tot fere dari poſſe academias philologicas, quot dantur linguæ diverſæ, quarum cultura & major nitor deſidere- *Diviſio academiarum philologicarum.*

tur, ſive in ſe tantum, ſive in uſu oratorum poëtarumque. Referri huc poſſunt characteriſtica, Hieroglyphica ſurdorum loquela, calligraphia, cryptolalia varia & ſteganographia, atque apocalyptica (vulgo ars deciphrandi), quæ mentem ſcripturæ occultæ ubi fieri poteſt eruere docet.

Hebrææ linguæ cauſa olim extitiſſe academiam Tiberienſem conſtat, quam ſynagogam magnam dixere, 120 doctis viris conſtantem, quorum Eſra caput fuerit. Cui tribui ſolet ſtupenda diligentia in numerandis verſibus, vocibus, literis adeo, & lectionibus variantibus ejus ævi. Toloſæ exorta perhibetur A. 1324. academia poëtica, quæ græcorum romanorumque ritu de brabeo certaturos poëtas Calendis Maji congregavit, diciturque *Academie des Jeux floraux*, & A. 1694 privilegiis mactata eſt. Romæ viget Academia Arcadum poëtica. Linguæ Italicæ Academia fuit Florentiæ A. 1540. inſtituta, cujus etiam Lexicon proſtat. Dicta eſt *Academia della Cruſca*, uti altera ſcientiarum *Academia del Cimento*. Gallicæ Linguæ academia inſtituta eſt Anno 1615, dicta *Academie Françoiſe*, & poſtea ampliatis pomæriis academia inſcriptionum 1663, Eloquentiæ, & liberalium artium. (*Academie des inſcriptions, de l'Eloquence, des belles lettres*). Germanicæ linguæ expoliendæ cauſa a Principe Anhaltino Ludovico. A. 1617. inſtituta fuit *Academia frugifera* (die Fruchtbringende Geſellſchafft,) cujus inſtitutum ſimul pertinuit ad Eloquentiam & Poëſin germanicam perficiendam. Sed per parum illa præſtitiſſe merito dicatur, æque ac operæ pretium non fecit Bardorum & Phonaſcorum (der Meiſterſänger) ſocietas perantiqua in poëſin & muſicam colendam comparatæ. Hinc meliora dare annituntur in lingua germanica, oratoriam ſimul & poëſin includentes variæ ſocietates Germanicæ, Lipſienſis, Regiomontana, Jenenſis, Göttingenſis, Gieſſenſis. cæt. Latinæ quoque linguæ colendæ ergo Jenæ viget ſocietas latina, in quam ſcholæ latinæ, ubi habentur, pariter incumbere deberent; & in academiis Eloquentiæ & poëſeos profeſſores aluntur. Nec abs re optatur, ut excellentes in linguis profeſſores inter ſe

ſe linguæ Ebrææ alii, alii græcæ, arabicæ alii cæterisque qui poſſent operam daturi non vulgarem ſocietates inirent. Eſt enim omnium veritatum cognitio ſuo loco utilis, earum vero ignorantia damnoſa.

§. 421.

Academiæ artium dividuntur &c.

Artium togatarum & ſagatarum academias cum theoreticas tum practicas dari nihil impedit, ubicunque uberior earum perfectio eas requirit. Quis dubitet, artes pacis & belli, quæ confuſo tantum modo diſcentur & docentur, ad tantum, quantum capere valent perfectionem adſpirare non poſſe? Quo plura ergo in ipſis ignorantur, aut parum exaſciata habentur, eo magis merentur altiorem indaginem & limam in academia inventrice (§. 314.). Hinc & in hiſtoria ac theoria & in uſu artium Reip. præ cæteris utilium & honorificarum opus erit ſupplementis, novisque inventis (§. 449 *ſeqq. P. VIII. Jur. nat.*). Theoria quidem academiis ſcientiarum & artium eatenus tradi poteſt, quatenus in illis dantur viri artium illarum periti, aut ab artificibus ea edocti ſaltem, quibus nunc eſt utendum in judiciis ferendis, & inventis ſuppeditandis. Cæterum, ubi de praxi agitur, ibi opus eſt ſocietate magiſtrorum in ea arte verſatiſſimorum, qui ſe mutuo incitent ad æmulandum, artemque perficiendam ultra uſitatum modulum eas & alios æque perficiant (§. 452. *ibid. ſeqq.*) idem quoque de excolenda ſcientia artis laborare ſociatis ingenii opibus tum valebunt rectius, quam alii eandem tam exacte non callentes cæteris paribus.

Hujusmodi ſunt artes uſitatiores partim *bellicæ*, partim *pacatæ*. Bellicæ militares quoque vocantur, item equeſtres ex parte & in diverſis militum eorumque præfectorum functionibus ſpectantur. Ad has perficiendas reges ipſi & ſummi duces cum ſuo conſilio bellico eo magis attendunt, quo majorem ſentiunt illarum uſum & neceſſitatem in bello. Opus illis eſt vel in bello terreſtri, vel in maritimo. Cujus ratio cum multum differat,

rat, diverſis etiam academiis perfectior artium ibi neceſſariarum cultura indiget. *Academias marinas* habet Gallia Hafniæ, & Ruſſia, quæ ibi 1716. Petropoli condita eſt, ſed magis ad notam jam praxin marinam diſcendam & docendam claſſiarios, quam ad nova invenienda, ad quæ utendum eſſet peritiſſimis navarchis & prætoribus navalibus. Ad pacatas refero academiam mercatoriam, quæ flori mercaturæ augendo præſidet, atque in magnis ſocietatibus Indicis, cæt. habetur; academiam metallurgicam (Berg-Academie), quæ a *Zimmermanno* commendata eſt, & perficiendæ Geometriæ ſubterraneæ (der Marckſcheide Kunſt), detectioni fodinarum, docimaſiæ, chemiæ fructuoſiori, facilitatique effoſſionis & eductionis minerarum conſuleret; academiam fabricarum ſubtiliorum & meliorum omnis generis v. c. vaſorum murrhatorum ſericearum, texturarum, omnisque generis operum manu & arte factorum ſingulari; academiam pictorum & ſculptorum ſtatuariam, cujusmodi eſt Romæ 1669. *l'academia del Diſegno*, quæ & architectonicam includit; & Lutetiæ (ac Berolini 1691.) *L'Academie royale de la Peinture & Sculpture* &c. Taceo chalcographicam, tornatoriam, acupictoriam, cæt.

§. 422.

Hæ academiæ pro arbitrio eliguntur atque miſcentur.

Quia in arbitrio hominum eſt poſitum, quas ſocietates inire & quas in illis ſcientias artesque velint excolere, nec ne (§. 1. *P. VII. Jur. nat.*): mirum videri nequit, alias ſocietates alias ſibi propoſuiſſe & proponere vel ſcientias vel artes, quarum incrementis operam darent. Inde & ab aliis aliæ artes & ſcientiæ junguntur, prout exiſtimant ſe novi quidpiam in illis præſtituros eſſe, ſaltem illius cupiditate feruntur. Proinde *& electio & miſtio harum academiarum eſt arbitraria* (§. 409.), ſive privata tantum, ſive publica autoritate conſtituantur.

Inde & nomina ſocietatum eruditorum ſunt arbitraria & ſæpe obſcura, ut nihil certi innuant. Sic Romana dei *Humoriſti* & alia vocatur *dei fantaſtici*; Patavina dei *ricovrati* & *orditi*, Bonon: dei otioſi. Mediolanenſis *dei naſcoſti*; Ticinenſis *dei affedati*;

dati; Fermenſis *dei Raffrontati;* Viterbienſis, *dei oſtinati;* Parmenſis, *degli innominati;* Ceſenenſis *dei offuſcati;* Alexandrina *dei immobili;* Tarviſiana *dei perſeveranti;* neque clarum eſt, cujus generis ſit *academia problematica*, anonymorum Oliſiponenſis, accuratorum, operoſorum &c. Philarmoniçorum, Philergetarum, &c.

§. 423.

Academiis inventricibus non ſunt adhibendi niſi viri artis & ſcientiæ ſuæ callentiſſimi, Logica practica & arte inveniendi præditi, & in ſcrutinio veritatum indefeſſi. Etenim in academiis indagatricibus artes & ſcientiæ cum emendandæ ſunt, tum novis repertis augendæ (§. 407.). Requiruntur ergo in illis viri his præſtandis pares. Sed nova reperire & reperda emendare nequeunt, niſi qui inventores agere poſſunt, idoneos ad ſcientias artesque perficiendas & novis inventis locupletandas, quæ ſint e re civitatis (§. 440. *P. VIII. Jur. nat.*). Nec ejusmodi inventores poſſunt agere, niſi qui ſciunt quæ nondum nota ſint, & ſi innoteſcerent, reip. eſſent expeditura. Cum vero ignota reperiri nequeant niſi ex notis cum iis, quæ quæruntur, neceſſario aut convenientibus, aut pugnantibus (§. 454. *Pſych. emp*): oportet multas veritates connexas habere perſpectas dicto habitu ad inveniendi quæſita pollentes. Talem apparatum veritatum habere nequeunt, niſi viri ejusmodi rerum callentiſſimi, quod per ſe eſt evidens. Requiruntur ergo ad academias hasce non alii viri, quam rerum, de quibus agitur, callentiſſimi.

Quales academici requirantur in his academiis.

Enim vero quia callentiſſimi rerum præſentium dici illi ſolent, qui tantum veritates, quæcunque jam inventæ habentur de illis rebus, probe tenent, cauſasque earum intelligunt: hi nondum poterunt agere inventores novarum veritatum, niſi præter uſum Logicæ egregium in meditando & perſpicue

ſcribendo artem inveniendi didicerint & in poteſtate habeant. Aliud enim eſt tantum ſcire veritates notas vel & docere (§. 406); aliud ex notis veritatibus ignotas, legitime derivare (§. 404.), quod ſine arte inveniendi fieri nequit, quæ adeo multorum non eſt, hiſtoria omnis ævi teſte. Quapropter præter amplam ſcientiam rerum, de quibus agitur, ad nova in illa re detegenda opus eſt logico habitu meditandi & inveniendi, eoque præditos eſſe oportet, qui repertores emendationum & incrementorum fieri velint. Quinam vero gaudeant arte inveniendi, id ex ipſorum inventis teſtibusque diſcendum (§. 390). Cum vero inventio novarum veritatum ſæpe ſit perdifficilis, præſertim propterea, quod ſyſtemate artis inveniendi deſtituimur: mirum non eſt, ſuſcepta tentamina, quæ promittere novum quiddam videntur, haud raro corvum deludere hiantem. Eaque propter opus eſt, ne inventum quæſiturus, animum deſpondeat, quando uno alterove modo adhibito nihil eſt lucratus. Indefeſſus ergo eſſe debet, in aliis aliisque viis excogitandis, quibus non obſtent illa impedimenta, quæ adhuc eſt expertus, donec tandem in veram perveniat viam, potiundi quæſito.

Juvenes imperitique rerum viri, de quibus agitur, nihil detegere novi poterunt, deſtituti ſubſidiis ad inveniendum requiſitis. Quodſi exiſtimas, ſufficere docilitatem in juvene & imitandi æmulandique ſtudium: re paullo penitius perſpecta, animadvertes tamen & hic ex nihilo nihil fieri, ſed irritum fore ſtudium imitandi alios & æmulandi, quando vires deſunt. Vbi vero deeſt peritia rerum, de quibus agitur, non vulgaris, & præterea habitus inveniendi: ibi deſunt vires ad inveniendum æque neceſſariæ, ac ad volandum vigentes alæ. Quando in academiis alumni adhibentur, hi quoque jam ſunt viri 25. annorum, qui ſtudia debite pertractarunt, & artem inveniendi diſcunt, tot exemplis eorum, quibus adeſſe jubentur, & probe obſervare,

quæ

quæ fiunt, ut primum eadem repetere tum & imitari in rebus ſimilibus diſcant. Niſi enim ſenſim diſcerent exercerentque ea, quæ deinde ipſis ſunt agenda, æque inepti forent ad inveniendum, ac linguæ imperitus ad loquendum, aut muſicæ imperitus ad canendum ſecundum propoſitas muſicorum notas præſertim difficiliores. Cum faciliora plerisque arrideant, difficilia paucis, non multi reperiuntur egregii inventores (§. 404. not.).

§. 424.

Quando Profeſſores arte inveniendi inſtructi ſunt, cæterisque §. 423. *requiſitis, tum eos adhiberi academiis inventricibus poterunt, ſi in docendi munere vel non impedirentur, vel per alios ſubleventur.* Profeſſores enim recte conſtituti gaudent ſcientia, quam docere debent, & donis didacticis (§. 390. & §. 436. *P. VIII. Jur. nat.*). Si ergo præterea inſtructi ſunt dotibus ad inveniendum requiſitis, utique pares erunt quoque muneri inventorum. Sed dotes inventoribus peculiares ſunt apparatus veritatum, quæ principia præbeant quæſita eruendi, ipſa ars inveniendi & diligentia in ejus uſu indefatigabilis (§. 423.). His igitur præditi Profeſſores idonea erunt membra academiarum inventricium, ſimul ad ea quoque docenda ore & ſcriptis expediti, & ad alios in ſtilo juvandos, qui non æque dono didactico pollent. Taceo, quod etiam eo majorem gloriam, autoritatem, & amorem ſtudioſorum ſunt conſequuturi, quo in arte inveniendi ſimul ſunt celebriores, & præter antiqua ſimul noviter reperta eos docere poſſunt. Id modo cavendum eſt, ne uno munere fungentes impediantur in altero, aut uni vacantes ex neglectu alterius ipſis aliisve damnum oriatur. Quod ne in docendo fiat, aliis adjunctis aut extra ordinem vel privatim docentibus ita erunt ſublevandi, ne inde damnum incurrere cogantur (§. 354.).

Quando Profeſſores recte adhibeantur academiis ſcientiarum?

Olim ipſi publici Profeſſores ſimul erant inventores, uti in Pythagora, Socrate, Platone, Ariſtotele, Euclide, Archimede, aliisque videre eſt. Ita & ſuperiori ſæculo cum ſtudium inveniendi reviviſceret, Philoſophiæ & Matheſeos Profeſſores in eorum numero fuere, & hodierno ſunt die. Nec deſunt hujusmodi academiæ inventrices in academiis docentibus, ubi major pars membrorum & inventorum ipſi ſunt Profeſſores.

§. 425.

Sublimitas artis inveniendi.

Sublimius eſt ſtudium, quod impenditur novis veritatibus eruendis, quam quod tribuendum eſt veritatibus jam notis tantum docendis. Per ſe patet, quæ jam nota, & docenda tantum ſunt, ea mediocri docilitate capi, & mediocri dono intellecta explicandi doceri poſſe. Sed ad ignota invenienda, præſertim a priori, requiritur haud vulgaris ſoliditas (§. 331. *P. I. Ethic.*), acumen & ingenium inſigne (§. 336. *ibid.*) & ſcientia (§. 337. *ibid.*), quæ etiam in arte inveniendi a poſteriori uſum habent egregium (§. 340. 351. *ſeqq. ibid.*). Cum inde manifeſtum ſit, multo plura, rariora (§. 123.) & profundiora requiri dona ad inveniendum, quam ad docendum, eaque ſublimiora dicantur, quæ profundiori & ſolidiori acumini mentis ſeu perſpicientiæ tantum pervia fiunt (§. 314.): ſublimius eſſe ſtudium apparet, quod impenditur oſtenditurque veritatibus inveniendis, quam quod tribuendum eſt docendis veritatibus jam notis vulgatisque.

Inde *Gaſſendus* relicto ſacerdotio & ſuggeſtu ſacro, cui præpoſitus erat, cathedram adſcendit mathematicam, & in oratione auſpicali reddit rationes conſilii ſui, quod difficilius ſit utiliusque, ignotas veritates invenire & demonſtrare, quam proponere veritates dudum notas. Similiter *Leutmannus* ſuggeſtum ſuum commutavit cum cathedra petropolitana. Omiſſis aliis exemplis, tandum addo illuſtrem Wolfium, a ſtudio Theologico transeuntem ad mathematicas philoſophicasque diſciplinas docendas, ſuisque inventis amplificandas aſſociatus variis ſcientiarum academiis ſocietatibusque.

§. 426.

§. 426.

Cum academiæ inventrices in usus publicos suæ potissimum civitatis, deinde & totius generis humani comparentur (§. 407.); dotes vero eximiæ heuristicæ, teste experientia, non sint nisi paucorum, quorum ea est excellentia ingenii & studiorum, ut difficilioribus quoque & ignotis detegendis pares sint (§. 404. *not.*): non solum id liquet, non posse quemlibet, qui velit, agere inventorem, nec promiscue quemcunque vocatum ad tale munus, illud recte esse tuiturum; sed quo sublimius studium in iis requiritur, quæ invenienda sunt (§ 425.), eo magis in civitate operam esse dandam, ut ingenio excellentes alliciantur ad ediscendam exercendamque artem heuristicam. Quam ob rem apta ad inveniendum ingenia, si locupletes sint eorum parentes, propriis sumtibus; si inopes, publicis sumtibus cum in Gymnasiis academiisque, quando se exerit ipsorum habilitas, tum absolutis studiis academicis, ad mineravam suam excolendam aliis invitamentis juvandi, & inventoribus aggregandi sunt, quorum exemplo & institutione tantos in arte inveniendi faciant progressus, ut defunctorum loca replere & rite ornare queant. *Inprimis adjuvandi sunt publice, quos & fœcunditas ingenii & sua trahit voluptas ad artem inveniendi prosequendam.*

Quinam ad artem inveniendi excitandi publice sint?

Opus esse selectu ingeniorum ad obtinendos viros excellentes in iis, quæ in publicis functionibus requiruntur, nemo sanus infitias ibit. Cum vero tales non nascantur, quales in illis requiruntur, educandi omnino & imbuendi sunt iis doctrinis exemplisque aliorum, quibus illis pares evadant. Neque juvaret quemquam opposita hisce sublimitas artis inveniendi, quæ doceri nondum possit, quamdiu nondum in formam systematis est redacta; & quæ velut a munere divino exspectanda sit, quando Deo visum est, ea hominibus offerre, unde attentiores observatores sapere possint. Sed priori rationi obstant omnia ho-

minum opificia & artificia, quæ vulgari modo ruditer docentur discunturque, licet systema vix unius aut alterius perscriptum prostet. Posteriori obverti potest, duplicem dari artem inveniendi, & si quædam a posteriori casu fortuito se obtulere, hæc neminem cogere, ut & in cæteras exspectandum sit, donec casus fortuitus ignota pandat. Potuissent & illa observata fortuito detegi aliter & a priori. Quidquid hoc modo detegitur non minus divino muneri tribuendum est, quam quod fortuito a posteriori homini occurrit. Facultates naturales nemo sibi dare potest, sed unice bonitati divinæ in acceptis referre debet. Ad culturam vero & usum earum amplissimum & quisque obligatur, & alii obligantur ad eum in ista re adjuvandum, pro illustranda communibus operis & opibus Dei gloria & majestate.

§. 427.

Quomodo ad eam sint excitandi?

Quoniam apti inprimis pronique ad artem inveniendi publice adjuvandi sunt in ea exercenda & perficienda (§ 426.); duo vero potissimum publica dari possunt invitamenta ad eamdem excolendam, honores videlicet publici, reditusque artis cultura digni (§. 761. *seq.* & 905. *seqq. P. VIII. Jur. nat.*): sequitur, boni publici promovendi causa, *ad inventa detegenda natos factosque propositis tum honoribus publicis, & salariis, & præmiis arte tam difficili & eminente dignis, aut majoribus iis, quorum potiri in alio vitæ genere possent, ad quod non minus sunt idonei, cæterisque, quibus egent, adjumentis ad eam excolendam animandos esse.* Sunt enim inventores ingenii dotibus & cultura intellectus præstantes aliosque superantes, non tantum indemnes præstandi pro operis publicæ saluti dicatis, & privato officio subtractis (§. 392.); sed & propterea in ea sorte collocandi, ut pares sint honeste alendæ fortunandæque familiæ, prout suam donorum Dei præstantiam decet, & gloria numinis amplificanda propterea meretur (§. 393.).

Quemad-

Quemadmodum Profeſſoribus in academiis junguntur partim qui extra ordinem profeſſione quadam donantur, partim qui privatim gradibus academicis mactantur & poſt edita doctrinæ & doni docendi ſpecimina, privatim docendi facultate legitima inſtruuntur (§. 354.), ita quoque artis heuriſticæ cultores exercitoresque adjungi poſſunt ordinariis academiæ ſcientiarum & artium membris, velut ſocii & adjutores operarum, quæ plurium induſtriam requirunt. At par eſt, ut eorum cauſa non tantum indemnes præſtentur, ſed & honore gaudeant ac ſpe ſucceſſionis; modo nihil in ſe deſiderari patiantur. Præterea concedi ipſis poteſt facultas obſervatis experimentisque alios imbuendi, & libros edendi, ſe & academia non indignos. Quo emolumento gaviſuri quoque fuiſſent, ſi manſiſſent in academia doctrice. Hinc etſi alios arte obſervandi imbuant, pro conveniente honorario, id ſimul ipſis & academiæ inventrici proderit, plurium obſervationibus in poſterum gaviſuræ.

§. 428.

Cur majoribus hic opus ſit ſalariis & honoribus, quam in univerſitatibus.

Salaria & honores propter perpetuos labores in academiis inventricibus, præſtari debent his, quæ in doctricibus uſitantur. Sublimius enim eſt ſtudium, quod impenditur novis veritatibus eruendis, eo, quod tribuendum eſt notis jam veritatibus docendis (§. 425.). Nam in academiis inventricibus requiritur ſtudium veritates novas, ſocietati & ſaluti publicæ profuturas, indagandi (§ 407.); in doctricibus tantum traduntur illæ veritates, quæ uſu jam ſunt receptæ (§ 321. & 329.) Sed per ſe liquet, ſublimioribus meritis ſublimiora deberi præmia & decora publica, quæ ordinaria ratione conſiſtunt in honoribus publicis reditibusque decentibus & majoribus aliis obtinendis (§. 427.). Eaque propter ſalaria & honeſtamenta in academiis inventricibus propter labores publicos perpetuos ideoque neceſſarium neglectum officiorum privatorum, percipienda (§. 392. *ſeqq.*) ſuperare debent ea, quæ in doctricibus haberi poſſunt.

Accedere

Accedere & alia ratio ſolet, id ipſum requirens. Scilicet majores ſumtus requiri ſolent ad nova inventa detegenda & perficienda, quam ad nude docenda ea, quæ non amplius latent. Qui ſumtus cum publicæ ſalutis cauſa, non vero in rem privatam faciendi ſint, utique e publico ærario ſubminiſtrandi. Quare ne præter neceſſitatem fiant majores cum diſpendio publici ærarii, ubi minores pro ſcopo obtinendo ſuffeciſſent: præſtat quidem inſtrumenta cariora, & alia, quorum perpetuus eſt uſus, eſſe & manere publica; aliorum vero ſumtuum cauſa mediocris ſumma, quæ ſufficere intelligentium judicio in ordinariis laboribus poſſit, ſalario adjicienda, ut frugalitate eo majore adminiſtrentur, & extraordinarii tantum addendi ſint, quando iſtis eſt opus. Major artis dignitas majorem quoque poſtulat ſplendorem externum, inprimis ſi quando publice & coram Rege eſt comparendum. Vnde quemadmodum in aliis caſibus, ita quoque in his majoribus ſumtibus eſt honorifice conſulendum.

Iudicare hinc licet de illis academiis, quarum virtus laudatur & alget; vel ſi quid ſalarii ipſis datur, id tantillum eſt, ut ipſius ſociis vix neceſſaria vitæ præſidia præſtet, dum ſani ſunt & incolumes, & quando morbo aut ſenio impediuntur, veluti peculiaribus beneficio miſeram in noſocomio vitam trahunt. Tædio impedior & pudore: quo minus hujusmodi exempla proferam in hanc ſcenam. In proclivi eſt judicare, cujusmodi viri talem ſocietatem appetant, quid illi ſint præſtituri, & in quo pretio apud alios ſint futuri. Perpauci enim ſunt, qui rem ex ſe æſtimare didicerint, externa illa ſorte penitus neglecta. Pauci item, qui pecunioſi ſatis ſola inveniendi quædam gloria ducantur. Verum quidem eſt, externum ſplendorem nihilo facere rem meliorem, ac in ſe eſt. Attamen reges & magiſtratus non fruſtra cum dignitate & præſtantia animi conjuncta volunt externa ſigna, e quibus rudis plebs de internis judicet. Neque effecit Diogenes dolio ſuo, pane &

aqua

aqua manu haurienda contentus, aliud quam ut apud vulgus se & doctrinam suam in contemtum adduceret, veluti rem nullius utilitatis, miserosque & mendicos facientem. Quæ omnia cum in despectum scientiarum, & artium omnium vergerent, si omnes eodem modo viverent, academia inventrix in pretio, quo debet, esse, & civitati prodesse nequit, nisi eodem, quo cætera inter homines magni fieri solent, modo extrinsecus quoque eminere jubeatur, & pro gradu excellentiæ suæ publiee cohonestetur. Hinc & cultores artis inveniendi ex eadem quoque compotes fieri debent licitæ commoditatis decentiæ jucunditatisque vitæ externæ, ut externa internis consentiant, ut par est in vita perfectiori.

§. 429.

Quomodo singularia merita sint remuneranda.

Quia tamen meritorum ratio est habenda (§. 393.). *Singularibus conspicui meritis, singulari quoque honore & reditu ad splendorem dignitatis tuendum idoneo erunt afficiendi.* Fieri hoc convenit ita, ne propter illas accessiones civiles avocentur ab eo studio, in quo plurimum valent, sed incitentur potius ad majorem in illo industriam, quamdiu valetudo permittit, & dein honorifica & jucunda fruantur vacatione emeritorum, consiliis, dum valent, aliis adfuturi. Si putes, sufficere, ut propter singulare inventum singulare præmium detur idque simul integrum, nec repetendum nisi ob novum inventum egregium, aliud sit largiendum : concederem id quoque profuturum esse, præsertim si gradui meritorum majora & minora responderent. Plus tamen arbitror valere illa, quæ durant, dum vita suppetit, & magis conformia esse cæteris, quæ publice dari solent, beneficiis præmiisque, quod gloriosius ducitur civitati & accipienti, quam si quid pecuniæ aut cimelii detur.

§. 430.

Quale nomen conveniat

Dum Professores sunt qui in academiis docent scientias (§. 435. *P. VIII. Jur. nat.*), licet academia inventrix quoque

membris academiæ heuristicæ. academia dicatur, eius ſocii tamen non recte vocantur Profeſſores. Potiori jure igitur ab officio ſuo vocarentur inventores, vel locupletatores reip. Verum quoniam iſta nomina uſu non ſunt recepta, tanquam tituli; reſpiciendum eſſet, ad uſum in caſibus ſimilibus & titulos ibi receptos, academicorum nomen tam amplum eſt, ut ſtudioſos in academiis vel ſectam philoſophicam denotet. Notum vero eſt, in aulis regum conſiliarios vocari, qui inveniendis conſiliis publicis h. e. melioribus modis agendi & ſcopum civitatis conſequendi (§. 983. *Pſychol. empir*) operam dant (§. 999. *P. VIII. Jur. nat.*). Quia academiæ inventrices publicæ itidem operam navant reperiundis ſalutaribus reip. conſiliis, mererentur & hi appellari *conſiliarii reip.* (Staats-Räthe) nempe ſcientiarum & artium cauſa. Neque enim deſunt in academiis Profeſſores varii, qui conſiliarii appellantur. Vnde inuſitatus iſte titulus dici non poſſet, modo diſcriminis cauſa academia inventrix diceretur ſuperior vel ſanctior, eiusque conſiliarii ſuperiores aut ſanctiores (Oberräthe). Cætera diſcrimina peterentur, ubi adſunt, a ſcientiis aut artibus, quibus locupletandis conſulunt & operantur. Majorum meritorum gradus facile notarentur additis nobilitatis gradibus nomini meritis inſignito. Si enim alii privati meritis, in facto tranſitorio v. c. prælio uno vel altero, conſiſtentibus adſpirant ad titulos inferioris ſuperiorisque nobilitatis, quidni inventis per omne ævum profuturis ſimiles nobilitatis gradus tribuerentur (§ 333.). Privatæ autem Societatis membra, ſocii nuncupentur.

Habent hoc Sinæ peculium perpetuum, ut merita illa perſonalia non adquirant niſi nobilitatem perſonalem, cum perſona emorientem; realia autem, quæ inventis Confutii perpetuum uſum habituris ineſſe perſpexere, nobilitatem hæreditariam adepta ſint. Sed de his ſuo loco plura. Hic ſufficit adjunxiſſe, in imperio vel regno maximo ſanctiorem vel ſummum ſenatum

heuri-

heuristicum, ex summis viris, inventorum scilicet Baronibus, comitibus, principibus componi posse, qui meritis suis ad illos titulos evecti sunt, cæterarumque academiarum inventricium duces sint vel Cancellarii. Similia instituta tenent monachorum aliique ordines, quorum habentur ministri; vel magistri provinciales, generales, &c. Plerumque membra academiæ dicuntur socii, aut in Gallia, *de l'Academie;* in Anglia *fellois of* &c.

§. 431.

Aliter illa habent in academia privata.

Sicubi academia inventrix privata tantum habetur, eius membra erunt libera, ideoque si volent, aliquid suorum observatorum communicabunt cum societate, nec ad statos aut perpetuos labores adstringi sese patientur, neque salariis fruentur, nisi privatorum symbolis aut legatis quidquam indemnitatis fuerint adepti. Privata enim academia non nisi privato instinctu sumtuque incrementis scientiarum artiumque studet (§ 408). Quare cum nemo hominum cum neglectu officiorum erga se ipsum officiis erga alios vacare obligetur (§. 608, *P I. Jur.nat.*), nec ob immutabilitatem Juris naturæ ad ea se obligare ita possit: manifestum est, membra societatis hujusmodi privatæ nec esse obligata, nec se obligare posse ad perpetuos pro aliis labores. Erunt ergo membra seu libera, quæ quantum citra neglectum officiorum erga se & suos posse se judicabunt, tantum suorum observatorum in commune bonum conferre & cum societate communicare studebunt, nec ad plura adstringi se patientur.

Libere ergo tantum & pauca conferentes, nec talia, quæ insigne præmium merentur, gratis illa conferent, quæ communicanda ducent. Idcirco nec a quoquam salarium poscere poterunt vel exspectare, nisi sponte vel ex pacto symbolæ quædam conferantur, ad indemnitatem sumtuum & laborum academicis membris præstandum, vel liberalitate privata aut inter vivos aut mortis causa aliquid donetur, unde præmia merentibus dentur (§. 408.).

Hoc caſu magno opus eſt membrorum numero, ad quem etiam admittendi ſunt, qui diſcere potius ſibi utilia in conventibus ex iis velint, quæ ab aliis communicantur & expenduntur, quam docere alios poſſint. Ita enim paulatim ſymbolæ pro acceſſu, vel ſtatæ, aut liberalitate locupletiorum confluentes nonnihil conficient, unde ſumtus neceſſarii petantur, vel & præmia quædam erogentur. Præſertim illis, quorum opus eſt actorum in ſocietate conſignatione, digeſtione, expeditione reſponſorum & diplomatum pro recipiendis membris, ſimilibusque aliis laboribus frequentioribus, nec ſine neglectu privatorum officiorum peragendis, indemnitas eſt præſtanda. Cæterum ibi privatæ tales academiæ locum habent, ubi pro libertate populi in ærarium non plus confertur, quam ad alias procurationes publicæ ſalutis neceſſarium eſt. Quamdiu enim aliis neceſſitatibus publicis ea ſubtrahi non poſſunt, quæ illis debentur, tamdiu locupletiorum privatorum eſt, ſponte ſua in hos uſus conferre ſua ſymbola, dona & legata, quibus iſta adjumenta ſalutis publicæ tandem æque obtineri poſſint, acſi omnes ſuam ratam contuliſſent. Cedit enim in laudem ditiorum, quod iſtam partem ſalutis publicæ ſoli ſuppleant, quando ex ſua abundantia ſoli eidem ſufficiunt, ſoli quoque inde laudem reportaturi. Poſſe academiam privatam quoque autoritate publica firmari, & ex parte regiis ſeu publicis ſumtibus adjuvari, ſupra jam notatum eſt (§. 408.). Hujus generis eſſe Academiam Regiam Londinenſem, aliquot centurias eruditorum complectentem, inter omnes conſtat.

§. 432.

Quot opus ſit academiis inventricibus.

Integro regno una ſufficere poteſt academia inventrix e præſtantiſſimis ad inveniendum ingeniis coacta; quanquam permittendum ſit, ut plures privatæ quoque aut publicæ ſecundariæ illi præparent & ſubminiſtrent ut res erutas, ita inventores exercitatos. Si pro dignitate inſtruenda eſt academia inventrix multos requirit ſumtus majoresque, quam alia academia didascalica (§. 428. ſeq.). Tot ſumtus vero præter neceſſitatem non ſunt faciendi, ne onera

reip.

reip. augeantur ultra quam fas eſt (§ 778. *P. VIII. Jur. nat.*). Quam ob rem cum nec numerus inventorum ſit copioſus (§. 423.); neque facilis ſit ignotorum detectio, ideoque difficultas ipſa abſterret eos, qui non experiuntur in ſe magnam vel ingenii foecunditatem, vel propenſionem ad artem inveniendi, præſertim ſi ea ſe parum profecturos, & in alio vitæ genere multo melius verſaturos eſſe intelligunt: egregiam academiam vix aut nequaquam ultra unam in regno, utut amplo & excultiori, convenire, planum eſt.

Quoniam vero gradus in arte inveniendi dantur, & minores gradus aliquid obſervare, experimentis explorare & pro opportunitate loci eruere poſſunt, quod ita tractare academiæ eminenti non vacat, non licet propter graviora negotia, aut non opportunum eſt: hæc adjumenta ſublimiori academiæ non ſunt invidenda; ſed potius procuranda & ſi vel publica ſecundaria ſeu recentior ſit, ſublimiori celſiorique ſubjungenda (§. 430.). Præſertim id commodum accidit, ſi vel omnino, vel ex maxima parte privato ſumtu ſuos ſocient labores & conatus incrementa ſcientiarum & artium provehendi (§. 431.). Multo enim præſtantius eſt in communia commoda amplificanda opulentiam privatorum impendi, quam in nutrienda vitia, aut in vanitatem, aut in ludos, pompam, luxum, ſimiliaque dedecora generis humani & opum abuſus. Accedit quod ad minutias deſcendere indecorum eſt ſublimiori academiæ; & tamen in minimis Deus eſt pariter conſpicuus ac in maximis, inque illis ſemina latent rerum maximarum. Præterea exercitati in his altioribus ſuppetias ferre, & ſucceſſores creare poſſunt.

In Gallia rem ſic ſe habere cernimus. Pariſienſis regia academia ſcientiarum item artium liberalium &c. ibi principatum gerit in hoc genere. Præter illam tamen variæ dantur aliæ, Mon-

ſpelienſis, Burdigalenſis, Ambianenſis, Maſſilienſis, Cadomenſis, Sueſſionenſis, Lugdunenſis, Palenſis, Toloſana, Divionenſis, Nancejenſis cæt. Vnde adoptare cœpit pariſienſis quædam miſta ſibi aliarum academiarum obſervata & ſchediasmata, quæ ſeparatis Tomis ab ea eduntur. Magnæ Britanniæ non eſt niſi unica academia ſcientiarum, Daniæ una, Sueciæ una, Ruſſis una, Imperio romano germanico una licet in electoratibus & principatibus paſſim aliæ dentur. Hiſpaniæ una, item Luſitaniæ, Belgio una.

§. 433.

De præmiis inventorum extraordinariis.

Inſigniora inventoribus rerum utilium præmia optimo jure deſtinantur cum ex publico ære, tum ex privato, quibus extra ordinem afficiantur & excitentur ad quæſita ſcrutanda. Pauca dantur inventorum honoraria adeo inſignia, ut ea ſat calcaris addere ipſis poſſint, ad omnes ingenii nervos itendendos. Nec (jura ſtolæ, quæ dicuntur) ſeu egregii contingentes reditus ipſis præter ſalaria addicti eſſe conſueverunt. Si uſitata explorare dignamur. Vnde per ſe currentes ad inventorum metam, acrius tamen fortiusque ad palmæ honores connitentur, quando eminentiori præmio ſe, ubi alios omnes vicerint, coronandos eſſe ſentiunt. Quare pro rerum inveniendarum pondere & dignitate, pro dignitate conſtituentium præmia, & pro majori excitatione animorum ad artem inveniendi in ſublimiorem gradum evehendam, optimo jure conſtituuntur & multiplicanda ſunt præmia detectarum veritatum inſignium utiliorumque, ſive ex publico ære dentur, ſive ex privato; & utrobique curandum eſt, ut ſint indubitata & perpetuanda.

Non dantur fortiora invitamenta ad excolendas dotes mentis evehendasque in id faſtigium, quod aſſequi poſſunt, quam præmia extantiora. Hæc vero aut in honoribus conſiſtunt eminentioribus, aut in pecunia ſeu rebus pretioſis v. c. numis, catenis aureis ſimilibusque. Honores paucioribus propterea conveniunt, quia oneri potius forent, quam decori illis, qui eos tueri ſplen-

ſplendore externo, quem requirunt, ſuis ſumtibus nequeunt. Quapropter cum præmia certum pretium idque inſigne habentia nemini oneri eſſe poſſint, ſed omnibus grata eſſe queant: hæc potius uſu recepta ſunt, quam illa. Adde quod hæc quoque a privatis æque tribui poſſint e ſuo patrimonio, ſeu donatione inter vivos ſeu mortis cauſa, ac ex ærario publico, & ea in re privati neutiquam ſunt impediendi, ſed potius ad eam animandi. Quare præmia inventorum potiſſimum in pecunia parata, aurea argenteave, in numismatibus majoribus, eum in finem procuſis, ſimilibusque rebus pretioſis ponuntur.

§. 434.

Quibus problematum ſelectus & ſolutionum dijudicatio debeatur.

Illiusmodi & rerum inveniendarum ſeu problematum altiorum inventores, & reſolutionum judices præmiorumque erogatores recte conſtituuntur viri talium rerum peritiſſimi in academiis inventricibus. Quæ enim præ cæteris excuſſionem mereantur, nec vires humanas excedant, nemo rectius ſcire poteſt, quam hujusmodi rerum, qui habentur, callentiſſimi. Sed hujusmodi viris conſtat academia inventrix rite conſtituta (§. 423.). Nec aliæ res ad inveniendum ſunt proponendæ (§. 413. 415). Proinde & ſelectus problematum, & generalis indicatio ejus, quod potiſſimum excutiendum eſt, & quo modo ſit excutiendum, permitti prudenter nequit, niſi academiæ inventrici, & in hujusmodi rebus occupatæ.

Enimvero cum in ſpeciminum analyſeos dijudicatione recte facienda non minor requiratur ſcientia, quam in problematum inveſtigatione, & potiſſimum de eo quæratur, ſitne, in ſpeciminibus datis, problematis analyſi ſatisfactum, nec ne; & quodnam inter plura præferendum ſit: judices quoque peritiſſimi adhibendi ſunt, quorum ſententia definiatur, ſitne cuipiam, & cui præ reliquis præmium dandum? Vbi rurſus iisdem rationibus, quibus uſi ſumus in problematibus proponendis, efficitur, neminem ipſis problematum inventoribus

recti-

rectius ſtatuturum eſſe, num problemati a ſe propoſito ſit ſatisfactum? Quo vero eo magis indubia ſit ſpes præmii, & addictio illius & erogatio, recte judicum in manibus ſeu plena poteſtate ponitur.

Siquis aggerat, id non ſatis tuto fieri, quia & in illis academiis facile unius vel alterius tanta ſit autoritas, ut illius ſententiæ, ſi non omnes faveant, ſaltem major pars. Quæ ſententia ſi ſit erronea, præmium immerito obventurum eſſe, cui minime debebatur, ſcilicet eodem præjudicio laboranti, vel ſpe præmii iſtam ſententiam, quantum poteſt, incruſtanti. Si pergat urgere, ipſos judices paradoxæ ſententiæ, & quam ipſi pro falſa habeant, ob cauſam externam, v. c. ne nimis favere ſuæ ſententiæ videantur; aut ubi paradoxa, quam tanquam novam coronandam putant, præmium tribuere poſſe & tribuiſſe. Nollem quidem hoc ipſum in dubium vocare, cujus exempla habentur explorata. Nec tamen ideo largirer, id inſtitutum eſſe rejiciendum: cum in liberis actionibus nihil tam egregium ſtatui poſſit, circa quod nullum peccatum admitti ejus abuſu poſſit. Ratum enim manebit, ab imperitis harum rerum multo minus exſpectari digna problemata, & ſpeciminum judicia poſſe. Si vero alius quisquam aut cœtus conſtituatur problematum conditor & diſceptator, qui extra ſocietatem inventricem detur; non eadem tantum, ſed & ſæpius talia contingere poterunt. Certe verendum academiis magis eſt periculum labis famæ inter viventes & poſteros adſpergendæ, quam vel alii privato homini aut cœtui, non in tanta luce poſito. Procul dubio enim rectiora tenentes omnes non poſſunt non errorem damnare eo magis, quo longius ab illo potuiſſent debuiſſentque eſſe remoti, qui peritiam rei profitentur obſtringunturque ad verum judicium ferendum, non minus ac judices in foro civili, ubi falſum judicium tamen aut paucis aut uni tantum eſt nociturum. Quis excuſaret judicem civilem, contra veram animi ſententiam ideo judicantem, ne videatur ſuæ faviſſe ſententiæ? Si emergat ſententia judicis, de qua damnatus conquerendum habeat, datur illi

illi remedium appellationis. Si perperam ſententia de præmio attribuenda lata ſit, æquum eſſet, ut damnati veritatis amici audirentur, nec ſibi debito præmio priventur. Quorum licet unus tantum ſpecimen dediſſet, pariter tamen is audiendus, ac unus civiliter damnatus civis, cujus damnum multo ſæpe minus eſt præmio. Rogas, ubi audiendus eſſet? Reſponderem in academia ſumma, ſi inferior academia male pronuntiaſſe dicatur; aut ſi a ſumma lata ſit iniqua ſententia, aliæ academiæ inventrices duæ vel tres, earum rerum peritiſſimæ ex compromiſſo adiri poſſent, ut rationibus excuſſis ei inhæreretur ſententiæ, quæ plurium calculos tuliſſet. Ita enim libertas ſentiendi ſalva foret, nec tamen veritati facile quorundam error fraudi eſſet. Porro tamen hæc non abs re inter pia deſideria vix aut raro implenda; cautumque veritati a ſapientia divina & in his caſibus eo erit, quod error nunquam veritatem eſt extincturus, etſi per longa tempora & ſæcula propagetur, uti paganismus & hodiernus Judaismus. Vbi ſua tandem virtuti, ita quoque ſua veritati laus & victoria erit æterna.

§. 435.

Eſt quidem glorioſum & nobile officium academiæ inventricis, quod circa præmia rite eroganda occupatur; liberalius tamen eſt, ſi hujusmodi oneribus redhoſtimentum addatur, quo ad præclara & in his præſtanda incitetur. Glorioſum eſſe academiis inventricibus, ſi, uti par eſt, agnoſcantur eſſe quod eſſe debent, nempe harum rerum callentiſſimæ, quis diffiteatur? Si propter agnitam hanc præſtantiam ſuam eligantur arbitræ rerum ad ſe pertinentium, ſive ab ipſa majeſtate, ſive a privatis præmiorum autoribus, id utique ipſis honorificum eſt cenſendum, non ſecus ac illi, qui judex rerum graviſſimarum in civitate eſt electus. Si vero nobile officium judicis dicitur, ad quod per ſe eſt obligatus, nemine ipſum implorante; hoc ſenſu præmiorum diſpenſatio tum in ſe, tum propter labores heuriſticos & criticos oneroſa, non niſi eo caſu ad nobile officium academiæ re-

Num nobile officium academiæ ea includat?

ferri poteſt, quo ipſa publicis fruitur honoribus & reditibus ea lege datis, ut & publica illa præmia promittat problema datum ſoluturis, & decernat merenti, contenta exiguo fructu, qui forte ex editione ſpeciminum potiorum ſaltem præmio dignatorum oriretur. Cæteris ergo caſibus, aut ſi quis privatus præmium conſtituat, iſtoque onere eam fungi velit, utique non minus ac privato judici, academiæ indemnitas eo magis erit præſtanda, quo plus in aliis functionibus ſuis impediretur pluribus hujusmodi diſcuſſionibus. Intereſt non tantum largitoris præmii ad finem ſuum conſequendum, ſed publicæ quoque rei, omnem ea in re curam diligentiamque adhiberi, ut merentes palmam ferant. Quare cum eam incitare in brabentis & compenſare poſſit præmii auctor, ad illud quoque obligatur (§. 268. *P. IV. Jur. nat.*).

Agnoſci id officium haud difficulter potuit, modo animus ſit ſcopi memor. Vult nempe præmiis allicere alios, ad veritates ignotas inveſtigandas, ope academiæ inventricis, cujus opera uti decrevit. Idcirco non poteſt non intelligere, & academiam ad hoc ipſum a ſe obligari non poſſe, niſi pacto & præmio. Quare par eſt, ut ei partem præmii ſui, aut aliud redhoſtimentum aſſignet, quo illa eo magis accendatur ad juvandam ſcopi propoſiti adquiſitionem. Eo id æquius deprehendetur, quando lex adjecta eſt, ne quis academiæ conſors præmii compos fieri debeat. Equidem audire mihi videor, ſufficere, ſi ſocii academiæ alterius academiæ præmiis ornari poſſint. Sed hoc eſſet hujusmodi, ut quivis alius ſpeciminis editor eundem ſpem habeat, ſi ſpecimen judicibus arrideat præ reliquis. Vtrum a multis præmiorum autoribus privatis id obſervatum ſit, nunc non diſquiram.

§. 436.

Quinam certare de præ-

Conſultum generatim non eſt, ut qui judices eſſe debent, iidem quoque ſint autores ſpeciminum & ſe ipſos ſuosve præmio afficiant; quanquam

quam talis ſocius, qui judex non eſt; admitti ad certamen de palma paſſit. Curandum enim eſt, ut judices ſint incorrupti & ab affectibus vacui in judicando (§. 541. P. *VIII. Jur. nat.*). Sed tales non eſſe plerique ſolent, qui de ſe ſuisque placitis judicare debent. His nimius ſui amor facile obſtat, ne poſſint cernere verum vel falſum; falſum in ſuis placitis pro vero; & verum ſibi contrarium pro falſo habentes præſertim ſpe præmii lautioris cujus ſunt candidati. Neque liber eſt & immunis a ſuſpicione judex, pro amico vel collega, quem odit vel amat, ſententiam dicturus, quando illum latere ſub ſpecimine intelligit. Quod cum in judicio civili uſitatum ſit, ubi tamen appellatio ſuperioris judicis ei licet, qui ſe gravatum exiſtimat; multo magis obſervandum eſt in academia, a cujus judicio nulla conceditur provocatio, & ſi vel publico literato orbi inſinuetur, manet nihilo ſecius ſententia rata (§. 435.).

mio nequeant?

Generalis hæc regula eam pateretur exceptionem, ſi quis inter ipſos judices inſciis reliquis judicibus, meliorem omnino quam ullus alius dediſſet analyſin in ſuo ſpecimine, neque ipſe ſibi, ſed vel nulli vel alteri a ſe proximo ſuffragium daret, cæteri vero jure meritoque ejus ſpeciminis, cujus autorem ignorant, præmio digniſſimum cenſeant. Hoc caſu enim nihil affectui datum eſſe, planum foret; itaque autor e numero judicum merito præmium referret, etiamſi poſtremo cæterorum ſuffragiis ſuum adjiceret, & ſe autorem eſſe profiteretur. Sic verbi gratia Electores ſunt conſtituti judices, quisnam imperio digniſſimus ſit, & tamen quemquam ex electorum numero recte eligunt imperatorem, qui ſi ſuam ſententiam fruſtra alteri datam vel dandam, conformet cæterorum ſententiæ, nihil facit ab officio ſuo alienum. Quod & in regum aliorumque electionibus ita receptum eſt, ut cæterorum ſuffragiis recte eligatur, qui & ipſe jure eligendi gaudet. Similis caſus foret, ſi inter ſpecimina priora nullum præmio dignum fuiſſet,

& poſt præmiſſum duplum præmium id fieret, quod modo diximus editisque ſpeciminibus comprobaretur.

Quando autem ejusmodi ſocius problematis analyſin ſuſcipit, qui nec ipſe judex eſt, nec id ullo modo agit, unde innoteſcere poſſit vel probabiliter debeat judicibus: ejus ſpecimen repudiandum non eſſe, ſed coronari poſſe, ſi cæteris palmam præripiat, dubio caret. Nulla enim tunc adeſt ſuſpicio, judices partium ſtudio quidquam dare potuiſſe, vel ei, quem neſciverunt ſodalem ſuum eſſe, tanquam ſocio faviſſe.

Diſparitatem quandam in hoc judicio literario & civili tunc adeſſe agnoſcendum eſt, quando in cauſa civili agitur, de jure perfecto conſequendo, in certamine literario autem tantum de imperfecto. Denegatio enim juris perfecti injuriam continet, non vero denegatum jus imperfectum (§. 859. *P. I. Jur. nat.*). In judicio ferendo de ſpecimine, quod in præſenti problemate palmam mereatur, non videtur ullius autoris jus eſſe perfectum, quod eatenus concedendum, quatenus de ejus autore quæritur, qui utique neſcit, quæ alia ſint ſpecimina, & quid in illis contineatur, nec ipſe judex in ſua cauſa eſſe debet, ſed mittendo ſpecimen ſuum ad illos, qui arbitri ſunt conſtituti, illorum judicio ſe ſubmittit. Quatenus vero de judicibus quæritur, eorum obligatio pendet ex pacto & natura rerum. Si enim receperunt voluntatem largitoris præmii, *v. c.* quod ſpeciminum autoribus, qui propoſitæ diſcuſſioni non ſatisfecerunt, nihil dandum ſit, illi autem, qui ipſi ſatisfecit, totum præmium ſit addicendum; aut ſi nondum ex aſſe illi ſatisfactum ſit, & meliora ſperantur, præmium duplum, & deficiente etiam tunc eo, quod ſperatur, triplum proponi poſſit, tandemque duobus vel tribus pari merito conſpicuis, pro æqua parte præmium ſit adjudicandum: apertum eſt, judices hoc pacto ſuo perfecte obligari ad legem præſcriptam obſervandam, neque poſſe immerenti ſpecimini quidquam tribuere, neque merenti illud denegare, niſi per nefas. Quo caſu, e publicatis ſpeciminibus demonſtrando,

accusari utique possent. Si vero duo specimina occurrant, quando unum duntaxat præmium est assignandum, quæ pariter illud mereri videantur, quia tum dividendi præmium potestate carent, ob rationes externas, v. c. stilum alterius meliorem, vel sortem adhibitam, prout illa cecidit, illud ita attribuetur, ut alteri conquerendi ratio nulla sit. Si vero generali lege tantum obstringuntur ad ferendum judicium, uti par est, vel pro meritis, vel quam optime fieri potest, vel ut dignissimum inter oblata specimen palmam ferat: ipsa tamen res, in qua boni publici ratio habenda, & conscientiæ religio cavere jubebit, quæcunque vitium aut errorem judicum proderent.

§. 437.

Cur autor speciminis se prodere non debeat?

Ne judices affectui in autorem speciminis quidquam dedisse intelligantur, autori omnis spes præmii adimenda est, si quidquam admiserit, quo judicibus ante latam sententiam innotesceret. Etsi in judiciis reliquis opus non sit, ut in controversiis decidendis judices ignorent autores, sed potius nomina eorum sint profitenda ad meliorem causæ cognitionem instituendam; alia tamen ratio est præmiorum literariorum, quorum judices non solent esse jurejurando adstricti ad seponendam omnem personarum rationem, quarum igitur vel amor vel invidia judicium de speciminibus posset vitiare. Aliis igitur opus est documentis, unde constet, judices nihil affectui corruptori dedisse vel dare potuisse. Tale documentum est autoris ignorantia manifesta. Quare autoribus speciminum recte injungitur, ut nihil committant, e quo innotescere possint debeantve judicibus, antequam sententiam tulerint; ipsisque si quid ejusmodi tentaverint, spes præmii adimatur. Si quid vero inscio & invito autore ab aliis in ejus fraudem, aut fortuito contingat: id ipsi tribui nequit.

Non tantum præmii aviditatem ostenderent ejusmodi facta, quibus autor innotesceret, verum quoque suspicionem animi

judices corrumpendi ſeu in ſuas partes flectendi moverent. Hujusmodi facta forent, ſi manus autoris judicum cuipiam nota eſſet, & ſua manu tunc ſpecimen ſcripſiſſet; ſi librum a ſe editum in tractatione ipſa ut ſuum citaret; ſi ſtilo uteretur & hypotheſi tam notabili, ut inde perſpiceretur; ſi ſpecimen mitteret per quenquam, qui veluti ſub roſa illum nominaret; ſi nomen ſchedulæ ita eſſet inſcriptum, ut transpareret, vel inſpici poſſet vinculo non ſoluto; ſi ſpecimen mitteret ſub ſuo ſigillo non ignoto; ſi per talem mitteret, quem novit non eſſe taciturum etiam ſi eum roget, ne cui nomen ſuum dicat; ſi vel ſcriba utatur non tacituro, vel amico aut adjutore eo certius ſe prodituro aliis, quo minus id cupere velle videatur, &c. Optime igitur receptum eſt, ut autor ſpeciminis tantum ſententiam quandam ſeu præmittat ſeu ſubjiciat ſpecimini ſuo, velut ſymbolum, cujus ope detegi poſſit, quando ipſi præmium tribueretur. Detectio autem ope ſymboli vel confeſtim fieri poteſt, ſi adjecta ſpecimini ſit ſchedula obſignata, idem ſymbolum in fronte, intus autem nomen autoris gerens, non niſi laxato ſigillo legendum; vel confeſtim fieri nequit, ſi, ubi præmium datur, ibi nec ſchedula adſit, nec quisquam alius, qui nomen autoris edere poſſit. Hoc caſu ſufficit indicaſſe per ſymbolum adſcriptum ſpecimini, illius autori eſſe præmium attributum, dandumque ſi ſe luculenter eſſe autorem monſtraverit. Hoc autem fieri poteſt adjecta talea ſeu chartula ita lacerata aut ſciſſa, ut ſymbolum vel alia ſcriptura, ſubmiſſa altera parte redire redintegretur. Neque tamen hoc ita neceſſarium eſt, ut aliter res ad liquidum perduci nequeat. Si enim vel nullum ſymbolum adjectum eſſet, autor vero ſua manu ſpecimen conſignavit, literis manu ſua ſcriptis, addita vel diſpoſitione ſui ſpeciminis, vel periodo prima, ultima aut alia, ſe eſſe autorem evictum daret. Si autem ſpecimen ſuum ſeu dictaſſet alteri, ſeu deſcribi ab ipſo juſſiſſet; poſteriori caſu addito ſuo MSto, vel ſua correctione miſſi exemplaris, aliisve rationibus idoneis id evinceret; utroque uti poſſet deſcribentis aliorumve conſciorum teſtimonio. Brevius tamen rem conficeret ita, ne quisquam alius ſibi arrogare

gare ſpecimen poſſet, ſi ſymbolo ſciſſo laceratoque utatur, vel ultima pagina alba ita ſciſſa in ſpecimine ſit, ut ab ipſo autore ſolo integra reſtitui poſſit, transmiſſa parte, quæ inſcio deſcriptore vel ſcriba deficit. Par foret ratio, ſi manum ſuam celaturus, ſymbolo uteretur e vocabulis impreſſis compoſito, licet ſenſum nullum fundentibus, & paginæ, unde verba petita ſunt, laceram particulam una cum ſpecimine mitteret, alteram ſibi retineret mittendam, quando probandum eſt, ſe eſſe illius ſpeciminis autorem. Cæterum per ſe liquet, autori cavendum eſſe, ne ſpecimen in alterius manus veniat, in quas venire non debet; ne quis alius mutatis mutandis id ſupprimere, ac mutatum addito alio ſymbolo ſuum dicere poſſit, præmium aucupaturus & ſubdole reportaturus.

§. 438.

De examine ſpeciminum.

Vt ſuffragia de ſpeciminibus in ſolemni conventu ſtati diei a judicibus recte ferri poſſint, ſpecimina mature & autorum ſumtu mittenda ſunt ſecretario academiæ, a quo in proximo conventu exhibenda ſunt obſignata, ut reſignentur, a Præſide ſubſcribatur admiſſio eorum ad examen, & quo ordine illud per otium maturo judicum judicio ſit peragendum & abſolvendum; ne tamen ſpecimen citra culpam autoris tardius veniens, dum ante diem criticum examinari poteſt, rejiciatur, vel excludatur a præmio, quo eſſet dignum. Eſt enim ab academia, vel judicibus ab ea conſtitutis, definiendum, utrum adſit inter ſpecimina unum alterumve præmio dignum; nec ne, & quodnam cæteris præferri mereatur (§ 434.). Quod judicium in ſolemni conventu diei opportuni & quantum licet ſtati, ut rationes ſuffragiorum omnibus innoteſcant, ſi non unanimi, ſaltem majori ſuffragiorum numero conſenſuque ferendum eſt. Quod cum ſine prævio maturo ſpeciminum examine fieri nequeat; opus utique eſt, ut ſpecimina juſto ante diem criticum tempore adſint, ideoque ab autoribus eorum, quorum intereſt, ut ad academiam perferantur, ſi ſpe præmii, quam fovent,

vent, excidere nolint, ſuo ſumtu illuc mittantur. Quoniam ejus, qui a ſecretis academiæ eſt, munus ſimul occupatur circa epiſtolas recipiendas & expediendas, plerumque ſecretario committitur, ut ſpecimina ad academiam miſſa recipiat, idque academiæ conſtet, ſpecimina numerentur, & quod de examine eorum placuit, ut futuri judices eidem vacare rite poſſint, adnotetur ſimulque caveatur, ne quid in illo mutari poſſit. Quoniam vero caſu fortuito, aut invidi cujusquam opera fieri poteſt, ut ſpecimen tardius, quam deberet, ad academiam deferatur, & nemini imputandum eſt, niſi quod culpæ ejus debetur (§. 700. *P. I. Philoſ. pr. univ.*): pateſcit ſpecimen egregium, citra culpam autoris tardius allatum, modo fieri poſſit ut ante diem criticum vel ſtatum vel prorogatum, debite examinetur, nec ideo rejiciendum, nec a præmio, quod meretur, excludendum eſſe.

Dici nequit, largitorem præmii voluiſſe, ut ullum eo dignum ſpecimen ab ipſo excluderetur. Quapropter licet commoditati judicum quoque conſulendum ſit, hæc tamen ſecundaria ratio cedere debet primariæ, quæ eſt, ut digniſſimum ſpecimen præmium referat. Quare ſi eo, quod tardius quidem citra autoris culpam venit, melius vix ſperari poſſit, ex judicis callentiſſimi cujusque ſententia, non opus erit, ut problematis ſolutio in alterum annum rejiciatur, ſed potius vel cum quodam incommodo cæterorum judicum ejus examen ſubeundum erit, prorogato, ſi opus eſt die decretorio. Legitimum enim impedimentum diei prorogationem extra ordinem tunc meretur. Autores ſpeciminum cum ignorentur & ignoti maneant, præter illum cui præmium tribuitur, nulla hic ſuppetit ratio, cur occultis utendum ſit ſuffragiis. Præſtat igitur illo aperte ferre in ſolemni conſenſu, a quo rationes intelligi & expendi poſſunt, quæ captum eorum non tranſcendunt.

§. 439.

§. 439.

Quo difficilioris indaginis est problema propositum, eo plus temporis concedendum est ipsius analysin solidam suscepturis. Cum solida eruditione gaudentes, peritique ad scrutinium rerum novarum suscipiendum plerumque aliis distineantur officiis negotiisque, quæ negligere nefas foret: ipsi vix aliter quam horis subsecivis aliquid otii sui tribuere poterunt problematum solutioni. Sed quo difficilioris indaginis est propositum problema, eo plus temporis impendendum erit seu observationibus & experimentis instituendis, seu aliis disquisitionibus & calculis absolvendis. Ne ergo aptiores ad analysin solidam per sua negotia neutiquam negligenda impediantur analysin in se suscipere, quam prospiciunt intra breve temporis spatium a se absolvi non posse: indulgendum discussioni est eo longius temporis spatium, quo altioris indaginis solutio esse perspicitur (§. 941. *Ontol.*).

De tempore solutioni problematum destinando.

Præstitui sæpius solet discussioni problematis annuum spatium, quoniam id plerumque sufficere solutioni visum est his, qui expeditiores sunt cæteris in ejusmodi analysi peragenda. Sed si subtrahatur spatium, quod elabitur antequam ad multorum notitiam pervenire problema solvendum possit, una cum illo, quo ante diem annuum sistere se specimen examini debet, & quod requiritur antequam eo perferri possit: parum temporis restare illis intelligetur pro horis subsecivis, intra quas longior difficiliorque discussio problematis suscipi & debite absolvi nequeat. Non obtinebitur ergo scopus solidioris discussionis, nisi longius indulgeatur temporis intervallum. Quapropter biennii vel triennii tempus concedendum est argumentis difficilioris indaginis, quod & passim jam usurpari videmus.

§. 440.

Argumenta difficiliora rectius permittuntur eruditis cujuscunque, quam unius, nempe suæ tantum nationis discutienda. Fieri enim potest,

Quibus problemata

& præmia sint proponenda? poteſt, & ſolet, ut aliis gentibus alia ſint rerum naturalium & artificialium genera, quæ modo his, modo illis enucleandis viam ſternunt alibi non obviam. Alibi quoque alia veritati obſtant præjudicia & ſuperſtitiones, a quibus immunes eruditi longius progredi in veritatum indagatione poſſunt, quam qui illis occœcantur. Quod experientiæ ita obvium eſt, ut alia non egeat probatione. Sed præmiis certo ſperandis excitari exteri poſſunt ad quædam communicanda, quæ alias reticerent ſibique ſervarent. Cum vero peritiſſimis viris committenda ſit reperiundorum diſcuſſio (§. 434.) nec præmia danda, niſi qui optime ea meruit (*ibid.*): non unius tantum gentis ſcrutatoribus veri, ſed quibuslibet proponenda ſunt & problemata diſcutienda, & præmia autori, qui cæteros vicerit tribuenda, exſpectandaque. Hoc vero eo magis neceſſarium eſt, quo difficilius eſt argumentum diſcutiendum (§. 439.) & quo minus ejusdem gentis cives idonei deprehenduntur, ad egregia in his rebus præſtanda. Indidem quoque fluit, quaquaverſum inprimis unde major ſpes affulget, propalandum eſſe argumentum, de quo quæritur, & præmium autori optimæ ſolutionis ſperandum, ne id ignorare poſſint in ejus ſolutionem aptiores pronioresque.

His repugnare videtur officium erga patriam, quod civibus potius, quam exteris conſulere & præmia conferre jubet. Præterea inanis dicatur ſpes, fore ut exteri pro præmiis exigui pretii, cujusmodi hæc inventorum præmia ad ſummum 100. aureos æquantia eſſe ſolent, ea communicent, quæ in arcanis ſuis ponunt, ne excidant lucro, quod inde percipiunt, multo majori. Poſterius plane concedendum eſt, aliisque modis ea exterorum inventa venanda ſunt, quæ hoc pacto nunquam ſunt expiſcanda. Prius vero officium nequaquam ſubvertitur his præceptis. Modo ſint in patria, qui ſatisfacere argumento didicerint velintque, præmium ipſorum meritis omnino obveniet.

Si mereri vel nequeant, vel nolint, ſibi imputabunt, quod eodem ſint indigni. Qui ſtudent ut mereantur, illi habebunt, quod optant. Quamdiu non ſunt, qui merentur, tamdiu ſcopi potiundi ratio exteros, qui merentur præmium, præferre indigenis jubet. Neque perditum cenſenſum eſt, quod ita exteris tribuitur, quando viciſſim academiæ vel civitatis memoria exterorum præmia ſuis ſpeciminibus conſequuntur. Quando indigenæ meliora præſtant, quam exteri, merito ob hoc ipſum præferentur, etiamſi judicibus non conſtiterit, eſſe eos indigenas. Quando judices eadem cum indigenis præjudicata opinione laborant, aut hypotheſi ducuntur, propterea quoque exterorum ſpecimina raro aut vix unquam victoriam reportabunt, tametſi meliora forent. Quæ civibus tantum deſtinata ſunt præmia, ea merito ipſis reſervantur.

§. 441.

De lingua ſpeciminum.

Quoniam judices de ſpecimine oblato ſtatuere nequeunt niſi linguam calleant, in qua illud eſt conſignatum; neque de ſpecimine analyſeos cogitare diverſi populi poſſunt, niſi qui intelligunt quid ſit id, de quo quærendum eſt (§. 440.): oportet, *ut argumentum excuſſioni offerentes diverſis gentibus, vel lingua utantur eruditorum communi, latina ſcilicet, vel iis vernacula; & ut viciſſim aggreſſuris inventionem & ſpecimen daturis indicent linguas, e quibus optare poſſint, quam malint*, ut judices intelligere ſpecimen citra verſionem poſſint. Si vero alia uti malint, monendi ſunt autores, ut eo citius ſpecimen mittant, ut ante transferri in linguam academiæ notiorem poſſit, quam examen ejus ſit incipiendum, modo interpres detur.

Modi thema propoſitum quaquaverſum divulgandi eſſe ſolent, nova literaria & epiſtolæ ad academias inventrices diverſarum nationum quæ inter ſuos novis publicis ſpargere ſolent & diffundere, quod omnibus innoteſcere debet. Eodem quoque faciunt ephemerides eruditorum ſtatis diebus prodeuntes, quæ multorum manibus teruntur. Simili etiam modo per no-

va literaria patefieri ſolet, quod ſpecimen aut quis autor, ſi is jam conſtet, præmium meruerit &c. Ratio autem mittendi ſpecimina ad academiam, cujus eſt præmii aſſignatio, vel privatis utitur, iter eo facientibus, vel veredis vehiculisque publicis. Si lingua adhibeatur patria, ea patriam prodit, quod pariter celari præſtat, quam indicari. Vnde plerumque latina lingua præfertur.

§. 442.

Præmia pro inventoribus rerum utilium quibuscunque.

Quia non omnia omnibus in mentem veniunt, & occaſione ita ferente alia aliis occurrunt, quæ novis inveniendis occaſionem ſubminiſtrant, aut jam ſunt in cujusdam poteſtate: *meritiſſimo præmium inſtituitur non vulgare, diverſum tamen, pro diverſo gradu bonitatis inventi, iis diſtribuendum, qui utile inventum, qualecunque ſit, communicaverint.* His nempe genus tantum proponitur, *utile inventum novum* indeterminatum, & relinquitur cuique optio ejus, quod in ſua poteſtate habet, aut quo jam dudum utiliter gaviſus eſt. Promittitur præmium v. g 10. aureorum, usque ad 50. aureos, prout ejus dignitas utilitasque comprobata mereri cenſeatur. Offerentur hoc pacto varia, de quibus alias non eſſet cogitatum; vera autem ab apparentibus vel ſpuriis haud difficulter diſcernentur e principiis documentisque aliis, quæ ab autore pro re nata ſeu adduntur ſtatim, ſeu repoſcentur, ubi non adſunt, ſed precaria proferri videntur. Taceo, quod & falſa inventoribus anſam dare poſſint, meliora ſubſtituendi.

Hujusmodi præmia jam proſtare recordor in Germania & Anglia, non ſine fructu ab iis inſtituta, qui conſcribendis de rebus naturalibus artificialibus & œconomicis obſervationibus vel ephemeridibus & relationibus operam navant. Neque dubito, quin plura hujusmodi præmia magis ampliatura ſint pomœria rerum & utilium & novarum, ac primo obtutu opineris, modo judices calleant, quid novum revera ſit, ne antiquum habeant pro novo. Docuit experientia id jam noſtrates & anglos, forte

&

& plures, neque expertes illius fructus manerent academiæ, quibus præmia insignia sunt concredita, si interdum loco problematum determinatorum proponerent indeterminatum hujusmodi tribuendum illi, qui suorum inventorum utilium præcipuum sit communicaturus. Ponamus enim centum aureos quotannis hujusmodi præmio esse destinatos, uti in academia imperiali Petropolitana. Si verbi causa quarto quoque anno indeterminatum esset problema, ut non tantum per quadriennium simplum sed multiplum quisquis vellet, laborare posset de novo invento utili eruendo, stabiliendo, ampliando & extra dubium ponendo, nonne sperari ita possent varia, quæ problemata formaturis aut plane non in mentem venirent, aut tamen ex aliis similibus unquam proditis, & perditis iterum, haurienda forent? Mihi certe id probabile satis videtur, ut credam, semel iterumque re explorata, insignis successus caussa fore, ut frequentiora fere futura sint problemata indeterminata, ac determinata, quæ in difficilioribus suum tuebantur locum. Præterea, ut plures allicerentur ad communicanda quæ reperere sibi magno usui fuisse, 1) dividi præmium pro rerum communicatarum indole, in quinque vel decem partes æquales aut inæquales posset, nisi unum tanti deprehenderetur momenti, ut integrum præmium mereri censeatur. 2) Ne fructus inventi autori periret, quando solus eo, vel & cum posteris suis, gaudere cupit & potest, promitti ipsi privilegium potest, modo rem ipsam & generalem ejusmodi tradat materiæ & productionis explicationem, e qua rei vera bonitas aut noxa explorari queat. Dari autori posset solum privilegium, si non nisi generalia communicaret; eo vero casu etiam præmium, quantum videretur, aut pacisceretur cum illo academia, quo plenaria totius inventi, omnisque modi, illud quam optime producendi, detectione, cujus veritas aut ipso opere, aut alio modo esset extra dubium posita, sub data silentii fide in tempus conventum, civitati prodesset.

§. 443.

Modus cavendi ne inventa cum autoribus suis pereant.

Quærendus si sit modus efficiendi, ne inventa, quæ in secretis habentur, cum autore suo, uti sæpius contigit, pereant damno reip. difficulter aut vix unquam reparabili, usui esse possent hæc & his consentanea: convincendus est autor, 1) non sui tantum, sed totius civitatis suæ ipsiusque porro generis humani bono ipsi hæc a Deo esse indulta, æque alia olim majoribus simili beneficio obvenere, quæ nunc usui communi, uti par est, patent; 2) Facile fieri posse, ut morte præventus nec ipse inventis uti possit, nec posteri & hæredes ipsius eo gaudeant, nondum illud edocti, vel schedula consignationis, si quam relinquat, perdita, quod multis contingere modis potest; 3) nihil ipsi nocituram esse inventi sub gratis conditionibus detectionem traditionemque in publicam conservationem fidemque. Cujusmodi conditiones esse possent, ut omnem inventi usum fructumque ad certos annos, aut quamdiu nemo alius eadem facere posset, aut ad dies vitæ, aut pro liberis, nepotibusque solus retineat, consignatione tamen rei ejusque productionis vera, perfecta, jurata obsignataque publicæ custodiæ exhibita, nec ante tempus conventum resignanda. Item ut generalem materiam modumque rem parandi sub silentii fide publica, uni alterique judici academico, nihil in ejus fraudem vel sui causa tentaturo, (licet ad alia vel meliora investiganda occasionem inde captare posset) aperiret, ut de veritate obsignatæ detectionis plenioris eo majorem faceret fidem. &c. 4) Potius illum propterea præmio esse gavisurum, quo alias sit cariturus, si ingenue agat, quæ ex pacto debet. Hujusmodi præmium consistere posset in re, quam præ cæteris inventor amat, nimirum in nobilitate, si inventum eam mereri censetur, uti antea multoties in casu simili factum est; in sparta & præfectura, honores & reditus afferente, præsertim circa res cum inven-

invento connexas, ut excitetur ad illud ulterius excolendum, quod itidem ab uſu non abhorret; denique in præmio pecuniario, ſeu in hunc finem publice aut privatim ſtatuto, ſeu ex aliis præmiis ad nova inventa remuneranda deſtinatis; ſeu extra ordinem in repertorem collatis.

Antiquis rerum inſignium inventoribus poſitæ ſunt ſtatuæ, poſita monumenta & epitaphia ſplendidiora. Homerus pluribus ſtatuis & templo quoque a Ptolomæo cohoneſtatus eſt. Pythagoræ multarum rerum inventori, ſtatua poſita eſt, & monumentum ſepulcrale, item Archimedi, quod longa ætate neglectum *Cicero* inveſtigavit Syracuſis, ut ipſe teſtatur *L. V. Tuſcul. Quæſt. c. 23.* E multis aliis unum addam Gerikium ob inventam aëris vim elaſticam ſtupendam nobilitatum. De bellicorum tormentorum inventione in hanc ſententiam ſcribit *Diod. Siculus Hiſt. XIV. c. 43.* Catapultaria ars hoc tempore Syracuſis primum inventa, nec mirum, cum præſtantiſſimi quique artifices unum in locum undique conveniſſent. Mercedis enim magnitudo, & præmiorum inſuper largitio palmam obtinentibus propoſita, induſtriam ſtudiaque mirifice incendebant. Et ſuper hæc omnia Dionyſius operas quotidie circumluſtrans obire, blandisque verbis compellare & promtiſſimum quemque honorario aliquo decorare, ad convivium etiam quandoque invitare. Quapropter omni certatim ſtudio artifices impenſo tela machinasque peregrinas, maximos ad bellandum uſus præbituras magno ſubinde numero elaborabant. *cæt.* Quamdiu ignota fuerint Archimedis ſpecula, nemo ignorat. Alia dabunt *Pancirollus*, *Salmuthus* aliique plures.

§. 444.

Non abs re ſtatuere licet, inventorum præmia inſtituta ac ſubinde aucta, & academias inventrices, & inventa ipſa plurimum eſſe adjutura atque multiplicatura. Inſigniora enim præmia egregie acuunt inventorum induſtriam & intra academias & extra easdem (§. 433.). Quo plura igitur & majora ſubinde præmia erunt ſperan-

Corollarium de præmiorum ſperando fructu.

randa, eo magis incumbent in eorum adquiſitionem quotquot ingenio pollent, & ſcientiis artibusve excultum habent intellectum. Sperare inde licet, præmiis inventorum ſubinde majoribus auctioribusque & inventa, quæ occultantur, in lucem emerſura, ne cum autoribus emoriantur (§. 443), & academias inventrices, & inventa, artemque inveniendi plurimum adjumenti momentique fœnerari & ſortiri poſſe.

Si dicendum quod res eſt, præmia illa & fulcra erunt nutrimenta & invitamenta uti academiarum occultiora venantium expiſcantiumque, ad ſtrenuam inventis ſubinde pluribus majoribusque operam navandam, & ad incendendos quoque cæteros artifices opificesque, ad meliora ſubinde & plura arte facta producenda, & ad communes uſus edenda. *Provocatio ingeniorum heuriſticorum ad nervos ſuos intendendos in reperiundum id, quod præmium ipſis promittit præſtabitque, æquipollet fere academiæ inventrici temporariæ.* Vniuntur ſcilicet ſua ſponte vires inventorum verorum & eorum æmularum, & licet ſe invicem ignorent, qui in ſolvendum problema incumbunt, tamen tantiſper haud ſecus agant, acſi conſtituerent academiam inventorum, in quæſitum conſtitutam & durantem, donec id fuerit repertum, quod detegendum eſt, aut conſtet, id ſaltem nunc nondum reperiri poſſe. Liberalitas igitur in præmiis hujusmodi conſpicua, alma erit obſtetrix atque natrix animorum, ad excogitanda utilia natorum, novorum reperiundorum, artisque inveniendi promovendæ, ſi pietas Dei donorum cultrix & adminiſtra, ſuis partibus non deſit.

§. 445.

Alia harum academiarum accidentia.

Cæteri reditus incerti academiæ indagatricis ſtatui poterunt in condendis faſtis, edendisque ſuis operibus, unde autoribus emolumentum induſtriæ ſuæ accreſcat. Faſti enim, vulgo calendaria, in regno aliave rep. magno numero emuntur & conſumuntur, locuplete experientia teſte. Quo rectius itaque & utilius inſtruuntur,

untur, eo plus boni inde in remp. redundat. Sed ad hoc efficiendum aptior eſt academia inventrix, obſervationibus ſiderum una operam dans, quam vel privatus quisquam, vel alia academia (§ 425. *ſeq*). Civi ex magno numero exemplarium lucrum ad editores redeat, ſi præſertim faſtis peregrinis nullus relinquitur locus, aut non niſi is, qui debito faſtorum numero diſtrahendo nihil obſit; academiæ inventrici privilegium dari poteſt, ut ſoli ipſius faſti omnis generis ad quoscunque uſus ſolitos neceſſarii, venales habeantur, & emendi ſint, ubicunque illis eſt utendum, & ex lucro inde redeunte præcipuam partem autores faſtorum referant, reliqua pars ſeu cæteris membris ſeu aliis uſibus & ſumtibus academiæ deſtinetur (§. 427. *ſeq*.).

Commentarii a membris academiæ confecti, ab academia approbati, & editioni deſtinati conſiderari aliter nequeunt, quam autorum libri. Vti ergo æquum juſtumque eſt, & autor editorque libri induſtriæ ſuæ fructum ferat ſolus: ita quoque in hiſce academiis autores Commentariorum jure accipiunt lucrum, quod deductis impenſis operarum, & bibliopolæ ſalario, e divenditis exemplaribus reſtat niſi aliter conventum eſt (§. 428.). Idem quoque dicendum eſt, de aliis libris adoptatis ab academia, æquitatis ratione non neglecta. Inde etiam academia indiget privilegio proprii bibliopolii.

Quia in civitate curandum eſt, ut felices & fortunati in ea eſſe poſſint, quotquot officiis ſuis obſequuntur, & ut in ſuo vitæ genere non minus florere poſſint, quam in ullo alio (§. 566. *P. I. Polit.*): non poſtrema ratio habenda eſt academiæ inventricis, ſed potius ob nobilitatem difficultatemque rerum ſibi communis boni cauſa excogitandarum aliquanto plus illi tribuendum, quam in alio faciliori loco eſſet habitura. Jam privatus quisque eruditus ſcriptorum publicæ utilitatis cauſa fructus meretur: inde juvanda eſt publice academia, ut amplior illi obtin-

get operum suorum fructus, quam privatis autoribus. Quem in finem cætera comparanda sunt, quæ simul commune egregium juvant & ornant. Quatenus librorum fructus ex pretio venditionis illorum, non vero ex academiæ præcipuo jure nascuntur; eatenus ne quidem inter accidentia referri possunt (§. 909. *P. VIII. Jur. nat.*) nec in partem salarii imputari queunt (§. 910. *ibid.*). Sunt enim tantum vulgares fructus diligentiæ extra academiam non minus autoribus librorum obventuri. Id ergo tantum ratione fastorum & commentariorum e juribus academiæ repetendum, quod illa singulare præcipuumque habet. Quod si largiori salario pensetur, in alios academiæ usus verti potest.

§. 446.

Quæ immunitates & privilegia debeantur his academiis?

Academia inventrix illis immunitatibus privilegiisque instruenda est, quibus expeditior redditur in scopo suo consequendo. Nimirum academiæ inventrices emendationi & incrementis artium scientiarumque vacare debent (§ 407.). Quoniam quisquis vult, ut finis obtineatur, ea nolle nequit, sine quibus iste aut prorsus non, aut non ex asse obtineri posset (§. 941. *Ontol.*): manifestum est, ab academia inventrice arcenda esse quæcunque illam in studio scopum suum obtinendi impedire; ea vero omnia ipsi indulgenda esse, quæ illam in isto studio juvare & longius provehere possunt. Quemadmodum igitur academiis docentibus recte impertiebantur privilegia varia (§ 330. 356. *seqq.*) & immunitates (§. 359. *seqq.*): ita non minus academiis inventricibus ejusmodi tribuendæ sunt immunitates, & talia concedenda privilegia, quibus expeditiores reddantur in fine suo, quoad fieri potest, ex asse consequendo.

Intelligitur id vel ex eo generali societatum principio, quo evitanda ipsis sunt quæcunque fini ipsius obesse, illa vero diligenter curanda, quæ ad finem quam optime & plenissime adipiscendum facere noscuntur (§. 18. *P. VII. Jur. nat.*). Vnde licet

licet privata tantum esset academia inventrix, tamen qua talis ad nihil aliud obligaretur, quam ad cavenda omnia, quæ fini ipsius adversantur, & facienda quæ scopi consecutionem promovent. Indidem per se patet, quod immunis sit ab omnibus scopo suo adversis, & juribus illis gaudeat, quæ ex societatis natura resultant. Hinc & publica autoritate institutæ academiæ scientiarum & artium illis immunitatibus privilegiisque instruendæ sunt, quibus expeditiores redduntur ad metam suam contingendam.

§. 447.

Nempe immunitates a vulgaribus civium oneribus.

Immunes esse debent academiæ inventrices a vulgaribus civium oneribus cum personalibus, tum realibus, ordinariis extraordinariisque. Realia enim civium vulgarium onera sunt sumtus reip. administrandæ ac defendendæ causa faciendi (§. 774. *P. VIII. Jur. nat.*). Personalia vero consistunt in operis eodem fine conferendis. Ordinaria requirit perpetuus, extraordinaria rarior usus & casus reip. curandæ (§. 779. *ibid.*). Quia per hypothesin hæc onera sunt vulgaria, academia inventrix vero obligatur ad talia saluti publicæ præstanda, quæ vulgaria non sunt, nempe ad procuranda artium & scientiarum incrementa & perfectionem (§. 407.), eique omnes concedendæ sunt immunitates, quibus redditur expeditior in fine suo obtinendo (§. 446.): immunis esse debet academia inventrix a vulgaribus civium oneribus quibuscunque, ut eo rectius suis functionibus vacare possit.

Si negas, has immunitates academiis scientiarum artiumque esse concedendas, procul dubio tales ponis, quæ multas hominum centurias & chiliades complectuntur, ideoque perparum aut nihil habent, quod ad hunc finem conferant, sed discere potius ab aliis cupiant, quam ut eos nova docere, & inventores agere possint. De his vero hic non agi, per se liquet. Veri inventores non dantur nisi pauci (§. 423.), qui sua opera vulgari hic vix quidquam prodessent, & si quid valerent, ad id obtinendum plurimi alii sufficiunt. Quod secus habet in illis, qui-

bus ipſi reip. conſulere ſua opera minime vulgari ſed exquiſita poſſent. Quapropter illarum conſervationi & reſervationi ad exquiſita illa civitati præſtanda, quibus cæteri impares ſunt, omni modo ſtudendum eſt. Si dicas, ſumtus tamen ab illis conferri poſſe æque ac aliis, qui ſuis vacant privatis negotiis: id infitiari nolim, ſi opibus abundant. Sed ſi ad illud obtinendum eo majora danda ſunt ſalaria, quando aliunde locupletari nequeunt, fruſtra daret id ipſis civitas, quod ab ipſis eſſet illi reddendum. Ea propter, præſtat ipſis ab oneribus vulgaribus immunitatem dare, ne in gravioribus ſtudiis ſuis impediantur. Archimedes in muſeo ſuo inventis inauditis multo plus proderat patriæ ſuæ, ac ullo modo operis vulgaribus in obſidione romanorum prodeſſe potuiſſet. Quod & Marcellum, obſidionis ducem, movebat, ut ſolum Archimedem ex Syracuſanis cuperet conſervatum ſalvumque eſſe. Conferantur quæ de univerſitatum immunitatibus ſupra habentur.

§. 448.

Privilegia illius communia.

Privilegia academiæ inventricis ſaltem celſioris communia ſunt independentia ab aliis & autonomia ſalvis juribus majeſtatis, jus legitime adquirendi & poſſidendi bona mobilia & immobilia, ædificandi ſibi collegia & theatra apta ad ſcopum ſuum, jus eligendi recipiendi & amovendi ſocios, id merentes; jus eligendi ſibi ſigillum & notas, quibus diſcernatur ab aliis academiis; jus protopraxiæ ſ. jus piorum corporum, debita præ cæteris conſequendi, quorum alioqui par eſſet ratio; commercium literarium latiſſimum &c.

Rationes horum privilegiorum ex fine ſocietatis innoteſcunt nullo fere negotio, & apprime conveniunt illis, quæ in cæteris academiis ſocietatibusque dudum frequentantur. Oportet nempe ut quicunque conjunctis viribus nituntur ad finem conſequendum, inter ſe deliberarent & conveniant de modis & ſubſidiis præſtantioribus, ideoque ſibi leges eligant ſalutares. Hinc & academia inventrix, quid ſibi expediat, melius ſcire & præſcri-

ſcribere poteſt ſuis membris, quam quisquam alius, nec ita vel majeſtati, vel ulli alii officiet. Reliqua, vel privatis quibusque in ſuo vitæ genere libera, multo minus academiæ tam inſigni denegari poſſunt, & continentur inter privilegia ejusmodi academiarum, v. c. Londinenſis in *Sprati Hiſtoria ejusdem p. 134. ſeqq. The Society ſhall be inabled to levy, hold poſſeſſ and injoy Lands, tenements, &c. liberties, franchiſes, juriſdictions for perpetuity, orterme of lives, or years, or any other way, as alſo goods, chattels, and all other things of what nature or kind ſoever .... as any corporations are by law inabled to do .... it is granted .... that they being met together, have full power to make ſuch Laws, ſtatuts, orders and conſtitutions, which ſhall appear to them to be good, uſefull and neceſſary for the directions of the royal ſociety .... They are impowred to have a common ſeal for their uſe in theis affairs ... All perſons, worthys for the reception in the Society, ſhall by chooſen by the preſident and council, noted in a regiſter, and called fellows of the ſaid ſociety during life, except any of them ſhal happen to be amoved.* De cauſis remotionis ita ſtatuitur inter leges *p. 148. ibidem. The cauſes of ejection ſhall be contemtious disobedience to the ſtatutes and ordres of the ſociety; defaming or malicious damnifying the ſame.*

§. 449.

Privilegia academiæ inventrici propria habentur in jure de inventis ſtatuendi, num ſint id, quod eſſe dicuntur, aut quatenus expedire queant vel nequeant; in jure conventus celebrandi ad ſcopum ſuum neceſſarios; in libertate ſentiendi quod res eſt; in jure propriæ typographiæ, & proprii bibliopolii; in jure proprii laboratorii & obſervatorii ut vocant, item muſei completioris, theatri anatomici, cameræ obſcuræ, apparatus inſtrumentorum heuriſticorum; in jure officia & ordinem conſtituendi rerum ſibi quam optime agendarum; in jure perſonarum claſſes & ordinem ſcopo ſuo accommodandi; in obligatio- *Privilegia propria ejusdem.*

gatione aliorum ad inventionem, quibus poſſunt, modis juvandam & ad ſubminiſtranda, quæ eo valere poſſe credunt; in vacationibus ſtatis & emeritorum, ſalvo honorario. cæt.

Primum academiæ inventricis eſt, de iis, quæ ipſi exhibentur, obſervationibus, experimentis & deductionibus judicandi uti natura rei requirit, ſi qua occurrunt falſa, illa improbandi, vera approbandi, dubia movendi autori, ut appareat, num illa ſolvi poſſint, nec ne; quæ penetrari nondum poſſunt, in medio relinquendi tanquam res altioris indaginis. Deinde dari quoque privilegium ſolet academiæ ſcientiarum examen alienorum inventorum, antequam publice approbentur & privilegio muniantur, uti Londini, Pariſiis & alibi factum eſt. Conventus academiæ inventricis non tantum uno actu multis ſeu omnibus membris ſimul nota faciunt ea, quæ reperta & obſervata ſunt, vel cum academia communicantur; ſed & proſunt, ut plurium ſententiæ ea de re audiri, diſcuti & vel ad rem comprobandam & illuſtrandam, vel ad falſa, ſuperſtitionem & fraudem, ſi qua ſubeſt, detegendam conferri ita poſſint, ut breviter multa diſcant earum rerum ignari, cæteri ad rem altius indagandam incitentur. De libertate ſentiendi plura reſtant adjicienda. Propria typographia, ubi neceſſaria vel proficua deprehenditur, duplici modo haberi poteſt in uſum academiæ inventricis. Altera ſeu publicis ſeu privatis ſumtibus adeſt, quarum hæc tantum pacto nititur, quo academia ſua ſcripta ipſi locat imprimenda, quemadmodum privati autores ſuos libros edere pro convento honorario ſolent. Altera propriis academiæ ſumtibus inſtituitur, atque typothetæ & impreſſori tantum ſolita merces ſolvitur, ut lucrum, unde typographus ali ſolet, academiæ uſibus cedat. Quod non conſultum eſt, niſi ubi magna exemplarium copia excudenda, & alia ſeu membrorum academiæ, ſeu aliorum ſcripta edenda certum promittunt lucrum, propter privilegium graviter prohibens, ne iſta opera a quoquam recudi & divendi poſſint. Hoc caſu ſimul opus eſt bibliopolio, in quo libri venales proſtent & æquo pretio vendantur, ut deductis ſum-

ſumtibus bibliopolii reditus in uſus academiæ cedant. In eosdem uſus & pictura opus eſt & ſculptura figurarum æri incidendarum, ſive a quodam academiæ membro ſive ab alio æquiori artifice exercenda. Sic in Londinenſis ſocietatis regiæ privilegio legitur in *Tho. Sprati Hiſtoria ejusdem p.* 141. *Full power and Authority is given unto the ſaid ſociety, from time to time to choose one or more printers and gravers, and by writing ſealed with the common ſeal of the ſociety .. to grant them power to print ſuch things, matters and buſineſſes concerning the ſaid ſociety, as ſhall be committed to them by the council.* De ſequentibus quædam ſeorſum ſubjungenda reſtant, præter ultimum de vacationibus, quod paucis abſolvi poteſt. Arbitrio nempe conſentientis academiæ, & ubi publica eſt academia ſuperiorum indultu, ſanciri poteſt quod conſultum videtur. Non addam niſi hæc ex lege 4 & 18 academiæ ſcientiarum & artium Berolinenſis 1746. *Les vacances de l'academie ſeront de 4 ſemaines, pendant la moiſſon, & de 2. ſemaines à chaque fete de paques, de pentecotes & de Noël . . . Les veterans . . . auront merité d'être diſpenſez des fonctions Academiques & de conſerver leurs penſions & toutes leurs prerogatives.*

§. 450.

Qualis libertas philoſophandi academiæ ſcientiarum debeatur?

Si libertas philoſophandi eſt permiſſio publice proponendi ſuam de rebus philoſophicis ſententiam (§. 151. *Diſc. prælim. de Philoſophia in genere*) & genuina libertas philoſophandi, quæ ſolius veritatis rationem habet (§. 154. *ibid.*): *genuina philoſophandi libertas academiis ſcientiarum & artium prorſus integra eſt relinquenda;* vel *propria eſſe debet academiæ inventrici libertas ſentiendi quod res eſt.* Academiæ enim inventricis eſt veritates occultas detegere ideoque & res novas indagare & rerum cauſas latentes, nec non uſus rerum notarum quæ inutilibus accenſentur, aliarumque uſus ampliores (§. 407). Sed ſervitus philoſophandi cogit receptum aliorum ſententiam tueri veram etiamſi ipſi contrarium videtur (§. 152. *ubi ſupra.*); ideoque

que obſtat detectioni rerum novarum, & fini academiarum inventricium. Cum ideo ſervitus philoſophandi repugnet emendationi & incrementis ſcientiarum & artium, libertas autem id ſentiendi & ſtatuendi, quod res eſt, ſeu genuina philoſophandi libertas eo conducat: integra prorſus eſſe debet collegio repertorum genuina philoſophandi, & ſentiendi quod res eſt, libertas, tanquam ipſi neceſſaria ſane & propria.

Libertatem dicere ſolemus facultatem eligendi e pluribus, quæ occurrunt id quod maxime placet (§. 941. *Pſychol. empir.*). Cui libertati internæ ſi accedat externa ſeu civilis, poſita in immunitate a ſubjectione & dominio alterius hominis (§. 153. *P. I. Jur. nat.*), plena eſt libertas & integra. Jam in academia inventrice dari debet & libertas interna, eligendi ſententiam, quæ rebus reſpondet, & externa, quæ nullam infert ſervitutem, nullum præceptum inhærendi receptis olim ſententiis, nullum vetitum aliam proferendi ſententiam receptæ contrariam, multo minus ſanctionem pœnalem prohibitioni adjectam. Eapropter academiæ inventrici cuicunque integra prorſus eſſe debet libertas philoſophandi genuina, & ſentiendi, id quod res eſſe intelligitur. Sibimet ipſi repugnaret inſtitutum emendandi ſcientias artesque & nihil in ipſis mutandi; nova detegendi & non ſtatuendi niſi dudum recepta. Poſſet quoque genuina libertas philoſophandi ſimpliciter vocari libertas philoſophandi, ope ſtrictioris definitionis, qua diceretur plena libertas ſtatuendi quod res eſt, eoque ipſo a licentia novandi & pruritu diſſentiendi ab aliis promiſcue, tantum ut nova ſtatuiſſe & protuliſſe videatur, diſcerneretur. Eſt enim iſte *novandi pruritus* totus vitioſus, non quod res eſt, ſed quod paradoxum, inauditum, ſingulare, receptisque dogmatibus contrarium eſt, temere obſtinateque ſectans. A quibus longiſſime abhorret unius veritatis ſtudioſa philoſophandi libertas, nec religioni veræ infeſta, nec virtuti ulli, nec inſtitutis civitatis ejusque tranquillitati, uti in *cit. prælimin.* oſtenſum eſt.

§. 451.

§. 451.

Specula astronomica vix digne gaudebit academia inventrix, nisi publico sumtu exstruatur, instrumentis idoneis adornetur, & observatores alantur cum egregio astronomo directore. Sumtus enim insignes requiruntur in turrim, cella profunda subtus, & excelsa specula sursum præditam, qui privatam sortem ut plurimum superant, etiamsi plurium symbolæ conferantur. Id quod quilibet facile largietur. Præterea magno sumtu stant ea, quibus curatiores institui possunt observationes, instrumenta varii generis conditionisque. Denique astronomus, qui his partim uti ipse, partim alios instruere & dirigere debet in observationibus rite instituendis, & in calculis ponendis citra errorem, non solum his vacans negligere cogitur curam rei familiaris, sed ne quidem unus omnibus vigiliis observationibusque par esse potest. Quare & ipse & illius adjutores publico ære sunt alendi. Quæ omnia ostendunt vix dignam academiam inventricem observationibus siderum vacare posse, nisi regio aut simili publico sumtu & specula aptissima exstruatur, & optimis dotetur instrumentis, in quosvis usus suffecturis, & qui observitent, astronomus unusque vel alter vicarius illius colatur, ut calculo judicioque acri adhibito perfici astronomia ejusque usus varius queat.

Astronomica inventa uti procuranda sint?

Dantur quidem exempla quædam astronomorum, qui suis sumtibus privatis non pœnitendam Astronomiæ operam navarunt. E quorum numero unum citasse Herelium sufficit. Sed partim regiis sumtibus ipsum fuisse suffultum, partim arte instrumenta sibi parandi, pictoria & chalcographica ipsum fuisse suffultum, adjumento denique uxoris aliorumque gavisum, non est dissimulandum. Quod & de aliis quadamtenus est confitendum, nec progressus excedere vires privatas potuere. Mirum igitur non est plus effici aptioribus speculis, instrumentisque & astronomis publico salario ad altiora animatis, modo suis parti-

bus, ſtudio æmulandi & vincendi alios rite fungantur. Ejusmodi eſt ſpecula Pariſienſis regia, & Grenovicenſis in Anglia, unde ſublimiora aſtronomiæ incrementa ſunt profecta. Quis enim *Hirii*, *Caſſinii*, *Flamſteadii*, *Halleji*, *Bradleji* inventa ignorat?

§. 452.

De inventorum chemicorum fructu.

Officina chemica gaudens academia inventrix uti poteſt ad lucrum ex ſuis inventis capiendum & inventorem præmio afficiendum. Si enim privatus inventor novi v. g. metalli, medicamenti alteriusve effecti fructu merito utitur fruiturque, quamdiu celare artem ita poteſt, ne quis eadem facere poſſit, aut quamdiu alii id imitari prohibentur (§. 443.): cur negandus eſſet academiæ inventrici ſuorum inventorum uſus fructusque inſignis? Niſi tamen aliud inventori præmium detur, eidem ſuæ induſtriæ fructus ſolum aut potiſſimum erit relinquendus, ſaltem pro ea parte, quæ ipſius ingenio debetur in ipſo invento. Quod fortuitum eſt, id quia æque alteri cuipiam obvenire potuiſſet, in commune academiæ uſus rectius impendatur.

Vt uno hoc utar, cui ignotum eſt, quantum emolumenti orphanotropheum hallenſe perceperit ex medicamentis ibidem confectis, & conficiendis ulterius? Quam longe lateque illa divenduntur etiam nunc? Si tamen inventum latius mereretur uſurpari, & ſine detrimento inventoris communicari pro præmio poſſet, exemplo virginis anglicæ Stephanæ quaſi vendi quoque poſſet, inprimis ſi diu celari non poſſit lynceos. De ſimilibus inventis, aliis eadem ſunt cenſenda.

§. 453.

Ordo in his academiis receptus.

Ordinis in academia inventrice publica habendi ratio recepit Patrocinium ſ. protectorem, ipſum ſcilicet regem vel monarcham, aut quisquis ibi gaudet ſummo imperio; membra duplicis generis, immunia & ordinaria, quorum hæc functionibus inveniendi academicis adſtringuntur; illa non ſed

libera

libera ſunt ab illis (§.431.): ordinaria vel dividuntur in certas claſſes, vel ſolutius agunt quod valent; item ex pacto vel ſunt *primaria* ſeu commentatores inventoresque, vel *ſecundaria*, ſeu eorum adjutores vel adjuncti. Eligit ſibi academia *Præſidem* confirmandum a Protectore, eumque vel perpetuum vel temporarium v. c. annuum cum vicario Propræſide; eligit ſibi claſſis, ſiqua datur, ſuum *directorem.* Eligit ſibi quoque academia ſuos commentatores ac *operatores*, niſi ſtati habeantur; ſuum *theſaurarium*, *ſecretariumque* unum vel & alterum, & *bibliothecarium*, ubi illo opus eſt. Eligit ſibi ſua membra quæcunque ex illis, qui ipſi aggregari cupiunt, ſaltem non nolent. Membra immunia ſeu extraordinaria vel tantum ad ſumtus academiæ aliquid conferunt ut proficere in ea poſſint; vel ſua dignitate gratia & celebritate academiæ proſunt, & *honoraria* vocantur, uti priora tantum *libera membra* & auditores vocantur. Honoraria & alia, vel indigena ſunt vel peregrina.

Societati regiæ Londinenſi Præſes eligitur ad dies vitæ, niſi abrogare ſibi præſidium malit ob legitima impedimenta. Membra ordinaria habentur 20., quæ efficiunt concilium ſocietatis, quorum decem quotannis mutantur; reliqua ipſius membra ſocii (felloros) dicuntur. Academia regia Berolinenſis quatuor habet claſſium directores, communem præſidem, ſecretarium. Membra ejus honoraria 1746. reſtringuntur ad 16.; ordinaria ſunt duodecim ſalariis gaudentia, & his duodecim aſſociantur; veterana gaudent ſua immunitate, tanquam emeriti. Membra peregrina undique eligi poſſunt, modo ſint meritis clara. Pariſienſis academia 4. genera habet academiæ membrorum, *honoraria* numero incerto, *ordinaria* ſalariis prædita (*penſionaires*) tres nempe Geometras, tres Aſtronomos, tres Mechanicos, tres Anatomicos, tres Chemicos, tres Botanicos, præter theſaurarium & ſecretarium; *Adjuncta* (*aſſociez*) 12. indigenas, 8. peregrinos; *alumnorum* 12. (*eleves*), quorum quisque illi ordinario addictus eſt, cujus conſortio gaudet, & qui illum ſibi

elegit. Academia eligit ſocios ſecundum leges præſcriptas, quos rex confirmat &c. Vid. leges A. 1699. *Tomo actorum præmiſſas.*

§. 454.

Ordo rerum in ea agendarum.

Rerum agendarum ordo requirit ſtatum tempus, quo conventus ſunt celebrandi aut non, v. c. quo menſis aut hebdomadis die, quibusque horis; quid in his vel illis conventibus quo ordine & modo ſeu tractandum ſit, ſeu deliberandum, ut, quando vel quot legendi ſint commentarii, & experimenta vel obſervata exhibenda; quando inſtituenda electio membrorum & deliberatio de rebus academiæ œconomicis; quando præmia attribuenda, recitandæ epiſtolæ & examinanda, quæ aliunde afferuntur; quando ordinanda ſint edenda; aut officia ſint conferenda, recitanda acta ſocietatis, digerenda, ordinandaque: num recenſio librorum perluſtratorum facienda, &c. De his enim ſtatuendum eſt, quod communi conſenſu per rationes, quæ non ubique ſunt eædem, conſultius deprehenditur, & vel omnibus membris arridet, vel his inprimis, quorum maxime intereſt numeroque illorum majori, uti generatim ſocietatum indoles (§. 79. *ſeq. P. VII. Jur. nat.*) & peculiaris hujusmodi academiæ ſcopus requirit.

Inter leges academiæ ſcientiarum Pariſinæ 17a. bihorium tribuit cuivis conventui, ab hora tertia ad quintam a meridie; 20a. quisque ſocius jubetur occupari circa rem diverſam ab aliis in ſua claſſe; 23a. duo ordinarii academici in quavis ſeſſione jubentur recitare ſua obſervata & commentaria, de quibus cæteri ſententiam dicunt, præter hos & alii adjuncti auditentur ſi quid novi afferunt, & literæ leguntur nova nuntiantes; experimenta & obſervata exhibenda ſunt academiæ congregatæ lege 25a. libri magni momenti ad ſcopum academiæ, jubentur legi a perito illarum rerum academico, & referri, quid peculiare in illis habeatur dignum excuſſione. Lege 28a.; Lege ſequenti repeti juben-

jubentur obſervationes & experimenta alibi facta. Lege 30a. examinari debent opera academiæ oblata, & machinæ L. 31. num mereantur approbari. Cæteris legibus ordo officiorum reliquorum, v. c. eligendi ſocios &c. ſtabilitur.

Regiæ ſocietatis Londinenſis finis in ejus privilegio his exprimitur verbis: *Whoſe ſtudies are to be imploy ed for the promotiny of the Knowleege of natural things and uſeful arts by experiments, to the glory of God and the good of man kind.* Ipſius conventus ordinarii exceptis feriis ſemel per hebdomadem habentur, in quibus ſocii eliguntur & admittuntur, datis 40. ſolidis pro admiſſione, & trimeſtribus ſymbolis ad ſumtus neceſſarios. In conventibus leguntur audiunturque relata, obſervata & literæ, inſtituuntur experimenta, examinantur & diſceptantur rariora naturæ & artis opera, & conſideratur, quid inde ulterius deduci poſſit, aut ad quos uſus transferri queant; eliguntur ſocii, & functionibus ſocietatis præficiendi, v. c. duo curatores experimentorum, quibus 200. pondo (pownds) quotannis promittuntur, &c. Academiæ Berolinenſis veterani gaudent vacatione functionum. Duodecim ordinarii, eorumque adjuncti cum præſide & membris honorariis conveniunt quovis die Jovis, feriis demtis. Ordinariorum quisque quotannis duos recitat in conventibus commentarios, adjunctorum quisque non niſi unum, ut quemque ordo tangit. Res œconomicæ cæteræque peculiares vel in ſolemniori conventu peraguntur, vel in privato ſelectorum ad eas curatorum Vid Leges A. 1746. ſtabilitas. Göttingenſis quovis menſe ſemel celebrat ordinarios conventus, die quidem Saturni. Pariſina bis in hebdomade, die Mercurii & Saturni congregatur.

§. 455.

Ordini bene inſtituto tuendo præeſt præſes academiæ (§. 442. P. VIII. *Jur. nat.*), cujus eſt convocare conventus extraordinarios, proponere deliberanda in academia, colligere ſuffragia, pronuntiare concluſa & expedire, uti leges jubent, &c Si haberi poſſit eligendus eſt in omnibus excellens (§. 443. *ibid.*).

De officio Præſidis.

Qui præſes in aliis eſt juratus, in aliis ſocietatibus vero non juratus: prout rationum diverſitas flagitavit. *Sicubi præſes legitime impeditur in ſuis functionibus, propræſes ipſius vices obit*, cum ipſo in concordia ſociorum tuenda ſolicitus (§. 447. *ibid.*).

In Privilegio ſocietatis Londinenſis p. 146. *Sprati* hæc ſanciuntur: *The preſident shall preſide in all meetings, regulate all debates of the ſociety and council; ſtate and put queſtions; call for reports and accounts from committees, curators and others; ſummon all extraordinary meetings upon urgent occaſions and ſee to the exſecution of the ſtatutes.* Berolinenſis academiæ Præſidi l. c. n. 8. hæc tribuuntur: *Le preſident nommé par le Roi aura ſoin de faire obſerver le reglement, d'indiquer les elections, de preſenter au Roi trois ſujets pour chaque place de penſionaire, elus à la pluralité des voix de tous les academiciens preſens; de faire deliberer ſur les matieres, qui ſont du reſſort de l'academie; de recueillir les voix; de prononcer les reſolutions, & de nommer les commiſſaires pour l'examen les decouvertes, ou des ouvrages, qui ſeront preſentez à l'academie cæt.*

§. 456.

De claſſibus harum academiarum.

Vbi publicis ſalariis gaudent academiæ noſtræ, ibi quoque in eas claſſes ſcientiarum digeri poſſunt, circa quas debent occupari; quod in cæteris non æque procedit. Si publicis ſalariis utuntur inventores, diſquirendum eſt, quænam res præcipue indigeant emendatione & inventione in civitate. Quot igitur occurrunt ſcientiæ diverſæ emendandæ & amplificandæ, tot generum inventores idonei erunt quærendi (§. 423.) ideoque & tot claſſes erunt in academia ſtatuendæ (§. 326.), in quibus illis inveniendis opera detur (§. 422.). Vbi vero ſocii nullo gaudent ſtipendio, ſed ſponte conferunt, quæ volunt; ibi claſſes illæ non erunt conſtantes, ſed adquieſcendum erit in his, quæ haberi poſſunt, cujuscunque ſint generis, etiamſi omnes fere eſſent unius ejusdemque (§. 431.).

Sic Londinenfis focietas fcientiarum claffes nullas ufurpat, fed promifcue hiftorica, phyfica, medica, mathematica, philologica jungit. Neque enim difficile eft, dijudicare, ad quam claffem hæc vel illa pertineant. Commentarii Parifienfis academiæ fcientiarum imprimuntur quoque citra certum ordinem, ne quidem chronologicum; fed in præmiffa hiftoria in fuum ordinem rediguntur, v. c. phyfica generalis & fpecialis, medicina, & mathefeos variæ partes. Berolinenfis olim 4. habet claffes, quæ A. 1746. difpefcuntur in phyficam experimentis nixam, quæ complectitur chemiam, anatomiam, botanicam, fimilesque experientiæ fuperftructas; mathematicam integram; philofophiam, contemplativam & moralem, philologicam, quæ complectitur antiquitates, hiftoriam & linguas. Petropolitanæ claffes funt mathematica, phyfica & hiftorica, cui fubjunguntur obfervationes aftronomicæ. Hoc exemplo ante annum 1745. reperies mathematicam claffem etiam Berolini aliquamdiu primum locum fibi vindicaffe.

§. 457.

De occafione inventorum ab aliis præbenda.

Publicæ academiæ fcientiarum quodammodo juvantur, fi ad eam rariora & difficiliora, quæ occurrunt & necdum enucleata proftant: deferri undique jubeantur. Sunt enim illi fubinde meliora iis, quæ nota funt, eruenda (§. 407.). Captanda igitur eft materia curatiori & nova difcuffione digna, quæque in vita humana utilis effe poffit. Sed tales res haud raro illis occurrunt, qui circa res naturales & artificiales verfantur & animadvertunt, quænam in illis difficiliora ipfis occurrunt, & quæ profutura effe exiftimant. Quare cum talia academiæ fcientiarum fuppeditando anfam ipfi dent in res utiles inquirendi: fuum aliorumque fimul commoda promovent, fi talia communicent cum academia, ejusque difcuffioni commendent, in quæ forfitan per fe non incidiffet. Quodammodo igitur juvantur publicæ academiæ, fi membra honoraria cæterique cives jubeantur ad eam deferre, quæ rariora, ignotiora, difficiliora fibi

ſibi occurrunt, quæque enucleata vel ad uſus ſuos melius excuſſa cuperent (§. 1145 *Logic.*).

Fatendum enim eſt, opus eſſe ad nova invenienda data ſæpe ab aliis occaſione: uti Archimedi data fuit ab Hierone occaſio inveſtigandi, unde ſalva corona aurea intelligi poſſet, num & intus ſolide aurea eſſet; & naves romanorum eidem anſam dedere quærendi ſpecula, quibus ope radiorum ſolis incenderentur. Privatæ academiæ cauſa non facile ejusmodi præceptum exibit; ſed ſi publica autoritate promovendus eſt academiæ inventricis ſcopus, hujusmodi juſſus invitare & illos ad ſubminiſtranda utilia problemata poterit, qui alias nil tale vel cogitarent vel auderent. Si qua enim mitterentur jam excuſſa, facile amandarentur ad loca ſcriptorum academiæ, in quibus illa jam habentur excuſſa. Quo ipſo ſimul plures emtores ſcriptorum orirentur. Si qua autem inepta aut quæ ſolvi nondum poſſunt, proponerentur, illa facile rejicerentur, hæc vero ulteriori ſervarentur diſcuſſioni. Hinc finis privilegii Londinenſis ſocietatis hæc habet: Laſtly his majeſty ſtraightly charges and commands all juſtices, mayors, aldermen, sherifs, bayliffs, conſtables and all other officiers, miniſters and ſubjects whatſoever, from time to time to be aiding and aſſiſting unto the ſaid ſociety in all things &c.

§. 458.

Quærenda & ab academicis inventionum materia. *Quærenda quoque materia inventionis in libris aliorum recentioribus & antiquis ſtudio membrorum academiæ præſertim ordinariorum.* Verſari enim academia inventrix debet circa res ignotas, earum cauſas & agendi leges, aut uſus rerum notarum ignotos detegendos, & circa emendanda ac perficienda ea, quæ inter homines recepta ſunt, & circa incertam confuſamve cognitionem diſtinctam & certiorem efficiendam (§. 207.). Hinc oportet, ut membra academiæ præcipua & ſciant, quænam jam ſint nota & certa, quæ minus, ideoque ſeu inventione ſeu lima indigeant (§. 423.). Sed nemo hominum per ſe omnia

noſſe

nosse potest, quæ in cognitionem humanam cadunt, sive de rebus singularibus sermo sit, quas offert experientia attentioribus cum observatoribus, tum periclitaturis ingenii rerumque vires; sive de dogmatibus, scitis, placitisque scientiarum agatur. Id quod sua quemque docet rerum magistra. Opus igitur est, ut qui inventores agere debent, bene teneant, quænam in sua scientia & arte jam explorata habeantur, quæ minus, & quænam in receptis emendatione & confirmatione indigeant, quæve plane falsa & commentitia sint, itaque veriorum indigeant substitutione (§. 441. *P. VIII. Jur. nat.*). Manifestum igitur est, præter commercium cum aliis hominibus varii generis celebrioribus, quos convenire possunt, & præter commercium literarium, potiora præsertim academiæ inventricis membra, cæteris adjuvantibus, materiam inventionis circumspicere & captare debere e legendis in hunc finem libris recentioribus pariter atque antiquis, quod fieri posse ostensum est (§. 962. *Logic.* & §. 362. *seqq. P. I. Ethic.*).

Recte optatur, ut lexica prostarent realia vulgaribus emendatiora, in quibus veritates jam detectæ ordine & breviter perscriptæ essent, adducto autoris primi loco & præstantioris in quo ista leguntur. Habent & vulgaria, quibus afferuntur, quæ de rebus illis foventur, opiniones, nonnullum usum, quando inventoribus ansam præbent earum falsitatem ostendendi, saltem veriora adinveniendi (§. 332. *P. I. Ethic.*). Præberet quoque academiæ inventrici ansam meditandi, si membris honorariis liberis & secundariis commendaretur & injungeretur lectio librorum utilium, & brevis connotatio notabiliorum, quæ in ipsis occurrunt, & recensio in conventu, ut locus illius evolvi, & in judicem literarium ex eo referri possent, quæ ulteriori in disquisitione digna apparuere membris potioribus. His enim ita pararetur aliquando plus otii, ad explorationem rerum, caussarum, effectuum, usuum, modorumque impendendi. Illis vero ansa daretur & rectius impendendi otium, ac vulgo fieri

ſolet, & plura diſcendi ex lectione conſiderata, & ex judicio ſolidiorum ea de re membrorum. Ita mutuis ſtudiis operisque plus ſolito perfici poſſe membra academiæ inventricis, controverſia caret. Vid. notata ex legibus gallicis ad §. 454

§. 459.

Cura obtinendi certam detectorum cognitionem.

Ad amplificanda ſcientiarum artiumque pomœria diligenter curandum eſt, ut detecta reddantur tam certa, quam fieri in præſens conjunctis viribus poteſt, antequam publicentur. Comparantur enim & requiruntur academiæ inventrices non ob alium finem, quam ut veritatum ſcrutinio ſcientiarum & artium ſalutarium pomœria amplientur (§. 407.). Sed uti ipſæ ſcientiæ & artes habitum demonſtrandi requirunt, quo dogmata extra dubium ponantur: ita & quæ amplificare illas debent, & tanquam talia a ſocietate publici juris facienda ſunt, certa ſint oportet. Sed quæ deteguntur in academiis inventricibus, facere debent ad incrementa ſcientiarum & artium ſalutarium, ne a fine ſuo aberrent (§. 439. *P. VIII. Jur. nat.*). Curandum igitur diligenter conjunctisque ſtudiis, ut inventa, quibus locupletari debent ſcientiæ artesque, tam certa fiant, ac fieri modo poſſunt, antequam publicentur.

Conſiderandum eſt academiæ, quid ratione novi inventi conſultius videatur. Si enim illius fama aut rumor de illo obortus, rem ipſam panderet, non tamen modum & ſeriem inventionis, facile alius quisquam ſagacior quemdam excogitaret modum rem efficiendi, & accedente faſtu ſibi inventum arrogaret, mutatis aut additis quibusdam, ſubdole tempus fingens anterius eo, quo alii ante ipſum id eruerunt. Vbi enim probitas deficit, & gloriandi cupido regnat, ibi laureola captatur vel ex muſtaceo. Quare num premendum ſit inventum donec majorem perfectionis gradum fuerit conſecutum, an citius publicandum, inprimis ſi premi ſilentio vix poſſe videatur, deliberandum ſtatuendumque pro re nata erit, quod præferri meretur.

§. 460.

§. 460.

Quoniam academiæ inventrici ſcientiæ artesque perficiendæ & novis inventis locupletandæ (§. 439. *P. VIII. Jur. nat.*), & quæ detexerunt, certa prius quam pandantur facienda ſunt, quantum in præſens fieri poteſt (§. 459.): apparet luculenter, *ubicunque fieri poteſt, adhibendum eſſe in academiis ſcientiarum connubium rationis & experientiæ*, cujus ope detecta a priori corroborentur obſervationibus & experimentis indubitatis; & vice verſa ex obſervationibus & experimentis liquido hauſta revocentur ſub examen rationis, ad veras rationes legesque naturæ ejus detegendas (§. 497. *Pſychol. empir.*). *Opus eſt connubio rationis & experientiæ.*

Inventio enim eſt duplicis generis, altera a priori, altera a poſteriori (§. 455. *Pſychol. empir.*). Prior nititur obſervationibus & experimentis (§. 457. *ibid.*); poſterior genuino uſu rationis, ex diſtinctis rerum notionibus indubitatis cætera derivat (§. 461. *ibid.*). Vt eo certiora utrobique habeantur, opera navanda eſt, ut obſervationes cum ſcientia conjungantur more aſtronomorum, & viciſſim a priori excogitata experimentis confirmentur: quemadmodum in phyſicis uſu venit & in technicis, quando excogitatæ machinæ efficiuntur, ut exploratum habeatur, num id præſtent, quod præſtare debent. Cum ergo in augendo ſcientiarum & artium progreſſu inventa alterutro modo eruenda ſint: ne confuſio inventionis & cognitionis a poſteriori officiat veritati liquidius agnoſcendæ, ope rationis diſtincta illius cognitio venanda eſt. Rurſus, ne in ambiguo maneat id effectum iri, quod fieri poſſe diſtincte oſtenditur, tacita ſub conditione, niſi quid obſtet incognitum adhuc: vel obſervatione vel experimento apto id extra dubium eſt ponendum, quantum ſaltem in præſenti rerum articulo fieri poteſt.

§. 461.

Inventa certa omnino, veris tribuenda ſunt autoribus, ſive communis ac vulgaris uſus eſſe merentur, ſive arcani ſeu occultioris. Juſtitiæ eſt, ſuum cuique tribuere (§. 924. *P. I. Jur. nat.*). Quare *De inventis prorſus certis quid ſtatuendum?*

re & in noſtra academia juſtum eſt, ut ſuum cuique inventum tribuatur. Permittendum igitur in illa non eſt, ut quisquam alterius inventum ſibi arroget, ſive ſit membrum ejusdem academiæ ſive minus. Inventori ergo, quando opus eſt, publico teſtimonio & ex rei geſtæ veritate, prout conſignatum unumquodque in actis habetur, ſubveniendum eſt. Nec tamen ideo alteri derogandum eſt, quod ſuum eſt, ſi quid ipſi jure debetur, ſi vel uterque eadem inveniſſet. Ratione uſus diſpiciendum eſt academiæ inventrici, num inventum mereatur eſſe uſus vulgaris, an arcani. Si nempe celando licet, tamen celari non poſſet, ſed ex re accuratius inſpecta facile detegi & addi aliquid poſſet, vel ſi quoque exigui uſus ſit futurum, etiamſi celaretur; præſtabit vt ejus uſus divulgetur, quam in arcanis ponatur. Si vero inventum celari facile poſſit, nec uſum exiguum ſit præſtiturum illis, qui ſilentium obſervant: merebitur tacitum arcanumque haberi, quamdiu id fieri poteſt (§ 168. *P. III. Jur. nat.*). Duplicis ergo generis inventa dari poſſunt, divulganda alia, alia potius celanda.

Reticenda nimirum eſt veritas agnita, non ſolum quando illius divulgatio noceret aliis, ſeu repugnaret cuidam officio erga alios (§. 167. *P. III. Jur. nat.*), ſed etiam quando illa noceret nobis ideoque repugnaret officio erga nos ipſos & noſtros (§. 168. *ſeq. ibid.*). Quia quæ reticenda ſunt, recte arcana dicuntur (§. 271. *ibid.*), uſus quoque is arcanus erit, qui reticendus eſt, ne quid mihi ſeu damni nobis experiundum vel metuendum ſit. Damnum vero quoque eſt ereptio lucri liciti. Suo autem invento lucroſo uti fruique licet. Ejus ergo lucro frui poteſt, id rite celans. Hinc præter neceſſitatem nemini eſt patefaciendum, & ſi patefactum ſub ſilentii fide fuerit, non eſt prodendum (§. 272 *ſeq. ibid.*). Varia proſtant inventa, quorum uſus in arcanis habetur, aut diu habitus eſt. Exemplo ſint

mur-

murrhea Japonensium Chinensiumque vasa, defæcatio camphoræ, & varia medicamenta (§. 452.).

§. 462.

Cujus usibus debeantur inventa arcana.

Inventa, quæ merentur in arcanis haberi, vel academiæ lucro reservari possunt, vel publicis usibus destinanda sunt, si academia illis uti nequeat. Aequum enim justumque est, ut suum cuique relinquatur (§. 924. *P. I. Jur. nat.*). Si mercatoribus lucrum relinquitur, quod ex mercatura sua capere possunt; pari jure lucrum illud minus academia inventrici relinquendum est ex inventis, quæ merentur in arcanis haberi, modo ea uti illis possit salvis officiis suis. Alias pro præmio aliis illud concedet.

Si vero mereantur quidem in arcanis haberi, sed academia illis uti & vacare nequit, sed publicis usibus inservire potest; civitati arcanum erit committendum, quæ suis sumtibus academiam alit & remunerari insuper potest. Quod eo magis liquidum erit, si ipso pacto membra academiæ recepta sunt ad detegenda ea, quæ non sunt nisi publici usus v. c. meliora munimenta, res tormentaria, nautica, poliorcetica, &c.

Usus arcanus non est nullus, nec detrahit inventi divulgationi; modus tantum rem efficiendi applicandique tacetur propter officium vel erga se vel erga suam potius, quam aliam civitatem. Res ipsa vero datur iis utenda & fruenda, quorum interest. Detexerat Newtonus separationem radiorum solarium in colores diversos, seu spectra solis celorum iridis, in camera obscura ope prismatis. Sed quædam reticuerat, sine quibus experimentum successu carebat. Quæ nisi patefecisset, diu forte fuissent ignorata. Non merebatur autem inventum, quamvis subtile, diutinam occultationem, neque insignem præstare poterat usum. Archimedis vero specula, romanas naves incendentia, quantam stragem hominum edere potuissent? Quanti usus publici fuisset illud in defensionibus urbium, in præliis, si aptari

ad usus quoscunque promtissimos potuisset? Notiora exempla sunt in fabrica vasorum Misnensium, Sinensia vincentium &c.

§. 463.

Quid statuendum sit de nondum sat compertis?

Si detecta nondum fieri tam certa possunt, ac optari posset, academia prudenter sibi consulit, ea vel nondum publicando, vel relinquendo suo autori ulteriorique excussioni, si divulgari permittit. Est nempe academiæ inventricis, antequam detecta publicentur, curare ut fiant tam certa, ac fieri in præsens possunt (§. 459.); eumque in finem utendum est connubio rationis experientiæque (§. 460.). Qua de re, si nondum obtineri certum potest, sequitur, id nondum aut nunquam esse ab academia publici juris faciendum, in quo certiora desiderari possunt. Videretur enim pro certo venditare, quod non est; aut sua jam facere quæ id nondum merentur. Aut igitur omittenda vel nunc vel plane est divulgatio rei, aut ne id quidem consultum est, quando non plane desperandum de rei veritate videtur. Non poterit igitur vel suæ famæ, vel autoris pudori rectius consulere, quam si rem necdum approbat, sed in medio & suo autori relinquit. Cui libertas sentiendi non est deneganda (§. 449. *seqq.*). Sic nempe verendum non est, ut falsa approbasse aut vera suppressisse dicatur unquam, si declaret, se cuique autori sua relinquere, nec approbare, nisi quæ vera esse res doceat diesque.

Generatim igitur inventa luce non' indigna suis relinquenda sunt autoribus, eorumque nomine adjecto edenda in commentariis Academiæ.

§. 464.

De usu hypothesium in academiis

Etsi fugiendæ ab academiis inventricibus sunt hypotheses inanes; ubi tamen rationes rerum indubiæ reperiri nequeunt, ibi verisimilibus tantisper utendum, quæ viam sternunt ad veritatem liquidam perveni-

endi, ut quæ earum potior sit cæteris detegatur. Sunt enim hypotheses non nisi sumtiones eorum, quæ esse possunt, tanquam essent, reddendæ eorum rationis causa, quæ sunt saltem liquido apparent (§. 126. *Disc. prælim. Log.*). Quæ sunt inanes & commentitiæ, si vel sumunt, quæ esse nequeunt, saltem in natura ibi non dantur, ubi illa observantur; aut e quibus observata intelligi & explicari nequeunt. Cum Academiæ inventrices tam certæ rerum cognitioni studere debeant, ac cadere in hominis præsentem statum potest (§. 459): eidem abstinendum esse ab inanibus precariisque sumtionibus, liquet. *inventricibus.*

Attamen ab academiis inventricibus promovendus scientiarum artiumque progressus quantum fieri potest (§. 407. & 413.). Sed ea esse, quæ indubie observantur, & suas habere rationes, per quas sint, & tales potius, quam aliæ observantur, constat, ideoque & illas rationes cognosci posse credibile est, ut homini eo sint ac fieri possint utiliores & ad alia officia & ad gloriam Dei illustrandam. Quapropter scientiarum incrementa melius provehi non poterunt, quam si & causæ illarum rerum, quæ observantur, & rationes indagentur, e quibus plenius & a priori perspici possint. Quæ causæ & rationes si nondum ad liquidum perduci possint, plus tamen præstatur, si qua via aperiatur, qua investigari possint, quam si nuda tantum experientia afferatur; item si ostendatur, quænam dentur in rerum natura, a quibus ista ita proficisci & effici possint, & quænam ibi vel adsint, vel desint, ubi ista observantur. Hoc idem est, acsi hypotheses recensentur, e quibus ista intelligi possint, & quænam magis consentiat cum observatis, quam alia ulla. Si porro inquiratur, quænam alia inde necessario fluant, ostendaturque illa quoque jam esse observata, vel attendendum esse, num in posterum vel experimento subjici, vel observari in quodam casu possint, propius ad naturæ recessus inti-

intimiores pervenietur, quam si nil tale cogitatum sit vel exploratum unquam (§. 127. *Disc. prælim. Logic.*). Constat ergo, verisimilibus hypothesibus in academiis inventricibus ibi locum esse concedendum, ubi fores aperire possunt ad veritatem penitius inspiciendam.

Qui plura de usu hypothesium philosophicarum ab ipsomet illustri Barone *de Wolff* proposita consulere cupit, ejus sitim restinguet *Horarum subsec. Marpurgensium trimestre primum n. 4. p. 154. seqq.* agens de *medico Astronomos imitante*, & fusius *trimestre II. no. 1. de Hypothesibus philosophicis*. Manent observata etiam sine hypothesi certa, omnemque retinent usum, quem præstare possunt; sed eo evadunt lucidiora, quo distinctius explicantur. Quando hypotheses, ut par est, ab observatis discernuntur, nullus relinquetur confusioni certorum cum incertis locus.

§. 465.

Abstinendum a principiis precariis. *Cavendum est, ne academiæ inventrices admittant principia precaria.* Hæc enim destituuntur solidis rationibus, unde illorum veritas demonstrari possit (§. 600. *Logic.*). Ideoque certa esse & dici nequeunt, sed sunt opiniones tantum vel hypotheses inanes (§. 464.). Cum vero hæ academiæ amplificandæ certæ rerum veritatumque cognitioni, quanta in præsentem hominum conditionem cadit, operam dare debeant (§. 459.), nec in casu necessitatis admittere nisi hypotheses viam veritati pandentes (§. 464.): cavendum est eisdem, ne qua admittant principia precaria. Hujusmodi forent observationes & experimenta, quibus fides tuto haberi nequit, quia vitio subreptionis aut dubiis laborant, aut indubitatis aliis veritatibus adversantur; notiones & definitiones parum exasciatæ; ficta axiomata & postulata; placita cujusdam celeberrimi viri, in aliis perspicacissimi, præsertim socii aut popularis ornamenti; hypothe-

pothefes a plerisque temere receptæ; præjudicia denique cujuscunque conditionis. Cavendum igitur, ne talia fibi ftatuat recipienda, tuendaque autoritate & amore focii, aut civis, cujus bona fides & fcientia non videtur effe in dubium vocanda.

Equidem nolim, temere fupprimi aut repudiari obfervationem vel experimentum, cui videntur repugnare, quæ hactenus ufu teruntur. Dari enim poffunt impedimenta, aut caufæ acceffioriæ rariores, quæ obftant, quo minus idem evenire poffit, quod alias obtinere folet. Inde opus eft examine, & repetitione ita inftituta, & variata, ut diverfitatis eventi ratio innotefcere poffit. Quando id fieri poteft, præftat, ut ipfe autor prius repetat quam alii, ne hi quidquam negligant; quod autor non neglexiffet, vel mutent quidquam feu in re ipfa, feu in modo experiundi. Examine enim rite inftituto, a peritiffimis ejusmodi rerum judicibus, patebit, verane proferantur, an erronea, & unde error fluxiffe intelligatur.

§. 466.

Obortus inter academias dissensus uti tollendus?

Vbi diffenfus inter academias inventrices datur, is tollendus eft quantocyus. Etenim oportet, ut contradicentium fibi fententiarum alterutra fit falfa (§. 532. *Logic.*). Summo igitur ftudio fincere examinanda funt denuo illa, in quibus diffenfus datur, ut perfpiciatur; utrum & cui precario principio alterutrius error debeatur, an ex veris principiis conclufio illegitime inferatur. Quod exploratum habetur feu ad veritatem demonftrandam, feu ad errorem refellendum, vel fponte confenfum creabit, vel fi opus, invicem communicandum eft amice, ut agnito errore, vel agnita logomachia, diffenfus tollatur, cum certa cognitio omnium facile pariat confenfum & convictionem. *Præftaret* quidem *emergentem diffenfum academiarum tollere, antequam orbi literario ex editis commentariis innotefcat;* quia alterutram fententiam erroneam effe oportet, neque laudi duci academiæ poteft, fi con-

conſtet, eam erraſſe. Si *id tamen factum ſit* antequam ſententia alterius alteri conſtitit, tunc *quoque ſatius erit*, certisque inventis honorabilius, *controverſiam quantocyus componi tollique*, quam illam non ſine errantis dedecore & prodita obſtinatione durare aliisque erroribus augeri.

Dici nequit, quanti momenti hoc ſit præceptum, ut inter primas academiarum inventricium leges inſignem mereretur locum. Sincerum enim veritatis liquidæ ſtudium non poteſt non ab illo diſſenſu abhorrere, qui errori affectuique pravo ſuos debet natales. Sinceri autem veritatis amatores lubenter ſe mutuo juvant in eodem ſtudio, inde nec argumenta diſſimulant, quibus veritas evincitur error autem profligatur. Sectarum diverſitas opinionum regno rectius relinquitur, & excuſatior ibi dici poteſt, quam ubi veritas liquida haberi poteſt. Hinc & in hypotheſibus magis toleranda eſt diſſenſio, quam ubi nulla hypotheſi indigemus. Error quidem ſupererit, dum homines erunt; ſed nocebit quoque errantibus & ipſorum famæ, dum propalatur. Quare academiis ſublimioribus ſaltem opera danda eſſe videtur, ne vel diſſenſu ſuo errorem quendam prodant, vel ab eodem tamen citius & promtius, quam cæteri homines liberentur.

§. 467.

Cur opus ſit commercio academiarum inter ſe?

Quoniam præſtat diſſenſum academiarum inventricium obortum tolli, quam aliis extra easdem innoteſcat (§. 466.): *commercio literario prudenti opus eſt inter academias heuriſticas* & quaquaverſum, unde ipſis conſtare invicem poſſit, ſi quis circa noviter reperta diſſenſus inter eas detur, ut is communicatis rationibus tam promte tollatur, quam promta quælibet eſſe debet in veritatis agnitionem conceſſionemque. Quid? quod ejusmodi academiæ & in eo ſuam patefacere debeant excellentiam ſupra reliqua eruditorum conſortia, quod perraro incidant fortuito in diſſenſum, & ſi quid humani illis acciderit, raris-

rariſſime aut nunquam in illo perſeverent paulo diutius. Quo quis enim acutior & profundior eſt, (uti inventores eſſe debent) eo is citius & veritatem ſuo marte penetrat, & errori agnito nuntium mittit, ſaltem dum illius ab alio admonetur. Ex allatis intelligitur, etiam ideo commercio literario inter academias haſce utendum eſſe, ut quantocyus tollatur diſſenſus inter ipſas undecunque coortus (§. 466.).

Dantur & aliæ rationes iſtius commercii, quales inter literatos amicitiam colentes, & ſe mutuo perficere nitentes, dari conſueverunt, quas utpote ſatis notas, non attinet commemorare. Ea tamen opus eſt prudentia in iſto commercio, ut potiſſimum occupetur circa res non prorſus novas. Has enim integerrimus quisque libenter ſuo relinquet autori. Sed ambitioſus quisquam ſibi ſimilia eſſe obſervata, aut in mentem veniſſe, facile ementiri; atque ita gloriam inventionis anterioris temere ſibi arrogare poteſt. Circa tales res vel tacere, vel talia tantum ſcripſiſſe proderit, unde res ipſa necdum plana fiat. Neque in his errori locus erit, ſi antequam propalentur ſummo rigore omnia excutiantur, ne quidquam niſi certum exploratumque ſtatuatur. Quod remedium & ibi locum habebit, ubi commercio iſto carendum eſt. Extendi id commercium literarium ſolet quoque ad illos, qui celebritate famæ gaudent aut ſponte ſe offerunt, licet non ſint membra hujusmodi academiæ nec eſſe poſſint; uti clerici non admittuntur in Pariſinam ſocietatem ſcientiarum. Nam & his nonnulla vel occurrere, vel narrari poſſunt, quæ dent anſam inveniendi, aut ſcrutandi quæ inventa dicuntur. Extraneorum de commercio iſto bene meritorum ratio haberi conſuevit in electione membrorum peregrinorum, quod ſingularis honoris loco habetur.

§. 468.

Rejectis hypotheſibus nondum rite comprobatis, academiis hiſce major erit conſenſus, diſſenſus minor. Si nempe rejiciuntur hypotheſes, *Aliud diſſenſus remedium.*

theſes, quæ nondum ſatis ſunt comprobatæ, ſubſiſtet academia tantum in illis, quæ prorſus comperta habentur (§. 464.); multoque magis abſtinebit a precariis opinionibus erroribusque (§. 465.). Sed omnes veritatis ſtudioſi facillime conſentiunt in illis, quæ indubia eſſe animadvertunt experientia teſte. Quare & academiæ inventrices veritatum ſtudioſiſſimæ, eo majori gaudebunt aliarum academiarum conſenſu, quo minus incerti admittunt, quo certiora proferunt, ideoque ne hypotheſes quidem admittunt niſi abunde comprobatas. Quo vero majori gaudebunt conſenſu, eo minor diſſenſus, ex ſolo errore oriundus, ipſis eſt verendus.

§. 469.

Quomodo error alterius per alteram corrigendus?

Si qua academia protulit erronea, alia vel privatim iſtam rectiora docebit, vel publice veriora docendo errorem omnibus eripiet eo infectis. Poteſt enim inter academias ſibi invicem amiciores vel pactum intercedere, quo ad privatam correctionem obligantur (§ 231. *P. VII. Jur. nat.*). Si vel hoc non ſit, quælibet tamen academia eſt ſocietas, quæ inſtar unius perſonæ moralis eſt ſpectanda (§. 161. & 168. *P. VII. Jur. nat.*), ideoque & eadem alteri academiæ officia debet, quæ ſinguli homines aliis debent (§. 608. *ſeqq. P. I. Jur. nat.*). Sed debent ſinguli homines alios ab errore revocare, quando id poſſunt (§. 709. *ibid.*). Quapropter & academia inventrix alteram, quam intelligit in errore verſari, vel privatim rectiora docere, vel publice veriora ſaltem docendo (alterius errore vel diſſimulato), officio humanitatis ab errore ſuo liberare obligatur, una cum aliis, qui eodem poſſint eſſe infecti. Multo magis igitur mutua amicitia vel pacto inito ad ei ſatisfaciendum obligatur.

Merito hæc ad communia referuntur, quæ omnibus debentur hominibus, ut quidquid ſine detrimento poſſit commodari, id

id tribuatur vel ignoto. Quod *Ennius* his exemplis docet: homo qui erranti comiter monſtrat viam, quaſi lumen de ſuo lumine accendat, facit, nihilominus ipſi luceat, cum illi accenderit. Vid. *Cicero L. I. offic. c. 16.* Quod enim circa viam erranti debetur, id multo magis debetur erranti in re gravioris momenti academiæ, multis aliis errandi ſecum cauſam præbenti. Quomodo via ſit monſtranda, ratio & prudentia rite conſulta docebit. Eidem quoque inſiſtens principio, academias inventrices ſibi in ſcopo ſuo conſequendo idem illud debere quod ſinguli homines aliis hominibus naturaliter debent, cætera officia, quæ hic prætermittenda cenſemus, nullo negotio derivabit, quæ academiæ inventrices ſibi invicem debent.

§. 470.

Inventa, quæ aliud potius officium patefieri non vetat, ad publicos uſus in vulgus ſunt edenda. Requiruntur enim & comparantur inventa ad incrementa ſcientiarum & artium in commoda totius generis humani (§. 404. *ſeqq.*). Sed ſi ignota manerent, nec ad illa commoda applicarentur, inutilia forent, & impendia, in illa obtinenda, male & fruſtra collocata. Quapropter ſi officium erga ſe aut rem publicam vetat divulgationem non quidem uſus inventi, ſed modi tantum illud efficiendi, ibi is merito in arcanis habetur (§. 462.). Si vero nullum obſtet officium, divulgatio modi quoque rem inventam efficiendi erit in officio ſocietatis inventricis; ideoque ea inventa, quæ nullum officium jubet in arcanis haberi, ad publicos uſus in vulgus erunt edenda & typis divulganda (§. 445.).

Quænam inventa ſint divulganda?

Edendo inventa ſua academia & ſibi prodeſt lucro, e divenditis libris obtinendo, & augenda ſua fama ac celebritate, & aliis non tantum ſuis civibus, ſed & peregrinis academiis civitatibusque, quæ emere & legere ipſius opera dignantur. Accurate enim perſcribendo, plurimos eadem docet, quæ ipſa detexit;

 docet-

docetque non rem tantum illiusque uſus, quos jam perſpectos habet, ſed & modum rem ipſam producendi. Quo & illud obtineri ſolet, ut alii inventum imitantes examinantesque, eamdem rem perficere ulterius, variare, & ad alios uſus aptare & transferre nitantur. Id quod ad majorem rei perfectionem procurandam, & novis incrementis velut remunerandam academiam, ſua inventa edentem ſimul vergere, intelligitur ipſo harum rerum uſu.

§. 471.

Quænam doceri in his ſocietatibus poſſint vel debeant?

Præterea expedit, ſi in academiis ſocietatibusque inventricibus dono didactico præditi theoriam & praxin cæteris præſtantiorem edoceant illos, qui in ſua ſcientia arteve docenda aut exercenda excellere volunt aut debent. Dies enim diem docet ut alibi, ita quoque in academiis ſocietatibusque heuriſticis, neque omnia inventa ſtatim ſunt omni numero abſoluta, ſed ſucceſſu temporis magis magisque perficiuntur & utiliora redduntur (§. 470. *not.*). Licet ergo edenda ſint inventa, multum tamen temporis ſæpe elabitur, antequam id fiat, varias ob cauſas. Si quoque edantur, vix tamen tam minutatim omnia perſcribi poſſunt, ac quilibet deſiderare poſſet, aut ut idem ſit, acſi res ipſa oſtenderetur. Quapropter qui inventa ipſa, eorum geneſin & uſum intueri geſtiunt, ut rem accutius & certius ipſi cognoſcant, eamve alios itidem melius docere, aut ſi practica ſit, exercere poſſint, eorum eſt adire academiam vel ſocietatem, & ea ibi diſcere, quæ vel plane non, vel non plene ex commentariis ejusdem diſcere poſſunt. Vbi civitatis intereſt, ut magiſtri artium rectiſſime illam calleant exerceantque; ibi juberi poſſunt, qui in ea excellere debent, tam diu frequentare ſocietatem in illa arte eminentem, donec ſpeciminibus juſtis ſe eam callere comprobatum dederint, ſine ipſius teſtimonio ad lautiora commoda non admittendi.

Vſu

Vſu jam paſſim receptum eſt, ut qui artem pharmaceuticam, muſicam, pictoriam, architectonicam &c. exercere & altius in ea adſpirare velint, eamdem vel ſua ſponte, vel publico juſſu perficere in ſocietate iſta eminente nitantur, quæ in hoc ipſum publice in eadem civitate eſt inſtituta. Neque pigrantur hi, qui excellere in ſua arte cupiunt, ſi civitas, patria careat ejusmodi ſocietate, peregrinando ſecundum ſtatuta ſua, illiusmodi loca præ cæteris adire, ubi illam maxime florere intelligunt. Neque abs re foret, ſi Profeſſores academiarum ſolidiora ſolitis tradituri, ibi ſe perficerent, & qui id feciſſent, cæteris paribus, aliis anteponerentur. Londini, & Pariſiis Deſaguliers, Nollet aliique experimenta docuere.

§. 472.

Num illis ſyſtemata ſint condenda?

Per ſe quidem Societatis inventricis non eſt, ſyſtema condere; eandem tamen cum ad compendia a ſe docendorum, tum ad ſyſtema ſuæ artis vel ſcientiæ concinnandum adhiberi & obligari poſſe, nihil prohibet. Per ſe enim ſocietas inventrix ad inveniendum deſtinata eſt, habetque abunde quod agat, ſi ſcientias artesve perficiendas ſuis inventis debet locupletare (§. 439. P. *VIII. Jur. nat.*) ad docendas vero ſcientias & artes Academiæ, Gymnaſia, Scholæ, aliaque inſtituta in civitate cultiori dantur. Sufficit ergo, ſi ſocietas agat, quod ſuarum eſt partium, ſuaque inventa, quatenus non ſunt in arcanis ponenda, ſeu edat tantum (§. 470.) ſeu quatenus id convenit civitati, quoque doceat (§. 471.).

Enimvero hæ ſocietates vel publicæ eſſe poſſunt, vel privatæ (§. 408.), & in utroque caſu & electio & miſtio harum ſocietatum eſt arbitraria (§. 422.), item & aliæ ſocietates illis adjungi poſſunt, quatenus earum fines ipſius fini non repugnant (§. 175. *P. VII. Jur. nat.*). Propterea licet Profeſſorum aliorumque ſolide doctorum virorum ſit compendia & ſyſtemata doctri-

doctrinæ in usum publicum concinnare & edenda curare (§. 330.): ubi penuria est genuinorum compendiorum & systematum veri nominis, recens inventa simul complectentium: ibi inventoribus docere solitis, tantum indulgeri potest otium ab aliis laboribus heuristicis, quantum requiritur ad compendia & systemata in communem salutem perfectius adornanda, quousque id jam fieri potest.

Ita videmus societatem regiam Londinensem post edita 48 volumina, & Academiam Scientiarum Parisinam post 70 edita volumina & plura alia adoptata, & machinarum approbatarum ab ipsa Tomos, nullum tamen ne physicæ quidem systema edidisse, quod quidem ab universa academia esset approbatum. Procul dubio autoritate publica systemata condendi carent, non recipienda quamdiu alia antiquitus recepta habentur in scholis & academiis, donec privata docentium opera meliora sensim recipiantur, & tenebris dispulsis, publica autoritas iis detur introducendi meliora. Sane Aristoteles Alexandri M. cura & sumtu meliora dedit pristinis in Historia animalium &c. & Academia Petropolitana meliores Russiæ mappas &c.



